Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/lesregistresdeni00cath

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
LIBRARY

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
APR 11 1963
LIBRARY
23886

INCIPIT REGESTRUM PRIMI ANNI

DOMINI NICOLAI PAPE TERTII

---

1 Saint-Pierre, 15 janvier 1278.

Archiepiscopo Senonensi et suffraganeis ejus nuntiat se, tunc Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, a fratribus, in palatio episcopali Viterbiensi convenientibus, in die beate Katerine, ad conscendendum apostolice dignitatis speculam unanimiter electum esse; eorum orationes postulat. (Reg. 39 fol. 1; an I, nº 1; Potthast 21264, Posse 899.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Senonensi, episcopis et dilectis filiis abbatibus, ac aliis ecclesiarum prelatis per Senonensem provinciam constitutis.* Immense Deus potentie qui mundum per se condidit, per se regit, nec eget extrinsecis quesitis auxiliis ad regendum, qui non eguit ad condendum; quem enim, sacra scriptura testante, alium constituit super terram, aut quem alium posuit super eum quem fabricatus est orbem, profecto nullum, sed ipse solus regiminis et gubernationis est princeps, qui creationis extitit solus actor. Ipse quidem ecclesie catholice, peculiaris procul dubio domus sue, peculiaris etiam civitatis, solus edificator et custos, ad cujus sine ipso custodiam seu structuram frustra edificantes alii laborem assumerent, frustra custodes ceteri vigilarent, tanto magis eam specialis regiminis et custodie cura prosequitur quanto majori singularitate construxit. Siquidem cetera verbo creans, dixit et facta sunt, ecclesiam vero non solum verbi expressione sed et sui pretiosi sanguinis effusione fundavit. Ad hujusmodi autem specialitatis evidentiam discipulis suis, quos ejusdem ecclesie fecit velut precipua fundamenta, ego inquiens vobiscum sum usque ad consumationem seculi, sue virtutis assistentiam repromisit, et ipsi ecclesie in apostolorum principe, cui cujusque successoribus commisit ejusdem regiminis vicariam, ait : ego pro te rogavi, Petre, ne deficiat fides tua; eandem insuper vicariam sic esse voluit vicissitudinarie successionis continuatione perpetuam ut, quanquam ipsi vicarii ex humane fragilitatis conditione legi mortalitatis addicti vite presentis occasum imperio mortis incurrerent, ipsum tamen vicariatus officium substituendorum vicibus immortale perpetuum remaneret. Proinde sepefata mater ecclesia interdum utili desponsata pontifici, nuptialibus ornata monilibus, sub sponsi sui ducatu ejusdem rectoris omnium dirigente potentia leta deducitur; interdum vero in pastoris subtracti carentia viduitatis amictu circumdata, oculis resolutis in lacrimas, ejus sibi queritur adempta solatia, lamenta de illius subtractione multiplicat et anxia pro alterius substitutione laborat. Eo quantum prolixius quo, hiis quorum interest cum omni diligentia sollerter ac instanter ejusdem ecclesie provisioni vacantibus, nichilominus tamen vacationis prolixitatem ingerit occurrentium casuum qualitas aliarumque circumstantiarum necessitas, non instantium negligentia vel voluntas. Et licet interim eadem ecclesia, dum ad editionem spiritualis patris filii sponsique votivam enititur parturientis partes experiens, conatus prosequens et molestias perferens, acerbos dolores sentiat instar illius, tamen consultius ydoneum pariendi tempus expectat, ne inconsulte festinantie impetu partum precipitet in aborsum. O igitur presumptuosa judicia murmurantium in ecclesie provisione, quam sepe

BQX 744 .A3R4

indigne arguunt, tarditatem. Nam et si de providendo utiliter eidem ecclesie in generalitate quadam sint eligentium vota, concordiam tamen, dum singulariter ad id persona ydonea queritur, in hoc nimirum querentium judicia facile non concordant. Sed et nonnunquam occulta forsan Dei dispositione postponendus eligitur et postponitur preferendus, sicut hiis accidisse diebus ex nostrorum defectuum consideratione supponimus et humiliter confitemur. Nuper ergo felicis recordationis Johanne papa predecessore nostro apud Viterbium, ubi tunc cum sua curia residebat, ab hoc luce subtracto et ipsius corpore in Viterbiensi ecclesia cum exequiarum sollempnitate debita tumulato, tandem nos et fratres nostri, quibus nos tunc officii quo ad hoc annumerabat equalitas, in palatio episcopali convenimus propensiorem diligentiam considerate provisioni ejusdem ecclesie impensuri. Et quanquam ille, qui celesti dat concentui armoniam, nos sub clausura eadem habitantes in unum ad utilem provisionem ipsius ecclesie obtinendam prout singulorum habebat assertio unanimes fore sua pietate concesserit, ad consumationem tamen provisionis ejusdem alto suo et secreto consilio dare aliquandiu distulit spiritum unitatis. Sed demum in die beate Katerine missarum sollempniis cum invocatione Sancti Spiritus celebratis, iidem fratres in humilitatem nostram, utinam non exorbitante judicio, per viam scrutinii concordantes nos, tunc Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, ad conscendendam apostolice dignitatis speculam unanimiter elegerunt, nobis vestem poderis universum orbis ambitum continentem non offerentes tantummodo sed etiam cum importuna instantia ingerentes. Verum, ut rei geste seriem succintus sermo pertranseat, ne, dum defectus eosdem ad humiliationem nostram gestimus exprimere, sub humilitatis specie notam elationis seu qualiscunque jactantie ingerat seriosa repetitio veritatis, nos gradus altitudinem et oneris iminentis tante altitudinis ascensori molem nobis in cardinalatus officio experientie longe participio non ignotam attenta meditatione pensantes eligentium et offerentium instantie insufficientie nostre imperitatem objecimus, debilitatem nostram dictante conscientia oblatis imparem cum repetita multotiens relaxationis subplicatione humili allegantes. Cum nec sic cessaret instans fratrum importunitas eorundem, sed vim inferens nostro proposito vehementius collegii jussus urgeret nosque violentiam patientes clamaremus lacrimis, nec esset qui auditu exauditionis audiret vociferaremus gemitu nec foret qui remissionem injuncti oneris benigno judicio indulgeret, ad illum oculos mentis ereximus qui, sicut premittitur, ecclesiam quam per se fundavit non negligit regere per se ipsum, sed quam pie condidit pie regit, et quanquam de insufficientia nostra timentes de superhabundantia tamen omnipotentie sue confisi, humeros summo superhumerali subjecimus, et humiliter jugum subivimus apostolice servitutis, sperantes quod ipse qui Petri pedibus marinos vertices inclinavit ut iter liquidum humanis gressibus solidum preberet obsequium nobis, quos licet indignos illi sua constituit dignatio successorem, in nostri executione ministerii humiliabit per sue virtutis potentiam colla tumentia superborum et lapsus in delicta labentium cohibendo, eos in bonorum stabilitate operum solidabit. Ad quod efficaciter obtinendum attente orationum vestrarum suffragia imploramus, universitatem vestram monentes rogantes et obsecrantes in domino Jhesu Christo quatinus, diligentius attendentes quod ad tanti ponderis sarcinam supportandam pervigiles cooperatores esse vos exigit vobis in vestris gregibus sollicitudo commissa, in hujusmodi cooperationis ministerio exequendo super greges eosdem sollicite vigilantes, debilitati nostre devotarum orationum et placationum uberum frequentibus oblationibus assistatis; ab eo qui vobis sarcinam eandem imposuit seu potius forsan imponi permisit supplicationibus devotis et sedulis implorantes, ut qui ex eisdem nostris defectibus sub illius onere premimur ipsius munere sublevemur, nobisque ipse bonorum largitor omnium sic illam ad sui nominis laudem et gloriam nostram populique sui salutem portare sua pietate concedat, quod eadem pia mater ecclesia filios suos numero et merito nostris multiplicari temporibus glorietur. Ceterum, fratres et filii, affectum vobis caritative benignitatis expandimus et sinum caritatis solide aperimus proponentes in quibus cum Deo poterimus honori vestro deferre ac vestra et ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benivolentie promovere. Cum autem, sicut intelleximus, portitores hujusmodi litterarum interdum esse consueverint contra intentionem mittentium exactores, nunc importune petitionis instantia, nunc etiam murmurationum susuriis ac detractionum et querelarum comminationibus exigendo, scire vos volumus, quod nostre intentionis existit latoresque presentium jurare fecimus quod ad exigendum vel obtinendum aliquid, preter ea que ad victum et ob infirmitatis vel alios casus necessaria per alias eis sub certa forma litteras quas vobis exhiberi mandamus ministrari precipimus, talibus instantiis, murmurationibus detractionibus seu comminationibus non utantur, nec recipere per instantias, murmurationes vel comminationes hujusmodi oblata presumant. Ideoque ut nostris in hoc intentioni et beneplacitis concurratis, prefatis eorum abusionibus ceterisque similibus,

si forsan eis quod non est verisimile uti presumerent contra proprium juramentum, contemptis, omnino vos ultra premissa ipsis nostro ministranda mandato tribuendo aliquid non gravetis, cum non per extorsiones hujusmodi sed alias retributione congrua intendimus ipsorum laboribus respondere. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XVIII kalendas februarii, anno primo. »

2 Saint-Pierre, 15 janvier 1278.

Regi Francie idem nuntiat, et ei mandat quatinus ecclesiam ministerio sue cooperationis semper adjuvet. (Fol. 1 v°; an I, n° 2; POTTHAST 21263, POSSE 900.)

« *Regi Francie illustri.* Immense Deus potentie etc. ut in proxima superiori usque solidabit. Adicit quoque spei nostre suffragium tui specialiter aliorumque catholicorum consideratio principum, quos et desideramus attentius et speramus fidentius sic ab illo per quem reges regnant et potentes scribunt justitiam in suis regiminibus dirigi, quod ipsis per vias certas se ac sibi commissos ducentibus populos grex dominicus cure nostre commissus committentis virtute preambula in dilecta domini tabernacula inducatur. Ideoque serenitatem regiam monemus, rogamus et hortamur in domino, in remissionem tibi peccatorum suadentes, quatinus prudenter attendens a rege regum te regem datum in gentibus, ut eas regas et dirigas, vitia in illis cohibeas inserasque virtutes, sic commissas in illis tibi partes prosequi studeas, quod te pro viribus implente quod imminet in universalis injuncti nobis executione regiminis quo ad tue ditioni subjectos, nobis onere partito sit levius et ministerio tuo in hoc cooperationis adjuti efficacius circa salutem omnium salutis auctoris beneplacitum de suo munere prosequamur. Illam vero de nobis certa te volumus habere fiduciam, quod tuam ut regni tui prosperitatem paterno zelantes affectu, eum conservare proponimus et in quibus cum Deo poterimus facultate succedente favorabiliter promovere. Dat. ut supra. »

In eundem modum .. regi Romanorum illustri amotis « tui specialiter, » et dicitur « tua et aliorum catholicorum consideratio etc. »

In e. m. aliis regibus.

In e. m. comitibus et nobilibus, verbis competenter mutatis.

3 Saint-Pierre, 23 janvier 1278.

Infrascriptis mandat ut decimam ad Terre Sancte subsidium juxta ordinationem concilii Lugdunensis integre persolvant, nullas querentes occasiones tarditatis. (Fol. 2; an I, n° 3; POSSE 902, KALTENBRUNNER 107.)

« .. *Maguntine* .. *Warmaciensis* .. *Spirensis* .. *Argentinensis* .. *Herbipolensis* .. *Bambergensis et* .. *Augustane ecclesiarum prepositis*, *decanis*, *et earum capitulis.* Dudum felicis recordationis G. papa predecessor noster, ut Terram Sanctam sub gentis fede imperio ancillatam liberam redderet christianis, in ejusdem succursum omnium ecclesiasticorum proventuum decimam ad certum tempus, sacro approbante Lugdunensi concilio, deputavit ac negotium hujusmodi decrevit variis et laudabilibus remediorum consiliis promovendum; sed, proh dolor, ecclesie Romane crebra viduitas id prosequentium adeo corda prostravit quod hebuit celeritas super hoc prosecutionis optate. Nos autem postmodum licet immeriti supra ejusdem sedis speculam constituti inter cetera mentis nostre desideria hoc amplecti proponimus et prosequi studio efficaci, ut hujusmodi negotium celeriter et feliciter dirigatur et tandem, divina opitulante clementia, votivo exitu concludatur. Accingimini ergo quesumus et estote viri devoti sub devota prestatione obsequii ad prelium domini preparati, ut hereditas ejus de alienigenarum liberata manibus ad legitimos ipsius reducatur heredes, devotionis ferventis stabilem resumentes radicem, surculis teporis succisis, ut sicut in ejus sortem estis specialiter evocati, ita in hujusmodi exhibitione obsequii ipsius speciales comprobemini zelatores. Ceterum cum vestri et quorundam aliorum super exhibitione decime animi vacillarent, per dilectum filium magistrum P. decanum Novedomus Warmaciensis procuratorem vestrum nobis quosdam articlos presentastis, has vacillationis causas inter cetera continentes, videlicet quod hujusmodi decima in diocesibus vobis vicinis non solvitur et soluta, subsidio prefato neglecto, pro majori parte in usus alios est conversa; propter quod idem subsidium processum habere non potest tempore ad hoc per idem concilium ordinato, quodque idem predecessor protulit in concilio memorato quod, si ecclesia Romana ab hujusmodi prosecutione negotii desisteret, decimam ipsam restitui faceret iis qui solverunt eandem, successores quoque ejusdem predecessoris super exhibitione dicte decime nullum innovaverunt mandatum, et quod per mortem dicti predecessoris mandatum ab eo magistro Rogerio de Merlomonte directum expirat, propter quod illius auctoritate decima exigi non poterat nec debebat, nos itaque, hiis diligenter discussis ac demum quominus hujusmodi prestatio decime impediri debeat sicut nec debemus non admissis, discretioni vestre per apostolica scripta man-

damus quatinus, causis hujusmodi et quibuslibet aliis non obstantibus, decimam juxta ordinationem dicti concilii integre persolvatis, nullas de cetero super hoc ob reverentiam Salvatoris querentes occasiones frivolas vel causas excogitantes inanes, per quas premissi expeditioni negotii procuraretur quomodolibet obstaculum tarditatis, sed vestris aliorumque fidelium ministris auxiliis votiva christicolis auctore Deo proveniat promotio premissorum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas februarii, anno primo. »

4 Saint-Pierre, 9 février 1278.

Angelo Brachi, plebano ecclesie Sancti Moysi de Venetiis, Castellane diocesis, mandat quatinus episcopum Paduanum moneat, ut ab omnibus gravaminibus et injuriis omnino desistens, abbatisse et conventui de Cella Paduana ordinis S. Clare, infra quindecim dierum spatium post monitionem hujusmodi, super illatis plenam et debitam satisfactionem impendat. (Fol. 2; an I, nº 4; Potthast 21269.)

« *Angelo Brachi plebano ecclesie Sancti Moysi de Venetiis Castellane diocesis.* Gravem ad nos —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus februarii, anno primo. »

5 Saint-Pierre, 13 février 1278.

Regem Castelle ac Legionis vehementer vituperat quod archiepiscopum Compostellanum et ejus ecclesiam persequatur, lacessat injuriis, eorum jurisdictiones et jura preripere satagat, ac hostilibus incursibus conculcare. (Fol. 2 vº; an I, nº 5; Potthast 21270.)

« *Regi Castelle ac Legionis illustri.* Sensibus tuis fili —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus februarii, anno primo. »

6 Saint-Pierre, 12 mars 1278.

Johanni clerico, ad illud per magistrum Nicolinum de Camilla, capellanum pontificis, examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 3; an I, nº 6.)

« *Johanni nato quondam Adenulphi de Babuco militis clerico in minoribus ordinis constituto Verulane diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III idus martii, anno primo. »

7 Saint-Pierre, 6 mars 1278.

Thome civi Romano, ad illud per magistrum Nicolinum de Camilla, capellanum pontificis, examinato, judicatus et tabellionatus officia, « cum potestate dandi tutores et curatores, emancipandi, decreta interponendi, instrumenta et testes publicandi et exemplandi protocolla, » concedit. (Fol. 3; an I, nº 7.)

« *Thome nato Petri magistri Luce civi Romano.* Ne si jus sibi —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas martii, anno primo. »

8 Saint-Pierre, 9 février 1278.

Collectoribus decime, in regno Francie deputatis, mandat quatinus a priore et fratribus domus Dei de Monte Maurilii, Pictavensis diocesis, decimam exigere vel extorquere nullatenus presumant. (Fol. 3; an I, nº 8.)

« *Collectoribus decime in regno Francie deputatis.* Exposuerunt nobis dilecti filii .. prior et fratres domus Dei de Monte Maurilii Pictavensis diocesis quod felicis recordationis G. papa predecessor noster decimam omnium proventuum ecclesiasticorum in generali concilio Lugdunensi usque ad certum tempus Terre Sancte subsidio deputavit, statuens quod de redditibus et proventibus domorum et hospitalium pauperum, qui infirmorum et pauperum sunt usibus deputati, decima penitus non solvatur. Verum licet iidem prior et fratres se ac omnia que habent obsequiis pauperum et infirmorum exponant et universos redditus et proventus suos in ipsorum usus et necessitates expendant, nichilominus tamen vos eosdem priorem et fratres super ipsius solutione decime quanquam non habeant, sed omnia in ipsorum usus, deductis eorum necessariis, omnino convertant, multipliciter presumitis molestare; quare iidem prior et fratres super hoc ad apostolice provisionis remedium recurrerunt. Nos itaque eorundem prioris et fratrum molestiis in hac parte salubriter occurrere sollicitudine paterna volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, ab eisdem priore et fratribus decimam de proventibus tam grangiarum quam aliorum bonorum suorum exigere vel extorquere nullatenus presumatis. Nos enim excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas in ipsos priorem et fratres, vel eorum aliquos propter hoc contigerit promulgari, decernimus irritas et inanes. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus februarii, anno primo. »

9 Saint-Pierre, 18 mars 1278.

Melisio laico, per magistrum Nicolinum de Camilla, capella-

num pontificis, examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 3 v°; an I, n° 9.)

« *Melisio filio quondam Thobaldi de Maxima de Nimpha laico Velletrensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, xv kalendas aprilis, anno primo. »

10 Saint-Pierre, 21 mars 1278.

Brançaleoni clerico, per magistrum Nicolinum de Camilla, capellanum pontificis, examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 3 v°; an I, n° 10.)

« *Brancaleoni clerico in minoribus ordinibus constituto nato quondam Jacobi Laurentii civis Ferentinatis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, xii kalendas aprilis, anno primo. »

11 Saint-Pierre, 21 mars 1278.

Magistro Lotherio Fayde, per magistrum Nicolinum de Camilla, capellanum pontificis, examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 3 v°; an I, n° 11.)

« *Magistro Lotherio Fayde civi Velletrensi.* Ne contractuum memoria —. Dat. ut supra. »

12 Saint-Pierre, 12 mars 1278.

Ludowico de Minda clerico, per magistrum Nicolinum de Camilla, capellanum pontificis, examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 3 v°; an I, n° 12.)

« *Ludowico de Minda clerico in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, iiii idus martii, anno primo. »

13 Saint-Pierre, 15 février 1278.

Episcopo Agennensi mandat, ut de electione abbatis monasterii Clariacensis veritatem diligenter inquirat. (Fol. 3 v°; an I, n° 13.)

« .. *episcopo Agennensi.* Petitionem dilectorum filiorum conventus monasterii Clariacensis ordinis Sancti Benedicti tue diocesis audivimus continentem quod olim, eodem monasterio abbatis regimine destituto, quidam ipsius monasterii monachi quondam Bertrandum de Sancto Claro priorem de Marmanda predicti ordinis in abbatem prefati monasterii elegerunt. Verum quibusdam aliis ipsius monasterii monachis se hujusmodi electioni opponentibus ac demum negotio electionis ejusdem ad sedem apostolicam devoluto, felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster dilectum filium nostrum G. tituli Sancti Marci presbyterum cardinalem dedit in negotio partibus auditorem, coram quo negotio ipso pendente, dictus Bertrandus apud sedem eandem viam fuit universe carnis ingressus. Postmodum autem, predicti conventus convenientes in unum, vocatis omnibus qui voluerunt potuerunt et debuerunt comode interesse, Spiritus Sancti gratia prout moris est invocata, dilectum filium Gualhardum de Rupe ipsius monasterii monachum et priorem de Aculeo, virum utique ut asserunt vita et conversatione ydoneum, regulari observantia eruditum ac in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum in suum et ipsius monasterii abbatem canonice et concorditer elegerunt. Porro nonnullis asserentibus, pro eo quod dictus Bertrandus apud sedem predictam obiit, provisionem monasterii prelibati, propter constitutionem pie memorie O. pape predecessoris nostri super personatibus, dignitatibus et beneficiis apud sedem ipsam vacantibus editam, ad Romanum duntaxat pontificem pertinere, tu presentatam tibi electionem hujusmodi de Gualhardo celebratam eodem distulisti pro ipsius sedis reverentia confirmare. Quare pro parte ipsius conventus humiliter petebatur a nobis ut, cum idem monasterium occasione questionis premisse dampna plurima sustinens et expensas, in spiritualibus et temporalibus non modicum incurrerit detrimentum, providere super hoc misericorditer curaremus. Nolentes ergo ut prefatum monasterium cui super premissis affectu paterno compatimur, propter hoc remaneat amplius pastoris proprii regimine destitutum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus constitutione non obstante predicta de modo electionis predicte ac eligentium studiis et electi meritis diligentius veritatem et circa confirmationem vel infirmationem electionis ejusdem officii tui debitum exequeris, contradictionem —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, xv kalendas martii, anno primo. »

14 Saint-Pierre, 4 mars 1278.

Venture mandat, ut decime ad Terre Sancte subsidium concesse in partibus Lombardie, Marchie Trevisine, Aquileiensis et Gradensis patriarchatuum, et archiepiscopatus Januensis colligende curam gerat. (Fol. 4; an I, n° 14; Posse 903.)

« *Venture archipresbytero Clusino scriptori meo.* Inter

cetera hoc —. Sane dudum felicis recordationis G. papa predecessor noster quondam Arditionem decanum Nicosiensem collectorem decime omnium ecclesiasticorum proventuum et redditum, quam ipse Terre Sancte subsidium prefato approbante generali concilio concesserat, in partibus Lombardie, Marchie Tervisine, Aquileiensi et Gradensi patriarchatibus et archiepiscopatu Januensi, ut accepimus, deputavit. Verum quia, eodem Arditione sublato de medio, collectio decime negligitur in partibus memoratis, nos, negotium dicte Terre cupientes sedulis studiis promovere ut tandem auctore Deo votivo dirigatur processu ac de tua circumspectione gerentes in domino fiduciam pleniorem, te in hujusmodi collectionis ministerio decime eidem Arditioni duximus subrogandam (*sic*), discretioni tue presentium auctoritate mandantes quatinus predicte decime colligende in dictis partibus subscripto modo sollicite curam geras, videlicet ut in singulis civitatibus et diocesibus partium earundem de consilio locorum ordinarii aut ejus vicem gerentis, si diocesanus ipse absens fuerit, et duorum fidedignorum de ecclesia cathedrali constitutorum in dignitatibus seu aliorum quo ad non exemptos quo ad exemptos vero de consilio aliquorum proborum de contrata deputes duas personas fide, facultatibus, si tales inveniantur comode, ac alias ydoneas ad collectionis hujusmodi ministerium exequendum. Collectores vero, quos ut premittitur deputabis, in forma jurare facies infrascripta. Et tu nichilominus partes easdem circumeas diligentius scrutaturus qualiter in commisso sibi dicte collectionis officio iidem se habeant collectores, qualiter ipsis de decima satisfiat, collectamque per illos ex decima ipsa pecuniam de predictorum ordinarii et aliorum consilio facias per collectores eosdem in tutis locis vel loco deponi. Tibi quoque cum consilio eorundem ordinarii et aliorum mutandi collectores ipsos, quotiens videris expedire, ac eos compellendi ad reddendam coram eisdem ordinariis et aliis tibi computum de collectis et contradictores quoslibet auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam compescendi plenam eadem auctoritate concedimus potestatem. Et ut tam tu quam dicti collectores fructum de vestris laboribus reportetis, premissa tibi et eis in remissionem peccatorum injungimus et nichilominus a prestatione decime pro annis illis quibus circa ea laborabitis volumus vos esse immunes. Te preterea illius indulgentie concedimus esse participem, que crucesignatis personaliter transfretantibus in Terre prefate subsidium est concessa, et quod de pecunia ex ipsa decima colligenda singulis diebus in quibus circa premissa vacabis duodecim solidos imperialium vel valorem ipsorum percipias pro expensis, non obstante si —. Volumus autem ut frequenter nobis scribere studeas quid actum fuerit in qualibet provincia tam circa collectores quam circa collectionem, quantitatem ipsius collectam, depositionem, locum depositionis ac modum; et insuper de premissis fideliter ac sollicite prosequendis prestes tactis sacrosanctis evangeliis juramentum, considerans itaque quod in premissis negotium Dei prosequeris et in conspectu agis ejus qui cuncta discernit, sibique necnon et nobis, qui circa hoc omnem diligentiam adhibere intendimus, teneberis reddere rationem ab utroque pro meritis recepturus, sic prudenter in illis habere te studeas sic consulte quod utriusque judicio non solum vites pene confusionisque discrimina sed laudis titulos et gratiam ac retributionis premium assequaris. Forma autem juramenti quod prestare volumus collectores eosdem hec est. Juro ego .. a vobis Ventura auctoritate apostolica deputatus collector ad exigendum, colligendum et recipiendum decimam omnium redditum et proventuum ecclesiasticorum ab omnibus personis ecclesiasticis non exemptis in .. civitatibus et diocesibus constitutis a sede apostolica pro subsidio Terre Sancte concessam, quod fideliter exigam, colligam, recipiam atque custodiam ipsam decimam, non deferendo in hiis alicui persone cujusque ordinis, status, cognitionis aut dignitatis existat, prece, timore, gratia vel favore vel alia quacumque de causa, et eam integre restituam et assignabo, prout a vobis recepero in mandatis. Et super premissis omnibus et singulis plenam et fidelem rationem reddam vobis, et si contingat vos officium quod in premissis geritis dimittere hec eadem faciam juxta mandatum illius qui substituetur in eodem officio; sic me Deus adjuvet et hec sancta evangelia. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas martii, anno primo. »

15 Saint-Pierre, 21 mars 1278.

Philippo de Balena, per magistrum Nicolinum de Camilla, capellanum pontificis, examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 4 v°; an I, n° 15.)

« *Philippo de Balena judici Terracinensi.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XII kalendas aprilis, anno primo. »

16 Saint-Pierre, 1er mars 1278.

Collectori decime in Tuscie partibus deputato mandat quatinus abbatissam et conventum monasterii Sancti Stephani extra muros Pisanos a prestatione decime reddat immunes. (Fol. 4 v°; an I, n° 16.)

« *Collectori decime in Tuscie partibus deputato.* Expo-

suerunt nobis .. abbatissa et conventus monasterii sancti Stephani extra muros Pisanos ordinis Sancti Benedicti quod ex diris et continuis guerris, que in civitate et diocesi Pisano dudum invaluisse noscuntur, adeo sunt redditus ipsius monasterii diminuti, quod non solum ipsi ad sustentationem sufficiunt earundem, verum etiam propter onus paupertatis nimie quo premuntur sub mendicitatis erubescentia vite necessaria publice querere compelluntur. Quare ipse ad apostolice sedis clementiam recurrentes nobis humiliter supplicarunt ut ipsas a prestatione decime eximere misericorditer dignaremur. Nos itaque ipsarum paupertati pio compatientes affectu, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita dictas abbatissam et conventum ab hujusmodi prestatione decime reddas immunes. Dat. Rome apud sanctum Petrum, kalendis martii, anno primo. »

17 Saint-Pierre, 28 mars 1278.

Palmerio de Cucullo, canonico ecclesie Valvensis, mandat quatinus capitula ecclesie Marsicane et ecclesie Sancti Johannis de Celano, Jacobum, electum Marsicanum, ac fratrem Antonium, et alios diversos peremptorie citare procuret, ut coram pontifice compareant. (Fol. 4 v°; an I, n° 17.)

« *Palmerio de Cucullo canonico ecclesie Valvensis.* Ecclesia Marsicana dudum pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius — dilectum filium Jacobum de Venere, ipsius ecclesie canonicum, virum ut dicitur providum et honestum ac circonspectum in spiritualibus et in temporalibus, in eorum et ejusdem ecclesie episcopum canonice ac concorditer elegisse dicuntur. Sed .. prepositus et capitulum ecclesie sancti Johannis de Celano Marsicane diocesis, asserentes se jus habere in electione episcopi Marsicani ac se in hujusmodi electione celebrata de dicto Jacobo fuisse contemptos, vocem appellationis ad sedem apostolicam emisisse dicuntur ac postmodum dilectum filium fratrem Antonium de Celano ordinis Predicatorum in Marsicanum episcopum postularunt. Hujusmodi autem electionis et postulationis negotio ad sedem delato prefatam, felicis recordationis G. papa decimus predecessor noster dilectum filium nostrum M. Sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem dedit in negotio ipso partibus auditorem, coram quo hinc inde libellis oblatis ac lite super hiis legitime contestata factisque positionibus et responsionibus subsecutis, commissa quoque in partibus illis receptione ac examinatione testium in negotio memorato, quanquam adhuc depositionum dictorum testium remissio non sit facta, tamen iidem prepositus et capitulum ecclesie Sancti Johannis cum prefato capitulo Marsicano ad concordiam venientes expresse renuntiaverunt et cesserunt ea vice liti et questioni, oppositioni et contradictioni factis per eos contra prefatam electionem de memorato Jacobo celebratam, promittentes quod ipsi electioni se ulterius non opponent, prout in instrumento publico inde confecto sigillato sigillis prepositi et capituli dicte ecclesie Sancti Johannis plenius dicitur contineri. Verum cum dicti capitulum Marsicanum cupiant ut negotium ipsum in tuto procedat, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus tam supradicta capitula quam eosdem Jacobum ac fratrem Antonium ubi reperti fuerint necnon omnes alios qui sua crediderint interesse ac etiam ipsum fratrem Antonium, si forte comode inveniri non poterit, cum propriam non habeat mansionem, in locis publicis ad hoc competentibus, ex quibus nostra citatio ad illius notitiam verisimiliter possit melius pervenire, auctoritate nostra per te vel per alium aut alios peremptorie citare procures, ut infra unum mensem post citationem hujusmodi cum omnibus actis, juribus et munimentis suis negotium prelibatum contingentibus per se vel procuratores ydoneos compareant coram nobis, facturi et recepturi super premissis quod ordo dictaverit rationis; diem vero citationis et formam nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v kalendas aprilis, anno primo. »

18 Saint-Pierre, 23 mars 1278.

Priori Predicatorum Ilerdensi, guardiano Dertusiensi Minorum fratrum ordinum, et archidiacono majori Terraconensi mandat quatinus monasterium Sancti Petri Aggerensis, ordinis S. Augustini, Urgellensis diocesis, inquisita veritate super excessibus abbatis, canonicorum et clericorum, diligentius reforment, et Guillelmum canonicum ad locum suum restituant. (Fol. 5; an I, n° 18; Potthast 21287.)

« *Dilectis filiis .. priori Predicatorum Ilerdensi, .. guardiano Dertusiensi Minorum fratrum ordinum ac .. archidiacono majori Terraconensi.* Accedens ad sedem —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas aprilis, anno primo. »

19 Saint-Pierre, 6 avril 1278.

Paganum ecclesie Mediolanensis ordinarium in episcopum Famagustanum preficit. (Fol. 5 v°; an I, n° 19.)

« *Pagano electo Famagustano.* Onerosa pastoralis —. Sane dudum Famagustana ecclesia pastoris solatio des-

tituta, contigit in ea de dilecto filio .. magistro scolarum Antiocheno electionem celebrari, qui tandem jus si quod sibi ex electione hujusmodi competebat libere resignavit. Nos itaque, paterna volentes sollicitudine precavere ne dicta ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurrat et ad personam tuam nobis tuorum exigentia meritorum acceptam animum dirigentes, te ordinarium ecclesie Mediolanensis eidem ecclesie Famagustane de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum preficimus et pastorem, administrationem ipsius ecclesie Famagustane tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, sperantes quod —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus aprilis, anno primo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Famagustane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Famagustane. Dat. ut supra.

20 Saint-Pierre, 9 avril 1278.

Ecclesie Corinthiensi, per translationem P. ad ecclesiam Cusentinam vacanti, Guillelmum, fratrem ordinis Predicatorum, penitentiarium suum, archiepiscopum preficit, et eidem munus consecrationis suis manibus impendit. (Fol. 6; an I, nº 20.)

« *Guillelmo archiepiscopo Corinthiensi.* Ex incumbenti nobis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V idus aprilis, anno primo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Corinthiensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Corinthiensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Corinthiensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Corinthiensis.
In e. m. suffraganeis ecclesie Corinthiensis. Dat. ut supra.

21 Saint-Pierre, 9 avril 1278.

Principi Achaye mandat quatinus ecclesie Corinthiensis jura benigno favore protegat et defendat. (Fol. 6; an I, nº 21.)

« *Nobili viro .. principi Achaye.* Divine gratia majestatis —. Dat. ut supra. »

22 Saint-Pierre, 9 avril 1278.

G. archiepiscopo Corinthiensi palleum insigne pontificalis officii de corpore beati Petri sumptum per Jacobum, sancte Marie in Cosmidin, diaconum cardinalem, prestito fidelitatis solite juramento, assignat. (Fol. 6; an I, nº 22.)

« *G. archiepiscopo Corinthiensi.* Cum palleum insigne —. Dat. ut supra. »

23 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Petrum archiepiscopum de ecclesia Corinthiensi ad ecclesiam Cusentinam transfert. (Fol. 6; an I, nº 23.)

« *Petro archiepiscopo Cusentino.* In dispensatione ministeriorum —. Sane olim Cusentina ecclesia per mortem bone memorie Belprandi archiepiscopi decedentis apud sedem apostolicam pastoris solatio destituta, nos provisionem ipsius ecclesie nobis ea vice duximus reservandam, nolentes quod .. decanus et capitulum ipsius ecclesie ad electionem seu postulationem faciendas in ipsa ecclesia procedere presumerent quoquomodo ac decernentes irritum et inane si secus super hoc contingeret attemptari. Demum vero de provisione hujusmodi sollicite cogitantes, ne dicta ecclesia — in te tunc archiepiscopum Corinthiensem direximus oculos nostre mentis, quem nobis et fratribus nostris de litterarum scientia, morum maturitate, religionis honestate, prudentia spiritualium et temporalium providentia, familiaris experientia noscitur approbasse. Quapropter gregi dominico paterna volentes diligentia providere, de predictorum fratrum nostrorum consilio, te a vinculo quo tenebaris Corinthiensi ecclesie, cui preeras, absolventes et transferentes ad predictam ecclesiam Cusentinam, de apostolice plenitudine potestatis te ipsi ecclesie Cusentine preficimus in archiepiscopum et pastorem, liberam tibi dantes licentiam ad eandem Cusentinam ecclesiam transeundi, tibique palleum insigne videlicet pontificalis officii, a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum, juxta formam solitam ad nomen et usum ejusdem ecclesie Cusentine fecimus assignari, firmam spem fiduciamque —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis aprilis, anno primo. »

In eundem modum decano et capitulo ecclesie Cusentine.
In e. m. clero civitatis et diocesis Cusentine.
In e. m. populo civitatis et diocesis Cusentine.
In e. m. universis vassallis ecclesie Cusentine.
In e. m. episcopo Marturanensi, ecclesie Cusentine suffraganeo. Dat. ut supra.

24 Saint-Pierre, 29 janvier 1278.

Super causa electionis, in ecclesia Strigoniensi jam diu va-

cante per mortem archiepiscopi Philippi, celebrande, Karacino et Nicolao clericis, procuratoribus Nicolai prepositi ecclesie Transilvane, ac magistro Paulo, preposito ecclesie Vesprimiensis, procuratori Vesprimiensis episcopi, secundam feriam resurrectionis Domini octavas immediate sequentem, pro peremptorio termino assignat. (Fol. 7; an I, nº 24; POTTHAST 21265.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Dilectis filiis Karacino —. Actum Rome apud Sanctum Petrum in palatio nostro, III kalendas februarii (1), anno primo. »

25 Saint-Pierre, 6 avril 1278.

Ecclesie Bracharensi per translationem O. in episcopum Tusculanum assumpti vacanti fratrem Tellium, ministrum ordinis Minorum, licet absentem, in archiepiscopum preficit, et ei mandat quatinus sedem apostolicam adeat pro consecrationis munere obtinendo. (Fol. 7 vº; an I, nº 25; POTTHAST 21301.)

« *Fratri Tellio electo Bracharensi.* Militanti ecclesie disponente —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus aprilis, anno primo. »

In eundem modum decano et capitulo Bracharensibus.
In e. m. clero civitatis et diocesis Bracharensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Bracharensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Bracharensis.
In e. m. universis suffraganeis ecclesie Bracharensis. Dat. ut supra.

26 Saint-Pierre, 6 avril 1278.

Regi Portugalie mandat quatinus, archiepiscopo Bracharensi reddens affectum benevolum, ejusdem ecclesie jura benigno favore protegat et defendat. (Fol. 8; an I, nº 26.)

« *Regi Portugalie illustri spiritum consilii sanioris.* Divine gratia majestatis —. Dat. ut supra. »

27 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Episcopo Ovetensi, collectori decime in Castelle et Legionis regnis deputato, mandat quatinus episcopum, capitulum et clericos diocesis Tudensis ad prestandum decimam contra ordinationem regis Legionis non compellat. (Fol. 8; an I, nº 27.)

« .. *episcopo Ovetensi collectori decime in Castelle et Legionis regnis deputato.* Significarunt nobis venerabilis frater noster .. episcopus et dilecti filii capitulum Tudense ac clerici tam religiosi quam seculares civitatis et diocesis Tudensis regni Legionis quod, cum felicis recordationis Gregorius papa predecessor noster carissimo in Christo filio nostro.. regi Castelle illustri decimam omnium ecclesiasticorum proventuum per sex annos in Lugdunensi concilio deputatam in subsidio Terre Sancte in regnis suis contra execrabilem Sarracenorum audaciam, que in eisdem regnis proh dolor, ut asseritur, in christianos insurgit, pio concessisset affectu, tandem prelatis, capitulis ceterisque clericis ecclesiarum in eisdem regnis consistentium asserentibus quod decimam pro anno quo in eodem concilio decima ipso deputata extitit solvere non poterant absque gravi incomodo eorundem, idem rex in dictorum prelatorum, capitulorum et aliorum clericorum favorem ordinavit quod iidem hujusmodi decimam solvere sibi inciperent anno predictum annum immediate sequente. Verum quia, ut proponitur, te dictos episcopum, capitulum et clericos hujusmodi decimam solvere contra hujusmodi ordinationem compellis pro tue libito voluntatis, iidem nobis humiliter supplicarunt ut providere ipsis super hoc de congruo remedio dignaremur. Nos itaque, ipsorum supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, prefatos episcopum, capitulum et clericos ad prestandum hujusmodi decimam contra ordinationem hujusmodi compellere non presumas, declarationem de redditibus beneficiorum, que summam septem librarum Turonensium non excedunt, ab eodem predecessore factam inviolabiliter in exigenda decima servaturus ac tandem relaxaturus sententias, si quas forsitan in eos occasione hujusmodi per te vel per alium promulgasti; super irregularitate, si quam ipsi immiscendo se divinis officiis vel suscipiendo ordines exinde contraxerunt, dispensando nichilominus cum eisdem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis aprilis, anno primo. »

28 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro episcopo et capitulo Oxomensibus, ac clero ejusdem civitatis et diocesis. (Fol. 8; an I, nº 28.)

« *Eidem.* Significarunt nobis — etc. ut in alia usque in fine. »

29 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro clericis ecclesiarum

(1) Potthast indique à tort la date VI kal. februarii.

archipresbiteratuum Compostellane civitatis et diocesis. (Fol. 8; an I, nº 29.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

30 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro clero archidiaconatus Alavensis in ecclesia Calaguritana. (Fol. 8; an I, nº 30.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

31 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro episcopo et capitulo Burgensibus, ac clericis ejusdem civitatis et diocesis. (Fol. 8; an I, nº 31.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

32 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro archiepiscopo et capitulo Compostellanis, ac clericis ejusdem civitatis et diocesis. (Fol. 8; an I, nº 32.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

33 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro clero civitatis et diocesis Salamantine. (Fol. 8; an I, nº 33.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

34 Saint-Pierre, 7 mai 1278.

In eundem modum scribit eidem pro episcopo, decano et capitulo Calagurritanis et Calciatensibus. (Fol. 8 vº; an I) (1).

« *Eidem*. Significarunt nobis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis maii, anno primo. »

35 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro episcopo et capitulo Auriensibus, ac clericis ejusdem civitatis et diocesis. (Fol. 8 vº; an I, nº 34.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. ut in alia usque in fine. »

36 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro episcopo et capitulo Minduniensibus, ac clericis ejusdem civitatis et diocesis. (Fol. 8 vº; an I, nº 35.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

37 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro capitulo et clero Tholetanis. (Fol. 8 vº; an I, nº 36.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

38 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro Lucensibus, ac clericis ejusdem civitatis et diocesis. (Fol. 8 vº; an I, nº 37.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

39 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro de Jampozo et de Avengedo archipresbiteratuum clericis Compostellane diocesis. (Fol. 8 vº; an I, nº 38.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

40 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro episcopo et capitulo Palentinis, ac clericis ejusdem civitatis et diocesis. (Fol. 8 vº; an I, nº 39.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

41 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

In eundem modum scribit eidem pro episcopo et capitulo

(1) Cette bulle, ajoutée après coup en haut du folio, ne porte pas de numéro dans le Registre.

Conchensibus, ac clero ejusdem civitatis et diocesis. (Fol. 8 v°; an I, n° 40.)

« *Eidem*. Significarunt nobis — etc. usque in fine. »

42 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Magistro Gerardo de Mutina, subdiacono et scriptori suo, collectori decime in Ungaria, Pollonia et Jadrensi provinciis, mandat quatinus ad executionem negotii studeat vigilanter intendere. (Fol. 8 v°; an I, n° 41; Potthast 21296.)

« *Magistro Gerardo de Mutina subdiacono et scriptori nostro, collectori decime in Ungaria, Pollonia et Jadrensi provinciis Terre Sancte subsidio deputate.* Felicis recordationis G. —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis aprilis, anno primo. »

43 Saint-Pierre, 13 février 1278.

In eundem modum scribit magistro Rogero de Merlomonte, canonico Virdunensi, collectori decime in Treverensi, Maguntina et Salzeburgensi provinciis. (Fol. 8 v°; an I, n° 41) (1).

« In eundem modum. *Magistro Rogero de Merlomonte, canonico Virdunensi, collectori decime Terre Sancte in Treverensi, Maguntina et Salzeburgensi provinciis deputato.* Felicis recordationis G. papa predecessor noster etc. ut in proxima superiori, verbis competenter mutatis usque premissa vacares. Tres solidos et dimidium sterlingorum perciperes pro expensis non obstante etc. usque assequi merearis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus februarii, anno primo. »

44 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Ecclesie Salamantine Nunonem, archidiaconum de Salves in ecclesia Compostellana, in episcopum preficit. (Fol. 9; an I, n° 42.)

« *Nunoni electo Salamantino.* De variis innumerisque —. Sane dudum Salamantina ecclesia pastoris solatio destituta, canonicis ipsius ecclesie in diversa dividentibus vota sua, quidam ex eis venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Gadicensem postulare, reliqui vero dilectum filium Guiraldum Garsie ejusdem ecclesie canonicum eligere in Salamantinum episcopum curaverunt. Negotio autem postulationis et electionis hujusmodi per appellationes ad sedem apostolicam legitime devoluto, dicti episcopus et canonicus devota consideratione pensantes dampna que verisimiliter possent ex hoc eidem ecclesie provenire, ac nolentes quod eorum occasione ipsa collaberetur ecclesia vel quevis incurreret detrimenta, jus si quod eidem episcopo ex postulatione et dicto canonico ex electione hujusmodi competebat, libere in nostris manibus resignarunt. Nos ergo paterna volentes — te tunc archidiaconum de Salves in ecclesia Compostellana, licet absentem, predicte Salamantine ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis preficimus in episcopum et pastorem, administrationem ejusdem ecclesie tibi spiritualiter et temporaliter committentes. Quocirca discretioni tue —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis aprilis, anno primo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Salamantine.

In e. m. clero civitatis et diocesis Salamantine.

In e. m. populo civitatis et diocesis Salamantine.

In e. m. universis vassallis ecclesie Salamantine. Dat. ut supra.

45 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Regi Castelle ac Legionis mandat quatinus, eidem electo reddens affectum benivolum et opere generosum, ejusdem ecclesie jura benigno favore protegat et defendat. (Fol. 9; an I, n° 43.)

« *Regi Castelle ac Legionis illustri.* Divine gratia majestatis —. Dat. ut supra. »

46 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Electo Upsalensi significat se Lincopensi et Roskildensi episcopis per Andream canonicum Upsalensem et Symonem rectorem ecclesie de Giristum Upsalensis diocesis, procuratores ipsius, pallium misisse, ut illud ipsi vice sua assignent et tradant. (Fol. 9 v°; an I, n° 44; Potthast 21298.)

« *Jacobo electo Upsalensi.* Munus confirmationis et consecrationis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis aprilis, anno primo. »

In eundem modum Andree canonico Upsalensi et Symoni rectori ecclesie de Giristum Upsalensis diocesis, verbis competenter mutatis.

In e. m. Lincopensi et Roskildensi episcopis, verbis competenter mutatis.

(1) Cette bulle a été ajoutée, après coup, en bas du folio.

47 Saint-Pierre, 9 avril 1278.

Ecclesie Grossetane B. fratrem ordinis Minorum in episcopum preficit, postulatione a capitulo facta de Bindo de Monte Orgi..., ejusdem ecclesie preposito, ex causis variis non admissa. (Fol. 9 v°; an I, n° 45; Potthast 21302.)

« *B. episcopo Grossetano.* Militanti ecclesie disponente —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus aprilis, anno primo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Grossetane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Grossetane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Grossetane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Grossetane. Dat. ut supra.

48 Saint-Pierre, 9 avril 1278.

Nobili viro Ildebrandino comiti de Sancta Flora mandat quatinus ejusdem ecclesie jura in suis terris consistentia benivolo favore protegat et defendat. (Fol. 10; an I, n° 46.)

« *Nobili viro Ildebrandino comiti de Sancta Flora.* Divine gratia majestatis —. Dat. ut supra. »

In eundem modum nobili viro Ildebrandino de Pitilliano comiti Tuscie palatino.

49 Saint-Pierre, 7 mai 1278.

Electionem Guillelmi canonici Rothomagensis in archiepiscopum Rothomagensem confirmat. (Fol. 10; an I, n° 47.)

« *Guillelmo electo Rothomagensi.* Sollicitudinis apostolice studium —. Sane Rothomagensi ecclesia dudum pastoris solatio destituta, dilecti filii .. decanus et capitulum ejusdem ecclesie, demum in hujusmodi negotio per viam scrutinii procedentes, tres ex ipsorum collegio ejusdem ecclesie canonicos fidedignos ad scrutandum vota cunctorum juxta formam generalis concilii assumpserunt. Eisdem ergo canonicis sua et omnium aliorum canonicorum predicte ecclesie, qui propter hoc convenerant, vota scrutantibus et mox publicantibus, in communi compertum extitit quod, cum quadraginta quatuor essent canonici dicte ecclesie tunc vocem in prelati electione habentes, viginti et octo ex eis in te suos consensus direxerant, reliquis in diversos dirigentibus vota sua, sicque collatione habita, ut est moris, unus ex predictis viginti et octo qui in te consenserant de mandato et consensu reliquorum viginti et septem sua et eorum vice te in Rothomagensem archiepiscopum et pastorem elegit, tuque demum prebuisti hujusmodi electioni de te celebrate consensum. Verum dilecti filii Adam Rigaudi et Guido de Raumenello canonici ecclesie memorate se opponentes electioni predicte ad sedem apostolicam appellarunt, in appellationis sue forma contra personam tuam diversa crimina opponentes. Te itaque et dilectis filiis magistro Petro de Joagniaco pro se ac Hugone de Amolio cancellario et Johanne de Melleto, Symone de Marco et Grimerio de Arcellis in prosecutione hujusmodi negotii sibi adherentibus canonicis ipsius ecclesie tuis electoribus, quorum idem magister Petrus procurator erat ex parte una, dicto vero Guidone personaliter et Adam de Nigella, procuratore ipsius Ade Rigaudi, super eodem negotio sedem adeuntibus supradictam, extitit super hoc apud eam inter partes aliquandiu disceptatum, et tandem dictus Adam de Nigella, habens a dictis A. et G. ad hoc speciale mandatum, in nostra presentia appellationi sub certa forma que postmodum observata extitit renuntiavit eidem et ab hujusmodi criminum oppositione recessit. Nos autem paterna — electionem ipsam quo ad formam et tandem personam tuam in scientia examinavimus et examinari fecimus diligenter, et quia electionem eandem invenimus de persona competentis scientie et alias ydonea canonice celebratam, predictam electionem de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam teque ipsi ecclesie preficimus archiepiscopum et pastorem, firmam spem —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis maii, anno primo. »

In eundem modum decano et capitulo ecclesie Rothomagensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Rothomagensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Rothomagensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Rothomagensis.
In e. m. suffraganeis ecclesie Rothomagensis. Dat. ut supra.

50 Saint-Pierre, 7 mai 1278.

Regi Francorum mandat quatinus, prefato electo reddens affectum benevolum et opere generosum, ejusdem ecclesie jura protegat et defendat. (Fol. 10 v°; an I, n° 48.)

« *Regi Francorum illustri.* Divine gratia majestatis —. Dat. ut supra. »

51 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Electionem Arnaldi tunc canonici Baionensis in episcopum Aquensem confirmat. (Fol. 11; an I, n° 49.)

« *Arnaldo episcopo Aquensi.* Licet continuata superve-

nientium —. Sane olim Aquensi ecclesia pastoris solatio destituta, canonicis ejusdem ecclesie tunc novem numero in diversa dividentibus vota sua, tres electiones in eadem ecclesia, videlicet quinque ex eis meliores et majores, sicut asseritur, unam de te tunc canonico Baionensi, tres vero aliam de quondam fratre Petro de Camona ordinis Minorum, et unus tertiam de dilecto filio magistro Raymundo de Barta tunc officiali Auxitano in discordia celebrarunt, et tandem hujusmodi electionum negotio per appellationes ad sedem apostolicam legitime devoluto, felicis recordationis Gregorius papa predecessor noster dilectum filium nostrum J. Sancte Marie in Cosmidin diaconum cardinalem dedit partibus auditorem. Postmodum vero dicto fratre Petro rebus humanis exempto, dicti tres qui sic eundem Petrum elegerant dilectum filium fratrem Garsiam Arnaldi de Canpene monachum monasterii de Berdoes Cisterciensis ordinis, pendente coram eodem cardinali dicto negotio, elegerunt et demum parum extitit per eos in hujusmodi causa processum. Sed unus ex ipsis tribus electoribus sicut Domino placuit expiravit, et alii nec duo nec electus ab eis tribus nec alius unus nec etiam electus ab ipso comparere in eadem causa ulterius curaverunt, citati peremptorie diversis temporibus in audientia publica, ut est moris, et per annum et amplius expectati. Porro te ad sedem apostolicam accedente ac capitulo ipsius Aquensis ecclesie electionem de te in eadem ecclesia celebratam unanimiter et concorditer petentibus confirmari, tam electionem ipsam et processum super hoc habitum quam te per bone memorie B. Sabinensem episcopum et dilectum filium nostrum G. tituli Sancti Marci presbiterum et predictum Jacobum cardinales examinari fecimus diligenter, et quia invenimus electionem eandem de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, et preficientes te predicte Aquensi ecclesie in episcopum et pastorem tibi munus consecrationis de nostris manibus, nullum propter hoc Auxitana ecclesia in posterum exinde passura prejudicium, duximus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes —. Dat. Rome apud sanctum Petrum, nonis aprilis, anno primo. »

In eundem modum capitulo Aquensi.

In e. m. clero civitatis et diocesis Aquensis.

In e. m. capdello, juratis et populo civitatis et diocesis Aquensis.

52 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Senescalco Wasconie mandat quatinus, prefato episcopo reddens affectum benivolum, ejusdem ecclesie jura protegat et defendat. (Fol. 11; an I, nº 50.)

« *Nobili viro .. senescalco Wasconie.* Divine gratia majestatis —. Dat. ut supra. »

53 Saint-Pierre, 15 mai 1278.

Ecclesie Jerosolimitane fratrem J., magistrum ordinis Predicatorum, alia postulatione capituli non admissa, in patriarcham preficit. (Fol. 11; an I, nº 51; Posse 906.)

« *Fratri J. electo Jerosolimitano ordinis fratrum Predicatorum magistro.* Etsi omnium ecclesiarum — ad id tamen circa venerandam sanctamque Jerosolimitanam ecclesiam speciali sollicitudine prosequendum non solum consideratio nos multiplicis sue specialitatis inducit, sed et singularis quem ad Terram Sanctam pastoris ecclesie ipsius sollertie presertim spiritualiter incumbentem ab olim gessimus et nunc plenius gerere tenemur ac procul dubio gestamus affectus. Quanto et enim eandem ecclesiam nostri presentia Redemptoris majori corruscare fecit privilegio sanctitatis, quanto in illis partibus celestis carismata gratie ampliavit uberius quantoque amplius ex ipsius ecclesie circumspecto regimine non indigne speratur totius Terre predicte promovenda directio et redemptio procuranda, tanto singularius ecclesia ipsa pastore indiget cujus sanctitatem vita redoleat, resonent verba doctrinam ut exemplis edificet et verbis informet, cujus industriam precedentium actuum ipsius recordatio suggerat, presentium evidentia comprobet et in futurum utrorumque conjecturam promittant. Sane dudum eadem Jerosolimitana ecclesia per obitum bone memorie Th. patriarche Jerosolimitane pastoris solatio destituta, et dilectis filiis .. priore et capitulo ipsius ecclesie dominici Sepulcri ordinis Sancti Augustini venerabilem fratrem nostrum Anglerum archiepiscopum Neapolitanum in Jerosolimitanum patriarcham postulantibus et pastorem, ac postmodum nobis decretum postulationis hujusmodi facientibus per speciales suos nuntios presentari supplicitérque a nobis petentibus ut postulationem ipsam admittere dignaremur, nos, eodem examinato decreto, postulationem ipsam, variis circumstantiis attente pensatis, non duximus admittendam, ac demum de ipsius — in te magistrum ordinis fratrum Predicatorum, de quo nobis litteralis scientia, vita laudabilis, conversatio placida, morum honestas, profunditas consilii, discretionis maturitas et probata religio que in ipsius ecclesie Jerosolimitane pastore oportuna fore premisimus pollicentur, noster animus requievit; ideoque tam gregi dominico et

eidem ecclesie Jerosolimitane, quam etiam toti Terre prefate, cujus utilitatibus per expertam circumspectionis tue sollicitudinem ad meritum et divine retributionis premium efficaciter consuli Deo auctore speramus, intendentes salubriter providere, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine, te ipsi ecclesie Jerosolimitane in patriarcham preficimus et pastorem, in illo qui dat gratias, et largitur premia, confidentes quod [illegible]. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus maii, anno primo. »

54 Saint-Pierre, 23 mai 1278.

Ecclesie Famagustane Paganum in episcopum preficit. (Fol. 11; an I, n° 52.)

« *Pagano episcopo Famagustano.* Cum ecclesiarum omnium —. Sane Famagustana ecclesia dudum viduata pastore, contigit quod in ea de dilecto filio Johanne magistro scolarum Anthioceno extitit electio, celebrataque postmodum jus si quod sibi ex electione hujusmodi competebat libere resignavit. Nos itaque — ad personam tuam, vita, scientia, fama et moribus nobis et fratribus nostris acceptam, direximus aciem mentis nostre, ac de fratrum ipsorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, consecrationis munus tibi de nostris manibus impendendo, certam quippe fiduciam —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas Junii, anno primo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Famagustane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Famagustane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Famagustane.
In e. m. vassallis ecclesie Famagustane. Dat. ut supra.

55 Saint-Pierre, 4 mai 1278.

Magistro Giffredo, canonico Cameracensi, apostolice sedis in regno Anglie nuntio, mandat quatinus exactioni eorum, que de bonis clericorum ab intestato decedentium sedi apostolice debentur, ad presens supersedeat, donec aliud mandatum in hac parte receperit. (Fol. 12; an I, n° 53.)

« *Magistro Giffredo canonico Cameracensi, camere nostre clerico, apostolice sedis nuntio.* Felicis recordationis Johannes papa XXI predecessor noster, sicut accepimus, per suas litteras inter alia tibi sub certa forma commisit ut ea, que in regno Anglie de bonis clericorum decedentium ab intestato apostolice sedi debentur, petere, exigere ac recipere per te vel per alium seu alios suo et ecclesie Romane nomine procurares. Sed tu, pretextu commissionis hujusmodi, testamenta omnium decedentium in ipso regno coram te insinuari, probari et examinari ac nichilominus de premissis cognoscere, non sine plurimorum scandalo, satagis et sic omnia bona clericorum in eodem regno taliter decedentium eidem sedi deberi vendicas, ac illa eo solo pretextu quod intestati decesserint petis et exigis in tuis manibus assignari. Quare prelati et clerus regni ejusdem, asserentes in ipso regno fuisse servatum quod apud locorum ordinarios dicti regni probabantur et insinuabantur indifferenter quorumlibet testamenta vel ultime voluntates, quodque, si clericus aliquis decederet intestatus, in quibusdam dicti regni partibus per eorum episcopos, in aliquibus per archidiaconos et in aliis per episcopos et archidiaconos pariter et conjunctim occupabantur bona clerici taliter decedentis per eos piis usibus applicanda, et hec dicti prelati et clerus egre ferentes ac reputantes exinde sibi et ecclesie Anglicane in libertatis eorum dispendium grave prejudicium generari, sicut nuper nobis per dilectos filios magistrum Willelmum de Lacornera capellanum nostrum et Johannem de Lacy officialem Eliensem speciales eorum nuntios intimarunt, petierunt super hoc eis et eidem ecclesie Anglicane salubriter provideri. Nos igitur, quos ad conservationem jurium ipsius ecclesie Romane potissime commissi nobis officii cura perstringit, ne illa tempore nostro depereant sed conservata potius equitatem sapiant et reprimant materias jurgiorum, licet hec nomine ipsius Romane ecclesie hactenus in eodem regno habita, collecta et exacta fuisse ac ad ipsam ecclesiam pertinere dicantur, ne tamen nos vel aliena preeripere vel predicte Romane ecclesie jura negligere videamur, super hiis providi maturitate consilii cum deliberatione plenaria providere sicut expedit intendentes, premissorum exactioni ea ratione duntaxat quod ab intestato decesserint ad presens supersedere te volumus, donec aliud in hac parte a nobis receperis in mandatis; alia vero per easdem litteras tibi commissa fideliter et sollicite juxta mandatum apostolicum prosequaris. Et quia cupimus de premissis habere notitiam pleniorem, presentium tibi auctoritate mandamus quatinus de circumstantiis omnium premissorum et hiis, que commissa tibi negotia in hac parte contingunt, per te ac alios studeas diligentius informari, quod scire super hoc vel percipere poteris nobis si ad nos redieris fideliter relaturus, vel si te inibi remanere contigerit per tuas litteras harum seriem continentes seriosius rescripturus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas mai, anno primo. »

56 Saint-Pierre, 25 mai 1278.

Guillelmo diacono, qui ad ecclesiam Laudunensem vacantem de permissione pape sicut pastor accessit, indulget ut, dum iter prosequatur, a quocumque maluerit archiepiscopo vel episcopo, in presbiterum ordinari, et, accersitis duobus vel tribus episcopis, munus consecrationis recipere possit. (Fol. 12; an I, nº 54.)

« *Guillemo electo Laudunensi.* Tue devotionis sinceritas promeretur ut, personam tuam apostolicis favoribus prosequentes, quod a nobis suppliciter postulas ad exauditionis gratiam quantum cum Deo possumus admittamus. Tu itaque statui ecclesie Laudunensis, que olim destituta pastore diu sub litigiorum concertatione vacavit et vacando gravia dispendia pertulit, sicut sollicitus pastor digne compatiens ac illam desiderans tua presentia refoveri, ad eandem ecclesiam sponsam tuam de permissione nostra etiam consecrationis munere non recepto accedere festinasti. Nos intendentes ut eadem ecclesia per sui sponsi presentiam relevetur a noxiis et salubribus dante Domino proficiat incrementis, tuis supplicationibus inclinati, ut dum fueris in tui prosecutione itineris constitutus a quocumque malueris archiepiscopo vel episcopo gratiam et communionem apostolice sedis habente et in quacumque provincia vel diocesi, loci diocesani non requisito consensu, te diaconum facere possis statuto tempore in presbiterum ordinari et tandem, acersitis duobus vel tribus episcopis similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis impendi tibi et per te archiepiscopo, si quem hiis interesse contigerit, utendi palleo in hiis casibus vel eorum altero diebus et temporibus oportunis liberam auctoritate presentium licentiam impertimur. Nolumus autem quod per hoc ecclesie Remensi, cujus ipsa Laudunensis ecclesia suffraganea esse dinoscitur, aliquod in posterum prejudicium generetur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas junii, anno primo. »

57 Saint-Pierre, 25 mai 1278.

Electionem in ecclesia Laudunensi de Guillelmo celebratam et a tribus cardinalibus examinatam confirmat. (Fol. 12 vº; an I, nº 55.)

« *Guillelmo electo Laudunensi.* De variis innumerisque —. Sane dudum Laudunensi ecclesia pastoris solatio destituta, dilecti filii .. decanus et capitulum ejusdem ecclesie —, demum in hujusmodi negotio per viam scrutinii procedentes, quatuor ex ipsorum collegio ejusdem ecclesie canonicos fide dignos ad scrutandum vota cunctorum unanimiter assumpserunt. Eisdem ergo canonicis sua et omnium aliorum canonicorum ecclesie predicte qui propter hoc convenerant vota scrutantibus et mox publicantibus, in communi compertum extitit quod, cum sexaginta quinque essent dicte ecclesie canonici tunc vocem in prelati electione habentes, computatis procuratoribus trium tunc infirmorum, triginta et novem ex eis in te et XXII in Johannem de Rumigniaco ecclesie prefate canonicum consensus suos direxerunt, et reliquis tribus in diversos dividentibus vota sua, uno neminem in scrutinio nominante, sicque collatione habita diligenti dictus decanus, unus ex predictis XXX et IX qui in te consenserant, de mandato et consensu reliquorum triginta et octo sua et eorum vice te in Laudunensem episcopum et pastorem elegit, tuque demum prebuisti hujusmodi electioni de te celebrate consensum; porro hujusmodi electionum negotio per appellationem ad sedem apostolicam devoluto, felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster primo bone memorie A. basilice XII apostolorum presbiterum et postmodum, eo cognitioni hujusmodi negotii propter sui debilitatem corporis se non posse comode intendere proponente, dilectum filium nostrum M. Sancte Marie in porticu diaconum cardinales deputavit in ipso negotio partibus auditores. Comparentibus itaque coram dicto M. cardinali Henrico de Sancto Medardo canonico Laudunensi et magistro Raynaldo de Verziliaco clerico quorundam te eligentium et magistro Petro de Stratis quorundam eligentium dictum Johannem procuratoribus et causas electionum hujusmodi prosequentibus, ac tam dictis Henrico et Raynaldo electionem de te celebratam confirmari et cassari reliquam, quam dicto Petro contrarium postulantibus, et super hiis libellis oblatis hinc et inde ac lite legitime contestata, factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, quia per ea que fuerant coram predicto M. cardinali proposita de causis ipsis non potuit plene liquere, dictus predecessor Bituricensi et .. Sancti Severi in ecclesia Caturcensi archidiaconis et magistro Jacobo dicto Redanete canonico Tornacensi per suas litteras sub certa forma commisit ut, elapsis duobus mensibus a receptione litterarum ipsarum, quos ad tractandum de pace predecessor ipse duxerat deputandos extunc infra quatuor menses immediate sequentes testes et instrumenta, que utraque pars super articlis quos idem M. cardinalis cum interrogatoriis eisdem archidiaconis et canonico sub suo sigillo transmisit duceret producenda, per se vel alios prudenter recipere ac dictos testes examinare curarent, prefata instrumenta de verbo ad verbum transcribi fideliter facientes. Quod si aliqua partium vel ambe testes contra se productos reprobare vellet, dicti

archidiaconis et canonicis infra unum mensem dictos quatuor immediate sequentem testes, qui essent super hujusmodi reprobatione producti, recipere ac examinare similiter procurarent; dicta omnium testium predictorum fideliter in scriptis redacta cum transcriptis instrumentorum eorundem ac articlis et interrogatoriis memoratis, sub eorum sigillis inclusa, ad sedem apostolicam transmissuri ac rescripturi nichilominus que et quanta fides deberet instrumentis hujusmodi adhiberi. Prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel per procuratores ydoneos apostolico se conspectui presentarent justam dante Domino sententiam recepture, predictis vero archidiaconis et canonico commissionem hujusmodi exequentibus diligenter et servata forma commissionis ejusdem negotium ad sedem eandem remictentibus supradictum, ac procuratoribus partium comparentibus coram predicto M. cardinali, qui de mandato predecessoris ejusdem causarum earundem cognitionem resumpsit, et ei attestationibus presentatis super earum apertione extitit diutius litigatum. Tandem predictus magister Petrus procurator predictorum eligentium dictum Johannem et ipsius Johannis et magister Guido de Cerniaco capellanus noster, tunc tuus et predictorum te eligentium procurator, coram pie memorie Johanne papa predecessore nostro consenserunt expresse quod idem predecessor attestationes easdem faceret aperiri, quibus de ipsius predecessoris mandato in presentia prefati M. cardinalis apertis et per dictum M. cardinalem discussis, auditis etiam que partes proponere voluerunt, partes in causis electionum hujusmodi concluserunt, differi tamen sententiam postulantes, facta itaque nobis et fratribus nostris per dictum M. cardinalem relatione fideli, licet contra personam tuam diversa crimina objecta fuissent, tamen cum nichil in hiis vel aliis contentis in eisdem articlis compertum existeret vel probatum quod predictam electionem de te celebratam quomodolibet impediret, personam tuam de litteratura per venerabilem fratrem .. episcopum Albanensem et dilectos filios nostros G. Basilice XII apostolorum presbiterum et predictum M. cardinales examinari fecimus diligenter, et quia eandem electionem invenimus de persona competentis scientie canonice celebratam, eam, reliqua attemptata de dicto Johanne non vitio persone sed ex defectu forme rite cassata et cassa et irrita nuntiata, de fratrum eorundem consilio duximus confirmandam, teque Laudunensi ecclesie preficimus episcopum et pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas junii, anno primo. »

In eundem modum decano et capitulo Laudunensibus.

In e. m. clero civitatis et diocesis Laudunensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Laudunensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Laudunensis. Dat. ut supra.

58 Saint-Pierre, 10 mai 1278.

Ecclesie Spoletane R., subdiaconum et capellanum suum in episcopum preficit. (Fol. 13 v°; an I, n° 56; Potthast 21317.)

« *R. episcopo Spoletano.* In supreme dignitatis —. Sane olim Spoletana ecclesia pastoris solatio destituta, canonici ejusdem pro futuri substitutione pastoris convenerunt in unum, et demum post varios super hoc tractatus inter eos habitos et processus eorum votis in diversa divisis, nonnulli ex eis quondam Leonardum archidiaconum Spoletanum eligere, reliqui vero Ugolinum de Marsano clericum postulare in Spoletanum episcopum studuerunt. Postmodum quidem dicto archidiacono apud sedem apostolicam viam universe carnis ingresso, prefatus Ugolinus quieti sue consulere cupiens in hac parte jus quod sibi super hoc ex postulatione hujusmodi competebat in nostris manibus libere resignavit. Nos itaque postulationis hujusmodi libera resignatione recepta, et de ipsius ecclesie ordinatione tanto sollicitius cogitantes quanto ipsam ejusque populum in Christi visceribus complectimur ac talem illi cupientes preesse pontificem de quo — in te tunc subdiaconum et capellanum nostrum direximus oculos nostre mentis quem nobis —. Quapropter gregi dominico speciali volentes diligentia providere, de consilio eorundem fratrum prefate Spoletane ecclesie te preficimus in episcopum et pastorem, et tibi, de mandato nostro in diaconum et presbiterum ordinato, munus consecrationis de nostris manibus duximus impendendum, firmam spem fiduciamque —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus maii, anno primo. »

In eundem modum priori et capitulo ecclesie Spoletane.

In e. m. clero civitatis et diocesis Spoletane.

In e. m. populo civitatis et diocesis Spoletane.

In e. m. universis vassallis ecclesie Spoletane. Dat. ut supra.

59 Saint-Pierre, 10 mai 1278.

Electionem in ecclesia Pisana de Rogerio tunc archidiacono Bononiensi celebratam confirmat, et palleum ei concedit. (Fol. 13 v°; an I, n° 57.)

« *Rogerio archiepiscopo Pisano.* Ad universalis ecclesie —. Sane ecclesia Pisana pastoris solatio destituta, dilecti

filii .. archipresbiter et capitulum ipsius ecclesie te tunc archidiaconum Bononiensem, moribus et vita conspicuum, litterali scientia preditum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, per viam compromissi in suum elegerunt archiepiscopum et pastorem, facientes nobis electionem ipsam per dilectos filios Ugonem de Senis, Bonacursum de Sancto Cassiano, Guelfum de Saizana, et Jacobum de Orticaria, canonicos Pisanos, eorum ad hoc procuratores et nuntios fideles ac providos presentari. Nos ergo electionem eandem examinari fecimus diligenter, et quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, eam, considerato quod rectis dispositionibus nichil debeat difficultatis afferri, de fratrum nostrorum consilio confirmantes, tibi munus consecrationis manibus nostris impendimus ac palleum de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, duximus concedendum, sperantes firmiter ex laudabilibus testimoniis que de tua circumspectione commendabiliter predicantur quod eadem ecclesia —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus maii, anno primo. »

In eundem modum archiepiscopo et capitulo ecclesie Pisane.

In e. m. clero civitatis et diocesis Pisane.

In e. m. .. potestati .. capitaneo, antianis, consilio et communi Pisanis mandat quatinus eidem archiepiscopo in recuperandis et manutenendis juribus ecclesie Pisane favorabiliter assistant, ac monitis ejusdem et mandatis intendant.

In e. m. vassallis ecclesie Pisane.

In e. m. suffraganeis ecclesie Pisane. Dat. ut supra.

60 Saint-Pierre, 15 mai 1278.

Cum fratres ordinis Minorum Cesaraugustani petitione monuerint, quod locus eorum civitatis Cesaraugustane ipsis perniciosus existit, quodque in loco fratrum, qui de Penitentia Jesu Christi dicuntur, quorum ordo non est de reservatis per constitutionem Gregorii pape decimi super hoc editam in concilio Lugdunensi, perpauci ad presens commorantur, episcopo Cesaraugustano mandat quatinus prefatum locum fratrum de Penitentia Jesu Christi cum juribus et pertinentiis suis guardiano et fratribus ordinis Minorum conferat et assignet. (Fol. 14; an I, nº 58; Potthast 21322.)

« .. *episcopo Cesaraugustano.* Sua nobis dilecti —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus maii, anno primo. »

61 Saint-Pierre, 28 mai 1278.

Monasterio Sancti Victoris Massiliensis Joannem, priorem monasterii Trenorchiensis, Cabilonensis diocesis, in abbatem preficit. (Fol. 14 vº; an I, nº 59.)

« *Johanni abbati monasterii Sancti Victoris Massiliensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti, capellano nostro.* Licet continuata supervenientium —. Sane dudum monasterio Sancti Victoris Massiliensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis Sancti Benedicti, per obitum quondam Guillelmi abbatis ejusdem monasterii pastoris regimine destituto, dilecti filii .. prior et conventus dicti monasterii, cum aliter concordare non possent, quatuor ex se ipsis commiserunt, ut ipsi alios quatuor ex monachis dicti monasterii in conclavi nominarent, quorum nomina non publicarentur aliis, sed conscripta in quadam cedula in ipsius conventus litteris interclusa sedi apostolice per speciales nuntios mitterentur, ut unum ex eis quem preeligendum duceremus, ipsi monasterio in abbatem preficere dignaremur, et tandem facta nominatione hujusmodi, .. de Seleriis et .. de Luco priores et fratres Jacobus de Garda et Egidius Theotonicus monachi dicti monasterii cum litteris ejusdem conventus sub dicta forma confectis, ex quibus etiam colligi poterat evidenter quod iidem conventus ad nos totum electionis predicte negotium remittebant, propter hoc ad nostram presentiam accedentes, ex parte dicti conventus, easdem nobis litteras presentarunt, quibus inspectis et visis nominibus predictorum quatuor monachorum in cedula predicta conscriptis, cum de personis nominatis in eadem cedula nos seu fratres nostri nullam prorsus notitiam haberemus, ne per ignorantiam hujusmodi nos contingeret minus ydoneum assumere vel postponere magis dignos, de qualitate ac conditione nominatorum personarum per predictos nuntios voluimus aliqualiter informari, ipsorum vota tam per nos quam per alios, quibus hoc commisimus, sollicite indagantes, ut possemus advertere quem ex nominatis iidem nuntii magis ydoneum reputarent ad regimen monasterii supradicti. Sed ipsis post longam super hoc deliberationem habitam nequeuntibus in unam eandemque convenire sententiam, nos de ydoneitate nominatarum personarum nequeuntes alias informari, ac nolentes in tanto negotio procedere in incertum, nostra convertimus studia ad cogitandum de aliqua persona ydonea alia a premissis, de qua possemus eidem monasterio salubriter providere, mandantes tam predictis nuntiis quam tribus aliis monachis dicti monasterii, qui tunc in Romana curia morabantur, ut nobis aliquam studerent nominare personam sufficientem et ydoneam ad prefatum monasterium gubernandum, quatinus aliqua nobis per nominationem

hujusmodi daretur instructio per quam ad provisionem hujuscemodi procedere possemus conscientia tutiori, sicque predicti septem monachi considerantes quod tu, prout ex fidedignorum testimonio habuerint, religione conspicuus, honesta vita et moribus decoratus, necnon in spiritualibus et in temporalibus circumspectus esse dinosceris, secum deliberatione habita diligenti ad regimen abbatie predicti monasterii te tunc priorem monasterii Trenorchiensis, Cabilonensis diocesis, tanquam sufficientem et ydoneum nominarunt. Nos autem paterna volentes sollicitudine precavere ne monasterium ipsum Sancti Victoris prolixe dispendia vacationis incurrat, ad personam tuam, nobis et pluribus ex fratribus nostris et eorum testimonio commendatam, aciem apostolice considerationis extendimus teque ipsi monasterio de fratrum nostrorum consilio preficimus in abbatem et tibi munus benedictionis duximus impendendum, firmam spem —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v kalendas junii, anno primo. »

In eundem modum priori et conventui ejusdem monasterii.

In e. m. universis vassallis monasterii Sancti Victoris Massiliensis. Dat. ut supra.

62 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

R., preposito ecclesie de Clavasio, collectori decime Terre Sancte in Bremensi, Coloniensi et Magdeburgensi archiepiscopatibus, mandat quatinus juxta continentiam litterarum Johannis pape XXI, que non fuerunt ante ipsius obitum illi presentate, medietatem decime primi anni, pro Terre Sancte subsidio collecte, diversis mercatoribus de Florentia infra nominatis assignare non differat. (Fol. 15; an I, nº 60; Kaltenbrunner 109.)

« *R. preposito ecclesie de Clavasio collectori decime in Bremensi, Coloniensi et Magdeburgensi archiepiscopatibus Terre Sancte subsidio deputate.* Pia dudum attentione considerans felicis recordationis Gregorius papa predecessor noster quantum ad Terre Sancte liberationem expediat, ut illud ipsius terre residuum quod remansisse dinoscitur christianis cum omni sollicitudine conservetur, quot etiam quantasque requirere hujusmodi conservatio nosceretur expensas, de fratrum suorum consilio statuit easdem expensas de totali decima que juxta Lugdunensem concilium in regnis quibuslibet pro ipsius Terre subsidio colligitur faciendas, ita quod de predictis expensis de cujusque regni decima pro rata quantitatis ipsius ratione prefate decime colligende satisfieret in quolibet eorundem. Cumque in taxatione rate hujusmodi varie perplexitates inciderent, que dilationem subventionis et satisfactionis pro expensis factis et faciendis in conservatione Terre predicte usque ad generale passagium inducere videbantur, medietatem omnium que de predicta totali decima tunc percepta seu percipienda in regnis et terris quibuslibet sub certa forma, prout in ejusdem predecessoris litteris plenius continetur, ratione primi anni ejus temporis, per quod juxta ipsius ordinationem concilii predicto subsidio eadem decima est concessa, collecta forent seu etiam colligenda prefatus predecessor de fratrum predictorum consilio deputavit, decernens quicquid post satisfactionem hujusmodi fuerit de jamdicta medietate residuum illud in ipsius terre comodum prout ante fuerat convertendum. Cum autem carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris ad requisitionem predecessoris ejusdem grandes pro ipsius Terre subsidio expensas fecerit, et ad illud manum intendat inantea porrigere adjutricem, et pie memorie Johannes papa predecessor noster per manus dilecti filii nostri S. tituli Sancte Cecilie presbiteri cardinalis apostolice sedis legati de predictis expensis factis et etiam faciendis juxta ordinationem sedis ejusdem super hoc editam regi voluerit satisfieri memorato, predecessor ipse Johannes tibi per suas litteras sub certa forma mandavit ut, reddita coram quatuor vel tribus episcopis, aut prelatis aliis seu personis autenticis, de decima primi anni collecta per te plenarie ratione, in eorum presentia medietatem ipsius decime Neso Henrici, Caro Guidonis, Carbolino Bencii, Rigalecto Vince, Jacobo Delfronte, Chino Curffagni, Raynerio Joseph, Johanni Vulpis, Noffo Deghi, Gualtero Angloti, Lapo Parisii et Ceperello Dictaiuti de Frescobaldorum, et Brimo Aldebrandini, Vermilio Jacobini, Ducio Compagni et Lapo Bruneti de Alfani Johannis societatibus, de Florentia mercatoribus vel eorum cuilibet, easdem litteras ipsius predecessoris Johannis deferentibus, per te inter societates ipsas equaliter dividendam assignare curares, de assignatione hujusmodi fieri faciens duo publica instrumenta, unum penes te retinendum et apostolice sedi reliquum destinandum. Ipse quidem predecessor Johannes cum mercatoribus ipsis ordinare curaverat ut quod eis assignatum fuerit legato predicto per mercatores ipsos integre assignetur. Verum quia eedem littere dicti predecessoris Johannis tibi non fuerint ante ipsius obitum presentate, tu sicut accepimus medietatem predictam eisdem mercatoribus non solvisti. Nos itaque volentes ut que tibi super hoc per easdem suas litteras predecessor ipse Johannes injunxerat compleantur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus premissa executioni debite mandare non differas juxta predictarum prefati predecessoris Johannis continentiam litterarum,

nobis nichilominus quid, quantum et quando mercatoribus ipsis assignari contigerit fideliter et plenarie rescripturus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis aprilis, anno primo. »

63 Saint-Pierre, 10 mai 1278.

Cum magistro Guillelmo de Hyda acolito, Londoniensis diocesis, qui pro suis et quorundam prelatorum regni Anglie, quorum procurator existit, negotiis procurandis apud sedem apostolicam moratur, dispensat ut, non obstante defectu natalium, quem patitur de clerico in minoribus ordinibus constituto genitus et soluta, in susceptis ordinibus ministrare, ad superiores promoveri, ac ecclesiasticum beneficium, etiam si curam animarum habeat, obtinere possit. (Fol. 15; an I, nº 61.)

« *Magistro Guillelmo de Hyda, acolito Londoniensis diocesis.* Illegitime genitos quos —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus maii, anno primo. »

64 Monterosi, 15 juin 1278.

Regi Francorum mandat quatinus non permittat quod mercatores Florentini, infra nominati, pretextu constitutionis contra usurarios, per officiales suos indebite molestentur. (Fol. 15 vº; an I, nº 62.)

« .. *regi Francorum illustri.* Sicut dilecti filii Teglarius de Scala, Petrus Benencase, Lapus Aymerii, Bonus Gerardini, Morellus Bonzonis, Cantinus Amatoris, Rubeus Bocarelli, Brunus Gerardi et Albertus Baldoni de societate de Scala, cives et mercatores Florentini, pro se ac aliis sociis suis nobis significare curarunt, tu voraginem usurarum aborrens omnes mercatores Italicos existentes in regno tuo capi fecisti, sub qua generalitate fuerunt nonnulli ex eisdem sociis comprehensi; et tandem quia inculpabiles aderant, eos fecisti regali providentia liberari, quibusdam aliis usurariis manifestis tua deliberatione retentis; verum quia dicti usurarii se ad quandam pecunie summam camere tue solvendam eorum culpis exigentibus obligasse dicuntur, ipsi se ad excogitatam nequitiam convertentes dictos mercatores ac si fuissent circa premissa culpabiles secum ad dispendia trahere sibique ad solutionem predicte pecunie associare nituntur, eisdem ad contributionem solutionis hujusmodi non modicam pecunie talliam imponendo. Unde cum occasione impositionis hujusmodi predicti mercatores per officiales tuos sicut accepimus molestentur, nec deceat quod qui culpa carent cum delinquentibus puniantur sed excludantur post a dispendiis quos innocentia dicitur expiasse, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus, mansuetudine regali considerans quod iidem mercatores ecclesie Romane ac tuos devotos se esse pretendunt, et illa que aliqua constitutio in tali articlo contra usurarios edita continet, cujus occasione tu ad predicta processisse diceris, se asserunt nullatenus commisisse, non permittas premissis veris existentibus quod ulterius iidem mercatores tali pretextu per officiales eosdem indebite molestentur, sed facias post revocari gravamina, si qua eis dicti officiales occasione hujusmodi forsitan intulerunt, ita quod prefati mercatores sub tua mansuetudine delectentur et devotione concrescant ac preces apostolicas, quas ad te propter hoc fiducialiter impetrarunt, tibi se gaudeant attulisse. Dat. apud Montemrosulum, XVII kalendas julii, anno primo. »

65 Monterosi, 15 juin 1278.

Idem mandat Simoni, tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato. (Fol. 15 vº; an I, nº 63.)

« *Simoni, tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Sicut dilecti filii —. Dat. ut supra. »

66 Monterosi, 15 juin 1278.

Regi Francie idem mandat pro mercatoribus Florentinis infrascriptis. (Fol. 15 vº; an I, nº 64.)

« .. *regi Francorum illustri.* Sicut dilecti filii Thomas Spiliati, Manectus et Hugo Spine, Ruco Cambii, Pinus Caleanni, Cionus Marzoli, Clarus Sagine, Feo Bonfantini, Lapus Johannis, et Bancus Maineti, de societate predictorum Thome ac Hugonis, cives et mercatores Florentini, pro se ac sociis suis —. Dat. ut supra. »

67 Monterosi, 15 juin 1278.

Idem mandat Simoni, tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato. (Fol. 15 vº; an I, nº 65.)

« *Simoni, tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Sicut dilecti filii —. Dat. ut supra. »

68 Monterosi, 15 juin 1278.

Regi Francie idem mandat pro mercatoribus Florentinis infrascriptis. (Fol. 15 vº; an I, nº 66.)

« .. *regi Francorum illustri.* Sicut dilecti filii Franciscus et Franketus ac Jacobus Rimbertini et Ubertus Guelfus

et Mannittus Raynaldi, Symon Rote, Bonasenia Bonacursi, Rota Gerardi, Pepo Bonapresa, et Francus Piunanelli de societate Rimbertinorum et Puliciorum, cives et mercatores Florentini —. Dat. ut supra. »

In eundem modum pro eisdem Simoni, tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato. Dat. ut supra.

69 Saint-Pierre, 13 mai 1278.

Pontio, sacriste ecclesie Gerundensis, indulget ut eandem sacristiam cum ecclesia de Altoverio, Terraconensis diocesis, juxta tenorem dispensationis Johannis pape XXI, licite retinere possit. (Fol. 15 v°; an I, n° 67.)

« *Pontio sacriste ecclesie Gerundensis.* Meritis tue devotionis inducimur ut te spirituali gratia prosequamur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod felicis recordationis Johannes pape XXI predecessor noster ad instantiam dilecti filii Hugonis de Mataplana archidiaconi Urgellensis fratris tui tecum auctoritate apostolica dispensavit ut preter ecclesiam de Altoverio Terraconensis diocesis, quam curam animarum habentem te canonice obtinere asseris, posses unicum ecclesiasticum beneficium, personatum, vel dignitatem etiam si similem curam haberet et tibi canonice offerretur licite recipere et cum predicta ecclesia libere retinere, constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante; tuque post dispensationem hujusmodi sacristiam ecclesie Gerundensis es prout asseris canonice assecutus. Verum quia in ejusdem dispensationis litteris de quibusdam beneficiis sine animarum cura que ante dispensationem ipsas obtinebas nulla mentio facta fuit, licet ea prius quam predictam sacristiam reciperes libere resignasses, super hoc haberes conscientiam remordentem. Quare nobis humiliter supplicavisti ut providere tibi super hoc paterna diligentia curaremus. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue premissis veris existentibus auctoritate presentium indulgemus ut, non obstante quod in predictis litteris de beneficiis ipsis taliter resignatis mentio non habetur, predictam sacristiam cum eadem ecclesia de Altoverio juxta ejusdem dispensationis tenorem possis licite retinere. Nulli ergo etc., nostre concessionis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III idus maii, anno primo. »

70 Saint-Pierre, 1er juin 1278.

Electionem in ecclesia Strigoniensi de Nicolao, preposito ecclesie Transilvane, celebratam, non admissis excusationibus de absentia dicti prepositi, qui nondum edicto citationis pape paruit, cassat et irritat; postulationem quoque Vesprimiensis episcopi non admittens, provisionem ipsius ecclesie sedi apostolice reservat, ut per ipsam etiam regni Ungarie dispendiis occurratur. (Fol. 16; an I, n° 68; Potthast 21328.)

« *Sententia lata in facto electionis Strigoniensis. Ad futuram rei memoriam.* Dilectis filiis Karacino —. Actum Rome apud Sanctum Petrum, kalendis junii, anno primo. »

71 Vetralla, 20 juin 1278.

Nobilibus viris Raynaldo et Ufreducio, natis quondam Hugolini Petri Peregrini de Montorio, Narniensis diocesis, significat se confirmare sententiam Nicolai, fratris ordinis Minorum, heretice pravitatis inquisitoris, qua illos a pena, qua propter suorum parentum culpam erant obnoxii, absolvit, et illis concedit, ut libere bonis paternis uti, atque ad honores et omnes actus legitimos admitti possint, cautione data de fide servanda, prout in instrumento publico inde confecto, cujus tenor infra de verbo ad verbum subjicitur, plenius continetur. (Fol. 17; an I, n° 69; Potthast 21337.)

« *Nobilibus viris Raynaldo et Ufredicio natis quondam Hugolini Petri Peregrini de Montorio Narniensis diocesis.* Petitio vestra nobis —. Dat. Vetralle, XII kalendas julii, anno primo. »

72 Viterbe, 2 juillet 1278.

Preposito ecclesie de Carpineto, Reginensis diocesis, curam et administrationem monasterii de Fraxinorio, Mutinensis diocesis, usque ad sex menses committit. (Fol. 18; an I, n° 70.)

« .. *preposito ecclesie de Carpineto Reginensis diocesis.* Ex suscepti tenemur —. Sane sicut accepimus monasterium de Fraxinorio Mutinensis diocesis, abbatis regimine destitutum, quod hactenus in spiritualibus et temporalibus florere multipliciter consuevit, occasione electionis in eodem monasterio de abbate in discordia celebrate, super qua coram dilectum filium nostrum J. Sancte Marie in Cosmidin diaconum cardinalem questio ventilatur, adeo collapsum esse proponitur in utrisque quod, nisi celeris provisionis remedio succurratur, eidem vix adiciet ut resurgat. Quare nos ad miserabilem statum ejus pie compassionis gerentes affectum, ac paterne sollicitudinis studio volentes illius obviare dispendiis, occurrere periclis, et utilitatibus quantum cum Deo

possumus providere, de tua quoque circumspectione confisi quod idem monasterium auctore Deo per tuam industriam salubriter dirigetur, curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus tibi auctoritate presentium usque ad sex menses duximus committendam, nisi interim eidem monasterio providi contigerit de pastore. Quocirca discretioni tue —. Si vero infra idem tempus prefato monasterio provisum non extiterit, de abbate tu hujusmodi temporis lapsum sollicitudine preveniens oportuna id nobis studeas intimare, ut demum nos super hoc provideamus prout utilitati ipsius monasterii viderimus expedire, non obstante si aliquibus —. Dat. Viterbii, VI nonas julii, anno primo. »

73 Saint-Pierre, 25 mai 1278.

Magistro Egidio Alvari Darocensi diacono indulget ut ecclesias de Valle de Forma et de Villanova licite retinere possit, atque mandat ei quatinus statuto tempore se faciat ad sacerdotium promoveri. (Fol. 18 v°; an I, n° 71.)

« *Magistro Egidio Alvari Darocensi diacono de Valle de Forma et de Villanova ecclesiarum rectori quarum una dependet ab altera Cesaragustane diocesis.* Petitio tua nobis exibita continebat quod olim post constitutionem felicis recordationis Gregorii pape X^i predecessoris nostri editam in Lugdunensi concilio, qua cavetur ut qui beneficia curam animarum habentia assecuntur teneantur se infra annum ad presbyteratus ordinem facere promoveri, de Valle Forma et de Villanova ecclesias quarum una dependet ab altera fuisti canonice assecutus. Verum quia nondum ad sacerdotium es promotus, quanquam a tempore quo easdem ecclesias adeptus fuisti decem et novem menses et amplius sint elapsi, et de ipsarum proventibus postquam annus a tempore collationis tibi facte de ecclesiis ipsis effluxit usque ad valorem viginti librarum Turonensium percepisti, supplicasti humiliter ut providere super hoc tibi sicut asseris dictas ecclesias, in quibus non est jus alicui alii acquisitum, pacifice possidenti de oportuni remedii gratia dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus annuentes, auctoritate tibi presentium indulgemus ut premissis veris existentibus memoratas ecclesias constitutione non obstante predicta possis licite retinere, prefatos fructus taliter a te post lapsum ejusdem anni perceptos tibi donantes de gratia speciali. Volumus autem quod infra festum natalis Domini primo venturum te facias statuto tempore ad sacerdotium promoveri; alioquin hujusmodi gratia per presentes litteras tibi facta nullius penitus sit momenti. Nulli ergo nostre concessionis et donationis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas junii, anno primo. »

74 Saint-Pierre, 29 janvier 1278.

Cum fratre Johanne de Aversa presbitero ordinis Predicatorum dispensat ut non obstante defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, in susceptis ministrari ordinibus et ad regulares administrationes ac etiam quoslibet prioratus conventuales predicti ordinis assumi valeat. (Fol. 18 v°; an I, n° 72.)

« *Fratri Johanni de Aversa presbitero ordinis Predicatorum.* Exemplo Domini qui —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII kalendas februarii, anno primo. »

75 Saint-Pierre, 13 mai 1278.

Geraldo de Monte Alto canonico Ruthenensi indulget ut ecclesias de Casvogol et de Pannosa retinere libere valeat, non obstante quod primam in ordinibus et etate defectum patiens obtinuerit, et episcopus Ruthenensis tempore quo illas ei contulit sententia excommunicationis fuisse ligatus dicatur. (Fol. 18 v°; an I, n° 73.)

« *Geraldo de Monte Alto canonico Ruthenensi.* Exposuisti humiliter coram nobis quod, cum tu dudum in minoribus ordinibus et infra etatem legitimam constitutus ecclesiam de Casvogol Ruthenensis diocesis curam animarum habentem fuisses alias tamen canonice assecutus, ipsam per quinquennium et amplius tenuisses, quam etiam adhuc possides sine lite, tandem bone memorie V. episcopus et dilecti filii capitulum Ruthenenses, cupientes in ecclesia Ruthenensi canonicorum et prebendarum numerum augmentare, in ea de novo diligenti deliberatione prehabita de quinque parrochialibus ecclesiis ad eos pleno jure spectantibus in eadem diocesi constitutis, quinque ordinavere prebendas, inter illas predicta de Casvogol ecclesia computata, teque ad illam canonice receperunt in canonicum et in fratrem ipsius ecclesie Ruthenensis, quodque idem episcopus te ad etatem legitimam jam perductum dono gratie prosequens amplioris tibi adhuc in minoribus constituto ecclesiam de Pannosa, cui similis cura imminet, prefate diocesis, tunc vacantem et spectantem ad collationem suam nullique alii de jure debitam canonice conferre curavit, et quod in predictis de Casvogol et de Pannosa ecclesiis perpetui vicarii curam animarum gerentes in illis ab antiquo instituti fuerunt et etiam nunc habentur, quare humiliter petebas a nobis ut, tam super

eo quod dictam ecclesiam de Casvogol olim sicut premittitur in ordinibus et etate defectum patiens tenuisti, quam super eo quod dictus episcopus tempore quo tibi contulit prefatas ecclesias dicitur sententia excommunicationis fuisse ligatus, et quod tu fructus ex eisdem ecclesiis taliter percepisti, providere tibi misericorditer curaremus. Nos igitur tuorum laudabilium meritorum obtentu, de quibus multipliciter commendaris, tuis devotis supplicationibus annuentes, hujusmodi fructus tibi auctoritate apostolica plene remittimus et donamus, ac etiam eadem auctoritate ut hujusmodi prebendam in dicta ecclesia de Casvogol ut premittitur consistentem et prefatam ecclesiam de Pannosa, presertim cum idem episcopus contra suos adversarios, qui eum excommunicatum fore dicebant, se legitimarum appellationum interpositione munitum asserens pro non ligato aliqua excommunicatione se gereret, et ut tali etiam in Romana curia communicaretur eidem, premissis non obstantibus retinere libere valeas indulgemus. Nulli ergo nostre remissionis, donationis et concessionis etc. —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III idus maii, anno primo. »

76 Saint-Pierre, 1er juin 1278.

Fratribus de ordine Predicatorum, in Lombardia et Marchia Januensi heretice pravitatis inquisitoribus, plenam et liberam potestatem concedit procedendi contra nobilem virum Conradum de Venosta ejusque sequaces et fautores. (Fol. 18 v°; an I, n° 74; Posse 909; Kaltenbrunner 114.)

« *Fratribus de ordine Predicatorum inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia et Marchia Januensi auctoritate apostolica deputatis.* Zelo suadente justitie cupientes ut enormis excessus flagitii nuper a perditionis filio nobili viro Conrado de Venosta Cumane diocesis, de hereseos crimine condempnato, ejusque sequacibus et fautoribus in quondam fratrem Paganum vestri ordinis coinquisitorem vestrum et illos, qui sibi assistebant in executione commissi sibi et vobis ab apostolica sede officii, attemptati pena debita puniatur, procedendi tam contra Conradum et alios supradictos quam contra quoscunque fautores, defensores ac receptatores ipsorum, undecunque fuerint et cujuscunque dignitatis, ordinis vel status existant, juxta formam litterarum vobis contra hereticos credentes, receptatores ac defensores eorundem a sede apostolica directarum, plenam et liberam vobis concedimus auctoritate presentium potestatem —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis junii, anno primo. »

77 Saint-Pierre, 1er juin 1278.

Nobili viro advocato de Venosta mandat quatinus, prefatos Conradum et ejus complices tanquam hereticos et sacrilegos omnino evitans, prefatis inquisitoribus ad eosdem capiendos et domandam ipsorum proterviam pro viribus assistat. (Fol. 19; an I, n° 75; Posse 910; Kaltenbrunner 113.)

« *Nobili viro advocato de Venosta Curiensis diocesis.* Immanitas detestandi facinoris nuper a perditionis filio nobili viro Conrado de Venosta Cumani diocesis, de hereseos crimine condempnato, ejusque sequacibus et fautoribus in quondam fratrem Paganum ordinis Predicatorum, inquisitorem heretice pravitatis in partibus Lombardie ac Marchia Januensi a sede apostolica deputatum, et illos, qui eidem P. assistebant in executione commissi sibi officii, attemptati Deum procul dubio provocat et incitare debet homines contra eos ipsumque reddere universis odibilem, qui hereseos labe respersos oderunt et fidei diligunt puritatem. Sicut enim ex insinuatione dilectorum filiorum Anselmi et Danielis fratrum dicti ordinis inquisitorum pravitatis predicte in eisdem partibus et Marchia una cum prefato Pagano deputatorum a sede predicta nobis innotuit, cum olim idem Conradus, patre seducente mendacii, respersus heretica pravitate per erroris devia diutius incessisset et potius vellet in laqueum mortis incidere quam redire ad viam rectitudinis et virtutum, inquisitores hereticorum a prefata sede tunc in illis partibus deputati, cum non solum hereticorum fautorem sed et hereticum esse sententialiter exigente justitia decreverunt et, cum sibi debuisset tribuere vexatio intellectum, ipse a suis perversitatibus compesci non valens, sed de malo in pejora prolapsus incessanter nequiter procuravit quod, dum predictus frater Paganus per partes ville de Maze Cumane diocesis pro negotio inquisitionis transitum faceret, et ipsum captivum duceret, nepotes predicti Conradi et homines ville ipsius eundem fratrem Paganum et alios de comitiva ejus aggredientes hostiliter, ipsum et duos notarios dictorum inquisitorum et duos alios laicos de dicta comitiva sacrilego ausu immaniter peremerunt, ac fratrem Christofarum ejusdem ordinis ipsius fratris Pagani socium graviter vulnerarunt, aliis qui per fuge presidium evadere nequiverunt armis, equis, vestibus, et aliis rebus quas secum habebant viliter spoliatis. Nos ergo, qui ex debito pastoralis officii tenemur augmentum orthodoxe fidei procurare, pati nolentes quod tantorum nequitia scelerum remaneat impunita, sed zelo nobis suadente justitie multo desiderio affectantes ut condignam penam subeant ipsorum scelerum patratores, nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta districte precipiendo

mandantes quatinus prudenter attendens quod te ac alios qui christiana profexione censentur convenit in favorem dicte fidei potenter ac patenter exsurgere contra tales, ne si quisquam ex ipsius fidei professoribus repperiretur in hoc torpere negligentia in ejusdem fidei evidens nocumentum videretur quodammodo per tolerantiam ipsos in suis tam nephariis actibus confovere, ac exinde propter Dei omnipotentis offensam, cujus iram contra se propter hoc graviter provocaret, fame detrimentum incurreret, aliasque penas contra hereticos eorumque fautores, credentes et receptatores statutas posset merito formidare, non solum prorsus abstineas ab impendendo eidem Conrado et suis complicibus in premissis aliquod auxilium, consilium vel favorem, quinimo ipsos tanquam hereticos et sacrilegos omnino evitans, predictis inquisitoribus ad capiendum personaliter eosdem Conradum et complices et codomandam alias ipsorum proterviam assistas pro viribus, consiliis, auxiliis et favoribus oportunis. Ita quod exinde divinam propitiationem et apostolice sedis benivolentiam valeas uberius promoveri, ne si secus feceris predictis sis penis obnoxius, quas in te ac alios qui super hiis mandati nostri contemptores extiterint omittere nullo modo proponimus, sed constanter exequi prout exegerint delinquentium culpe ac delictorum qualitas et alias videbimus expedire —. Dat. ut supra. »

In eundem modum nobili viro .. comiti de Tyrol Tridentine diocesis.

In e. m. nobili viro Pancere de Arcu Tridentine diocesis.

In e. m. nobili viro Gualterio de Vaze Curiensis diocesis.

In e. m. nobili viro Bartholomeo de Viono Brixiensis diocesis.

In e. m. nobili viro Ade de Niardo Brixiensis diocesis.

78 Saint-Pierre, 1er juin 1278.

R. regi Romanorum illustri mandat quatinus predictis inquisitoribus, cum super hoc ex parte ipsorum fuerit requisitus, in hiis que ad prosecutionem ejusdem negotii pertinent, oportunum consilium, favorem et auxilium largiatur. (Fol. 19 v°; an I, n° 76; Potthast 21329; Posse 911; Kaltenbrunner 115.)

« *Carissimo in Christo filio R. regi Romanorum illustri.* Occurrit nobis de —. Dat. ut supra. »

79 Saint-Pierre, 1er juin 1278.

Idem mandat Curiensi et Tridentino episcopis. (Fol. 19 v°; an I, n° 77; Posse 912; Kaltenbrunner 116.)

« .. *Curiensi et .. Tridentino episcopis.* Immanitas etc. —. Dat. ut supra. »

80 Saint-Pierre, 13 février 1278.

Magistro Rogero de Merlomonte canonico Virdunensi, collectori decime Terre Sancte in Maguntino, Treverensi et Salzeburgensi archiepiscopatibus, mandat quatinus juxta continentiam litterarum Johannis pape XXI medietatem decime primi anni, pro Terre Sancte subsidio collecte, diversis mercatoribus de Florentia infra nominatis assignare non differat. (Fol. 19 v°; an I, n° 78; Kaltenbrunner 108.) (Cf. *supra*, **62**.)

« *Magistro Rogero de Merlomonte canonico Virdunensi, collectori decime in Maguntino, Treverensi et Salzeburgensi archiepiscopatibus Terre Sancte subsidio deputate.* Pia dudum attentione —. Predecessor ipse Johannes tibi per suas litteras sub certa forma mandavit ut, reddita coram quatuor vel tribus episcopis aut prelatis aliis seu personis autenticis de decima primi anni collecta per te plenarie ratione, in eorum presentia medietatem ipsius decime Nese Henrici, Caro Guidonis, Carbolino Bentii, Rigaloto Vinte, Jacobo de Fronte, Chino Curfagini, Raynerio Joseph, Johanni Vulpis, Noffo Deghi, Gualtero Angloti, Lapo Parisii et Cepperello Dietaiuti de societate Friscobaldorum, de Florentia mercatoribus, vel eorum cuilibet easdem litteras ipsius predecessoris Johannis deferentibus assignare curares, de assignatione hujusmodi fieri faciens duo publica instrumenta, unum penes te retinendum et apostolice sedi reliquum destinandum, ipse quidem cum mercatoribus ipsis ordinare curaverat ut quod eis assignatum fuerit legato predicto per mercatores ipsos integre assignetur. Verum licet eedem littere dicti Johannis predecessoris tibi presentate fuissent tuque ad executionem dicti negotii procedere incepisses, collectores tamen predicte decime in commissis in hac parte tibi provinciis deputati, asserentes predecessorem eundem tempore presentationis hujusmodi litterarum fuisse viam universe carnis ingressum et per hoc factum tibi mandatum hujusmodi expirasse, assignare sicut accepimus medietatem predictam dictis mercatoribus recusarunt, et quia tu ad id compellebas eosdem, duxerunt ad sedem apostolicam appellandum. Volentes itaque ut que tibi super hoc per easdem suas litteras predecessor ipse Johannes injunxerat compleantur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ea non obstante appellatione hujusmodi auctoritate presentium executioni debite mandare non differas juxta predictarum prefati predecessoris Johannis continentiam litterarum, nobis nichilominus quid, quantum et quando mercatoribus ipsis assignari contigerit fideliter et plenarie rescripturus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus februarii, anno primo. »

81 Saint-Pierre, 5 février 1278.

Idem mandat episcopo Olenensi, collectori decime Terre Sancte in Romania seu partibus Achaie. (Fol. 20; an I, nº 79.)

« *Episcopo Olenensi, collectori decime in Romania seu partibus Achaie in Terre Sancte subsidium deputate.* Pia dudum attentione etc. ut in proxima superiori usque medietatem ipsius decime Foresio Johannis Vanni Gualterotti, Brunecto Johannis Alfani et Tercino Acerbi de societate Alfani Johannis, de Florentia mercatoribus vel eorum cuilibet easdem litteras etc. usque assignetur. Sed eodem predecessore Johanne viam universe carnis ingresso dicte sue littere tibi non fuerunt sicut accepimus presentate. Nos volentes ut —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis februarii, anno primo. »

82 Saint-Pierre, 25 mars 1278.

Idem mandat Girardo archidiacono Bracharensi, collectori decime Terre Sancte in regno Portugalie. (Fol. 20; an I, nº 80.)

« *Girardo archidiacono Bracharensi, collectori decime in regno Portugalie Terre Sancte subsidio deputate.* — Pia dudum etc. ut in prima usque medietatem ipsius decime Nerio Butriochi et Pucio fratri ejus, Jacobo Arnaldi, Andree Boniservo, Lasario Bugianesio, Aldunario Rachi Christofori, Gerarducio Gratii, Putio Bertoli, Raynerio Fulcherii, et Bruneto Garbe, Aldebrando Bossa, Reglono Rossiglonis, Rabito Testa, Deze Faitinelli, Pipo Testa de Rolandi Batosii et Guidonis Cacianimici societatibus, de Luca mercatoribus vel eorum cuilibet easdem litteras ipsius predecessoris Johannis deferentibus per te inter societates ipsas equaliter dividendam assignare curares etc. usque assignetur. Verum quia tibi magistro per ejusdem predecessoris Johannis litteras scribebatur, cum magister ab aliis non voceris, et quia utrum mercatores qui tibi easdem litteras detulerunt essent illi quos dictarum litterarum series continebat te dubitare dicebas, dicta medietas mercatoribus ipsis sicut accepimus non extitit assignata. Nos itaque volentes — predictam medietatem mercatoribus memoratis et Caducio Riccardi eorundem socio sicut aliis assignando —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas aprilis, anno primo. »

83 Saint-Pierre, 25 mars 1278.

Idem mandat archipresbitero ecclesie Turritane, collectori decime Terre Sancte in Sardinia et Corsica. (Fol. 20; an I, nº 81.)

« .. *archipresbitero ecclesie Turritane, collectori decime in Sardinia et Corsica Terre Sancte subsidio deputate.* Pia dudum etc. ut in alia usque medietatem ipsius decime Conecto Pazarii, Duzio Zizarelli, Naddo Teste, Cardutio Rolandi Riccardi, Bonfilio Manfredi, Freducio Diversi et Aringutio de Suso, de Rolandi Bathosii et Guiducii Cacianimici societatibus, de Luca mercatoribus vel eorum cuilibet easdem litteras ipsius predecessoris Johannis deferentibus per te inter societates ipsas equaliter dividendam assignare curares, de assignatione etc. usque assignetur. Verum licet eedem littere dicti predecessoris Johannis ipso vivente tibi presentate fuissent, tu tamen sicut accepimus eisdem mercatoribus medietatem exhibere predictam post ejus obitum dubitasti. Nos itaque volentes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas aprilis, anno primo. »

84 Viterbe, 24 juillet 1278.

Bertrando de Luparia indulget ut ecclesias de Luparia et de Yvolh Tholosane diocesis licite retinere valeat, dummodo infra annum a tempore hujusmodi gratie se faciat statutis temporibus ad omnes superiores ordines promoveri et personaliter in eis resideat. (Fol. 20 vº; an I, nº 82.)

« *Bertrando de Luparia et de Yvolh ecclesiarum rectori, quarum una dependet ab alia, Tholosane diocesis.* Meritis tue devotionis inducimur ut quam digne possumus tibi specialem gratiam faciamus. Sane in nostra proposuisti presentia constitutus quod, te olim nullum tunc ecclesiasticum beneficium assecuto supplicante felicis recordationis Gregorio pape predecessori nostro ut tecum super defectu natalium quem pati diceris de diacono genitus et soluta, quod eodem non obstante defectu posses ad omnes ordines promoveri et obtinere beneficium ecclesiasticum, etiam si curam haberet animarum, misericorditer dispensaret dictus predecessor, venerabili fratri nostro .. episcopo Tholosano in consueta forma per litteras suas commisit ut tecum super premissis auctoritate apostolica dispensaret, prout secundum Deum anime tue saluti expedire videret. Voluit tamen idem predecessor quod tu prout requireret onus beneficii, quod te post hujusmodi dispensationem obtinere contingeret, te faceres ad ordines statutis temporibus promoveri et resideres personaliter in eodem, alioquin hujusmodi gratia quo ad beneficium ipsum nullius existeret firmitatis. Verum memoratus episcopus tecum super premissis auctoritate litterarum hujus dispensavit, et demum de Luparia et de Yvolh ecclesias, quarum una dependet ab alia, cum tunc vacarent et de jure nulli alii deberentur, prout spectabat ad eum, tibi duxit canonice conferendas. Quare nobis

humiliter supplicasti ut cum tu in predictis ecclesiis, quanquam posses, per sex menses aut septem a tempore hujusmodi collationis elapsos residentiam non feceris personalem, nec te, qui primam tonsuram duntaxat nosceris suscepisse, ad superiores ordines promoveri, nec a tempore dicte collationis unius anni spatium sit elapsum, providere tibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque tibi, qui propter hoc post decursum dictorum septem mensium ad sedem apostolicam personaliter laborasti sperans ab ea in hoc gratiam obtinere, pio compatientes ac volentes tibi ob tuorum exigentiam meritorum gratiam facere specialem, tibi quod premissis nequaquam obstantibus possis memoratas ecclesias quas ut asseris possides pacifice et quiete, dummodo infra annum a tempore hujusmodi tibi facte gratie te facias statutis tamen temporibus ad omnes superiores ordines promoveri et personaliter resideas in eadem, licite retinere valeas auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, VIIII kalendas julii, anno primo. »

85 Viterbe, 1er juillet 1278.

Cum Fortius de Salis laicus Auxitane diocesis, licet cum quadam puella infra annos nubiles constituta sponsalia contraxisset, tamen post mortem ejusdem Julianam sororem ipsius sibi publice matrimonio copulaverit, archiepiscopo Auxitano, priori Predicatorum et guardiano Minorum mandata dat super eodem matrimonio. (Fol. 20 v°; an I, n° 83; POTTHAST 21347.)

« *Venerabili fratri archiepiscopo Auxitano et dilectis filiis .. priori Predicatorum de Morlanis, et guardiano Nugorolensi, Minorum fratrum ordinum, Lascurrensis et Auxitane diocesum.* Sua nobis dilectus —. Dat. Viterbii, kalendis julii, anno primo. »

86 Saint-Pierre, 7 mai 1278.

Hugonem episcopum Elyensem a promissione, quam de visitanda sede apostolica fecit, et juramento super hoc prestito absolvit. (Fol. 20 v°; an I, n° 84.)

« *Hugoni episcopo Elyensi.* Significasti nobis quod, licet Elyensis ecclesia suffraganea ecclesie Cantuariensis existat, tu tamen, tue consecrationis tempore, quam de manu felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri recepisse te asseris, visitare sedem apostolicam singlis trienniis juramento prestito promisisti. Quare humiliter petebas a nobis ut, cum tu alias ad id pro eo quod sicut dictum est metropolitanum habere dinosceris nec de jure nec de consuetudine tenearis, providere super hoc tibi et ecclesie tue de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque, personam tuam in hac parte speciali gratia prosequentes, te ab hujusmodi promissione quam de visitanda supradicta sede fecisti et juramento super hoc prestito quo ad ipsam visitationem duntaxat auctoritate presentium duximus absolvendum, volentes in ceteris juramentum ipsum inviolabiliter observari. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis maii, anno primo. »

87 Viterbe, 6 juillet 1278.

Episcopo Cameracensi, abbati monasterii de Sancto Accolo Ambianensis diocesis ac custodi ordinis fratrum Minorum Cameracensium mandat quatinus Walterii abbatis Sancti Auberti, Cameracensis diocesis, ordinis Sancti Augustini, resignationem recipiant, et eidem provisionem aliquam de bonis prefati monasterii pro sua sustentatione assignent. (Fol. 21; an I, n° 85; POTTHAST 21350.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Cameracensi et dilectis filiis .. abbati monasterii de Sancto Accolo Ambianensis diocesis ac custodi ordinis fratrum Minorum Cameracensium.* Ex parte dilecti —. Dat. Viterbii, II nonas julii, anno primo. »

88 Viterbe, 27 juin 1278.

Episcopo Tornacensi mandat quatinus, super matrimonio inter Alardum dictum Priem laicum sue diocesis et Mariam, natam quondam Rogerii de Quohinghem militis, illicite contracto, attentis diversis circumstantiis, cum eisdem dispensare valeat. (Fol. 21; an I, n° 86.)

« *Episcopo Tornacensi.* Exhibita nobis Alardi dicti Priem laici tue diocesis petitio continebat quod, cum ipse olim cum Agnete filia quondam Johannis de Maudra ejusdem diocesis per verba de futuro sponsalia contraxisset, tandem nulla inter eos carnali copula subsecuta ipse cum Maria nata quondam Rogerii de Quohinghem militis prefate diocesis, eandem Agnetem in tertia consanguinitatis linea contingente, matrimonium contraxit in facie ecclesie, et carnali commertio habito inter ipsos prolem de Maria suscepit eadem. Verum cum, si forte publice honestatis justitia deposcente inter dictos Alardum et Mariam interveniret divortium, verisimiliter presumatur quod inter ipsius Alardi ex parte una et ejusdem M. consanguineos nobiles et in partibus illis potentes ex altera pacis vinculum super gravibus et antiquis inimi-

citiis dudum inter partes habitis reformate penitus solveretur et sic graviores antiquis inimicitie ac scandala plurima in illis partibus orirentur, idem Alardus humiliter a nobis ut hujusmodi obviantes periclis sibi et dicte Marie in hac parte de oportune dispensationis beneficio providere misericorditer curaremus, quia vero tu de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, presentium tibi tenore committimus quatinus, si ut predicitur probabiliter timeatur quod ex divortio hujusmodi premisse inimicitie suscitari debeant et talia exinde scandala suboriri aliasque premissa veritate nitantur, cum eisdem Alardo et Maria auctoritate nostra dispenses quod impedimento hujusmodi non obstante in eodem matrimonio libere valeant remanere. Dat. Viterbii, v kalendas julii, anno primo. »

89 Saint-Pierre, 7 mai 1278.

Archiepiscopo Capuano mandat quatinus monasterio Sancti Salvatoris Surrentini, ordinis sancti Benedicti, auctoritate apostolica aliquam personam ydoneam in abbatem preficiat. (Fol. 21; an I, nº 87.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Capuano.* Dilecti filii conventus monasterii Sancti Salvatoris Surrentini ordinis Sancti Benedicti nobis significare curarunt quod quondam, fratre Matheo abbate ipsius monasterii in manibus bone memorie R. Albanensis episcopi tunc in partibus illis apostolice sedis legati seu vicarii aut nuntii sui ejusdem monasterii cedente regimini (*sic*), dictus legatus aut vicarius vel nuntius prelibatus eidem sedi provisionem futuri abbatis in eodem monasterio reservavit. Quare predicti conventus nobis humiliter supplicarunt ut, cum adhuc monasterium ipsum tali pretextu vacare noscatur, et timeatur ne ex diutina vacatione grave incurrat in spiritualibus et temporalibus detrimentum, providere sibi de persona ydonea curaremus. Nos itaque de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita eidem monasterio auctoritate nostra preficias hac vice aliquam personam ydoneam in abbatem, sibi per te vel alium munus benedictionis impendens et a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam faciens exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis maii, anno primo. »

90 Saint-Pierre, 21 mai 1278.

Ordinem Sancte Clare Assisii confirmat, non obstante constitutione concilii Lugdunensis, per quam sibi aliquod prejudicium generari dubitant. (Fol. 21; an I, nº 88; Potthast 21324.)

« .. *abbatisse et conventui monialium pauperum inclusarum monasterii Sancte Clare Asisinatis.* Mundi spernentes illecebras —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, xii kalendas junii, anno primo. »

91 Viterbe, 7 juillet 1278.

Archiepiscopo Atheniensi, priori Predicatorum, ac ministro Minorum fratrum ordinum provincialibus Grecie committit quatinus super matrimonio inter nobilem virum Johannem de Sancto Ademaro, marescallum principatus Achaie, pronepotem quondam B. regis Ungarie, et nobilem mulierem Catharinam nepotem quondam Guillelmi principis Achaie, relictam quondam Guillelmi dicti de Verona militis tunc viduam, illicite contracto, omnibus circumstantiis attentis, cum eisdem dispensare curent. (Fol. 21 vº; an I, nº 89; Potthast 21351.)

« *Venerabili fratri archiepiscopo Atheniensi, et dilectis filiis .. priori Predicatorum ac .. ministro Minorum fratrum ordinum provincialibus Grecie.* Lecta nobis dilecti —. Dat. Viterbii, nonis julii, anno primo. »

92 Viterbe, 22 juin 1278.

Ecclesie Gneznensi Martinum, professorem ordinis Predicatorum, tunc penitentiarium et capellanum suum, in archiepiscopum preficit, eidem de manibus suis munere consecrationis impenso, et palleo assignato. (Fol. 21 vº; an I, nº 90; Potthast 21340.)

« *Venerabili fratri Martino archiepiscopo Gneznensi.* Licet continuata supervenientium —. Dat. Viterbii, x kalendas julii, anno primo. »

In eundem modum .. preposito .. decano et capitulo ecclesie Gneznensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Gneznensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Gneznensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Gneznensis.

In e. m. universis suffraganeis ecclesie Gneznensis.

In e. m. nobilibus viris universis ducibus per Gneznensem provinciam constitutis mandat quatinus eidem archiepiscopo et ecclesie se favorabiles et benivolos exhibeant. Dat. ut supra.

93 Rome, 5 juin 1278.

Ecclesie Eugubine, tempore Innocentii pape V jam vacanti, cum Ubaldus, a quibusdam canonicis electus, et Raynerius,

ab aliis postulatus, post mortem ejusdem pape omni juri renuntiaverint, B. fratrem Minorum ordinis professorem in episcopum preficit. (Fol. 22; an I, nº 91; POTTHAST 21330.)

« *B. episcopo Eugubino.* Debitum officii nostri —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis junii, anno primo. »

94 Saint-Pierre, 1er mai 1278.

Cum Riccardo de Banifeld presbitero capellano suo dispensat ut ecclesiam de Roubyri, Dunelmensis diocesis, quam nondum in presbiterum ordinatus per totum annum a tempore collationis possedit, licite retinere possit, non obstante constitutione concilii Lugdunensis. (Fol 22 vº; an I, nº 92.)

« *Riccardo de Banifeld presbitero capellano nostro, rectori ecclesie de Roubyri, Dunelmensis diocesis.* Petitio tua nobis exhibita continebat quod olim post constitutionem felicis recordationis Gregorii pape decimi predecessoris nostri editam in Lugdunensi concilio, qua cavetur ut qui beneficia curam animarum habentia assequuntur tenentur se infra annum ad presbiteratus ordinem facere promoveri, ad ecclesiam de Roubyry Dunelmensis diocesis a venerabili fratre nostro .. Karleoleno episcopo vero patrono ipsius ecclesie venerabili fratri nostro .. Dunelmensi episcopo canonice presentatus fuisti et in eo per ipsum Dunelmensem episcopum institutus. Verum quia carissimus in Christo filius noster .. illustris rex Anglie, asserens ejusdem ecclesie se patronum, quemdam alium clericum ad eandem ecclesiam predicto Dunelmensi episcopo presentavit, tu dubitans ne occasione hujusmodi saltem de facto tibi posset super dicta ecclesia molestia seu calumpnia irrogari, te infra annum ad sacerdotalem ordinem promoveri vel in ipsa ecclesia non fecisti residentiam personalem. Quare nobis humiliter supplicasti ut cum post ejusdem anni elapsum infra septem mensium spatium immediate sequentium te rite feceris in presbiterum ordinari et dictam ecclesiam nulli alii de jure debitam pacifice et continue possederis et possideas hodie quiete, providere in hac parte tibi de oportuno negotio curaremus. Nos ergo tuis supplicationibus favorabiliter annuentes, ut memoratam ecclesiam constitutione non obstante predictas possis licite retinere ac libere percipere fructus ejus tecum auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo nostre dispensationis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis maii, anno primo. »

95 Viterbe, 12 juillet 1278.

Electionem, in monasterio Sancte Marie Montis Virginis, ad Romanam ecclesiam immediate spectante, de Guillelmo vestiario ipsius monasterii per viam compromissi legitime habitam et diligenter examinatam confirmat, munere benedictionis ipsi manibus suis impendendo. (Fol. 22 vº; an I, nº 93.)

« *Guillelmo abbati monasterii Sancte Marie Montis Virginis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Avellinensis diocesis.* Imminente nobis ecclesiarum —. Dat. Viterbii, IIII idus julii, anno primo. »

In eundem modum conventui monasterii Sancte Marie Montis Virginis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti Avellinensis diocesis.

In e. m. universis vassallis monasterii mandat quatinus exhibentes eidem debite fidelitatis juramentum de juribus et redditibus, in quibus ipsi tenentur, integre respondeant. Dat. ut supra.

96 Viterbe, 10 juillet 1278.

Magistro Jacobo, clerico in minoribus ordinibus constituto, ad illud per Nicoliam de Spoleto, cantorem ecclesie Aversane, capellanum pontificis, examinato tabellionatus officium concedit. (Fol. 23; an I, nº 94.)

« *Magistro Jacobo nato quondam magistri Petri de Interampne clerico in minoribus ordinibus constituto familiari nostro.* Ne contractuum memoria —. Dat. Viterbii, VI idus julii, anno primo. »

97 Viterbe, 12 juillet 1278.

Guillelmo de Colreto Albaterrensi clerico in minoribus ordinibus constituto Petragoricensis diocesis, ad illud per Rolandum episcopum Spoletanum tunc subdiaconum et capellanum pontificis examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 23; an I, nº 95.)

« *Guillelmo de Colreto Albaterrensi clerico in minoribus ordinibus constituto Petragoricensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Viterbii, IIII idus julii, anno primo. »

98 Viterbe, 13 juillet 1278.

Andree Bequerii de Kadrella clerico in minoribus ordinibus constituto Eduensis diocesis, ad illud per magistrum Nicolinum de Camilla capellanum pontificis examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 23; an I, nº 96.)

« *Andree Bequerii de Kadrella clerico in minoribus ordi-*

nibus constituto Eduensis diocesis. Ne contractuum memoria —. Dat. Viterbii, III idus julii, anno primo. »

99 Viterbe, 3 juillet 1278.

Cum episcopo Firmano injunxerit, ut diversarum possessionum emptionem et venditionem, ab abbate et conventu monasterii Sancti Laurentii foris murum Urbis Rome factas, examinaret, litteras predicti episcopi, easdem emptionem et venditionem approbantes, quarum tenor infra de verbo ad verbum subjicitur, confirmat. (Fol. 23; an I, n° 97.)

« .. *abbati et conventui monasterii Sancti Laurentii foris murum Urbis Rome ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti.* Cum olim nobis exponere curassetis quod vos circa monasterii vestri utilitatem et comoda intendentes quasdam possessiones seu terras non solum possessionibus ejusdem monasterii sed monasterio jam dicto vicinas et multum accomodas, diligenti deliberatione inter vos habita, proponebatis titulo emptionis monasterio prefato acquirere voto unanimi et concordi et quod possessiones ac terre hujusmodi pro sexcentis libris proveniensibus senatus nec pro minori pretio poterant a dominis illarum haberi, quodque hujusmodi quantitatem pecunie de fructibus predicti monasterii qui comode et absque monasterii detrimento vendi possent tunc temporis solvere non possetis, cum etiam tandem licentiam petivissetis a nobis vendendi quasdam alias possessiones ejusdem monasterii per novem miliaria vel circiter ab ipso distantes, nos venerabili fratri nostro Philippo Firmano episcopo injunximus oraclo vive vocis ut tam de acquirendis quam de vendendis hujusmodi possessionibus earumque valore veritate cognita, si consideratis circumstantiis universis emptionem et venditionem hujusmodi videretur ad utilitatem dicti monasterii redundare, vobis consumandi et perficiendi emptionem et venditionem easdem licentiam largiretur. Idem autem episcopus, mandato nostro super premissis exacta diligentia observato et non solum consideratis omnibus que consideranda fuerunt, sed a quatuor de senioribus dicti monasterii monachis juramento recepto quod emptionem et venditionem easdem ad utilitatem ipsius monasterii non est dubium pertinere, dictis quoque vendendis et emendis possessionibus sive terris certis finibus designatis, vobis auctoritate nostra concessit licentiam postulatam, prout in patentibus litteris ipsius episcopi confectis exinde suoque sigillo munitis plenius continetur. Quare humiliter petebatis a nobis ut, ne aliquibus de auctoritate nostra super hiis episcopo prefato concessa dubitantibus emptionem et venditionem easdem et per consequens utilitatem monasterii predicti impediri contingat, providere super hoc misericorditer curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo factum est ratum et firmum habentes ac etiam approbantes, ad majorem cautelam tenorem dictarum litterarum ipsius episcopi de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est.

Philippus miseratione divina Firmanus episcopus religiosis viris et in Christo dilectis .. abbati et conventui monasterii sancti Laurentii foris murum urbis Rome salutem et sinceram in Domino caritatem. Sanctissimo patri domino Nicolao sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici per vos fuit expositum quod vos circa utilitatem et commoda vestri monasterii intendentes quasdam possessiones possessionibus monasterii immo monasterio ipsi vicinas et multum accomodas deliberatione inter vos habita emere sive titulo emptionis pro monasterio vestro acquirere deliberastis voto unanimi et concordi, que possessiones et terre pro sexcentis libris proveniensibus senatus et non pro minori pretio possunt haberi a dominis earundem. Verum quia quantitatem predictam de fructibus ejusdem monasterii, qui comode et absque ipsius monasterii detrimento vendi hoc presenti tempore possint, solvere vos non posse dixistis, prefato sanctissimo patri summo pontifici humiliter supplicastis ut vendendi quasdam alias possessiones ad dictum monasterium pertinentes et per novem miliaria vel circiter ab ipso distantes vobis licentiam concedere dignaretur, prefatus quoque summus pontifex nobis oraculo vive vocis injunxit ut tam de possessionibus acquirendis et etiam de vendendis prefatis quam etiam de ipsarum valore veritate inventa, si per indaginem per nos super hiis habendam, consideratis circumstantiis universis que sunt in talibus attendende, emptionem et venditionem hujusmodi verisimiliter videremus ad utilitatem monasterii redundare, vobis concederemus licentiam consumandi et perficiendi emptionem et venditionem predictas.

Nos vero considerantes prefatas possessiones emendas ipsi monasterio esse valde vicinas et vendendas a monasterio ipso remotas quodque ipse possessiones emende sunt triginta rubbla, videlicet possessiones posite in Pelaiano : in primis, unum petium terre quatuor rublorum, affines a duobus lateribus heredes Johannis Pandulphi, a tertio heredes Bartholomei de Cur, a quarto Pentoma. Item alium petium terre decem rublorum, ab uno latere heredes Johannis Pandulphi, a duobus lateribus monasterium Sancti Laurentii. Item quartam partem de fossis quam habet cum monasterio sancti Laurentii pro indiviso. Item alium petium terre quatuor rublorum a duobus

lateribus monasterium Sancti Laurentii, ab alio est Pentomo, ab alio Pantanus. Item alium petium terre septem rublorum, ab uno latere tenent heredes Johannis Pandulphy, ab alio est flumen, ab alio monasterium sancti Laurentii. Item alium petium terre duorum rublorum, ab una parte via Tyburtina, a duobus lateribus heredes Johannis Pandulphi, ab alio monasterium sancti Laurentii. Item alium petium terre trium rublorum, a tribus lateribus monasterium sancti Laurentii, ab alio via et partem Pantani majoris et partem prati quam habet pro indiviso cum monasterio sancti Laurentii et heredibus Johannis Pandulphy.

Et ille que de bonis monasterii debent vendi non sunt nisi tredecim rubbla, scilicet terra que dicitur de Tufulo posita in Grifi, a duobus lateribus sunt vie publice, a tertio est pedica que dicitur de Callariis limite mediante et ab alio heredes et consortes quondam domini Johannis Petri Henrici. Receptoque a fratre Petro Camerario, fratre Johanne de Machilono, fratre Paulo de Cerclaria et fratre Jacobo de Palumbario quatuor de senioribus dicti monasterii monachis juramento quod emptionem et venditionem hujusmodi ad utilitatem monasterii non est dubium pertinere, vobis auctoritate prefati sanctissimi patris domini pape licentiam concedimus postulatam. In cujus concessionis testimonium presentes litteras vobis concedimus sigilli nostri robore communitas. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas martii sexte indictionis pontificatus domini Nicolai pape Tertii anno primo, anno vero domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo. Dat. Viterbii, v nonas julii, anno primo. »

100 Saint-Pierre, 8 avril 1278.

Super causis et litibus, inter priorem et conventum ecclesie Wintoniensis, et episcopum ejusdem vertentibus, abbatibus monasteriorum Sancti Augustini Cantuariensis et de Glastonia Bathoniensis diocesum, ac magistro Willelmo de Salinis canonico Londoniensi mandat quatinus prefatum episcopum peremptorie citare curent, ac in Wintoniensi ecclesia citationis edictum publice proponant, ut omnes, quos tangit negotium, infra tres menses post citationes hujusmodi, per se vel per procuratores ydoneos apostolico se conspectui representent. (Fol. 23 v°; an I, n° 98.)

« .. *Sancti Augustini Cantuariensis et .. de Glastonia Bathoniensis diocesum monasteriorum abbatibus ac magistro Willelmo de Salinis canonico Londoniensi.* Sua nobis dilecti filii Andreas de Londoniis capellanus noster prior et conventus ecclesie Wintoniensis ordinis sancti Benedicti petitione monuerunt quod, licet electio prioris ejusdem ecclesie ad dictum conventum, tam de jure ac generali consuetudine ipsius et aliarum ecclesiarum cathedralium regularium regni Anglie, quam ex indulto speciali eidem conventus ab apostolica sede concesso pertinere noscatur, quodque assumptus ad prioratum ejusdem ecclesie per electionem canonicam dictorum conventus non possit ab eodem prioratu absque causa rationabili ammoveri, ac ad ejus officium spectet suppriorem et alios ministeriales in eadem ecclesia ordinare ac eos ab administrationibus ammovere, necnon et de aliis administrationibus et obedientiis ad ecclesiam ipsam pertinentibus libere disponere, cum sibi visum fuerit oportunum ac ad conversionem recipere clericos a seculo fugientes, qui sunt pro tempore in monachos ejusdem ecclesie admittendi, bona quoque dictorum prioris et conventus a bonis sint episcopalis sedis Wintoniensis discreta, bone memorie tamen Johannes Wintoniensis episcopus minus veraciter asserens institutionem et destitutionem prioris ejusdem ecclesie, ac exercere alia premissa ad episcopum Wintoniensem qui est pro tempore tantummodo pertinere, prefatum Andream ab eodem prioratu quem per electionem ejusdem conventus canonice obtinuerat et per plures annos pacifice possederat juris ordine non servato, pro sue voluntatis libito violenter ejecit, et tam ipse dum vixit quam venerabilis frater noster Nicolaus episcopus successor ejusdem, qui predicta omnia ad se spectare modo simili asseverat, de facto cum de jure non possent, aliquos instituerunt in priores ac subpriores et obedientiarios seu ministeriales in ecclesia supradicta, bonisque ad episcopatum Wintoniensem spectantibus licet sufficientibus non contenti ecclesias eisdem priori et conventui in proprios usus concessas, maneria quoque, redditus, jura, jurisdictiones, et nonnulla alia bona communiter et divisim ad ipsos priorem et conventum pertinentia occupare ac aliis eorum quedam concedere, aliqua vero in proprios et etiam illicitos usus convertere, ac in ecclesiis in quibus iidem prior et conventus jus obtinent patronatus, absque presentatione ipsorum rectores instituere ac prelibatos clericos ad conversionem in ecclesia ipsa recipere presumpserunt, et in priorem ipsum ac alios in dicta ecclesia administrationes habentes, et quoslibet monachos ejusdem ecclesie in hiis resistentes eisdem excommunicationis sententias promulgando, quosdam ex ipsis occasione predicta ceperunt et diro carceri manciparunt, aliquos vero in exilium destinarunt, in ipsorum prioris et conventus ac ecclesie prejudicium et gravamen et scandalum plurimorum, propter que diversis hinc inde a sede apostolica et a Cantuariensi curia litteris ad diversos judices im-

petratis, diversisque processibus habitis per easdem, dicta ecclesia occasione questionum hujusmodi que jam longo tempore duraverunt ex impensione sumptuum, quos ipsam propter hoc subire oportuit, gravem in suis facultatibus est perpessa jacturam, et per hoc sunt in eo hospitalitas et helemosina et etiam monachorum numerus diminuti ac alias ecclesia eadem incurrisse dinoscitur in spiritualibus et temporalibus non modicum detrimentum, sibique exinde pericula imminent graviora, nec ei per sedem apostolicam in hac parte remedio succurratur. Volentes ergo ejusdem ecclesie dispendiis obviare et paci ac tranquillitati personarum ipsius paterna diligentia providere, causas et lites hujusmodi et quicquid questionis inter ipsos priorem et conventum comuniter vel divisim et episcopum memoratum seu quoscunque alios occasione premissa vertitur ad sedem eandem totaliter revocamus. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus non obstantibus quibuscunque appellationibus super predictis, seu quibuslibet aliis articlis ab alterutra partium interpositis et commissionibus sive litteris super hoc obtentis et processibus, tam per eas quam etiam alias a quibuscumque habitis, seu que inter prefatum Andream et Johannem de Vrevilla monachum ejusdem ecclesie qui pro ipsius ecclesie priore se gerit super dicto prioratu apud sedem predictam questio ventilatur, prefatum episcopum ex parte nostra vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios peremptorie citare curetis, ac nichilominus in eadem Wintoniensi ecclesia proponatis sollempniter ac publice citationis edictum, ut omnes quos ipsum tangit negotium et sua crediderint interesse infra trium mensium spatium post citationes hujusmodi per se vel per procuratores ydoneos sufficienter instructos cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus, apostolico se conspectui representent, recepturi ordinationem nostram quam super hiis duximus faciendam, aut facturi et recepturi super hiis quod ordo dictaverit rationis. Eidem episcopo nichilominus injungendo, ut negotio predicto pendente nichil in prejudicium predictorum prioris et conventus attemptare seu innovare presumat et quod monachos ecclesie predicte in eadem ecclesia, sicut antea morabantur, libere permanere permittat ac nullum obstaclum interponat, quominus ipsum negotium prosequantur. Diem vero citationum et formam et quicquid in hac parte duxeritis faciendum nobis per vestras litteras harum seriem continentes studeatis fideliter intimare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus aprilis, anno primo. »

101 Viterbe, 15 juillet 1278.

Electionem, in ecclesia Fanensi tempore Gregorii pape decimi de Fidesmido canonico per viam compromissi celebratam, diu contestatam et examinatam confirmat. (Fol. 24; an I, nº 99; POTTHAST 21360.)

« *Venerabili fratri Fidesmido episcopo Fanensi.* Rationis oculis intuentes —. Dat. Viterbii, idibus julii, anno primo. »

102 Viterbe, 20 juillet 1278.

Ecclesie Nicosiensi jamdiu vacanti Rannulphum archidiaconum in archiepiscopum preficit. (Fol. 24 vº; an I, nº 100.)

« *Rannulpho archiepiscopo Nicosiensi.* Militanti ecclesie disponente —. Sane Nicosiensi ecclesia dudum per obitum bone memorie Egidii Nicosiensis archiepiscopi pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, videlicet quondam magister Bertrandus decanus tunc vivens ac dilecti filii Radulphus cantor, Lanfrancus thesaurarius, magister Robertus et Johannes Castello canonici ejusdem ecclesie tunc presentes ibidem, cum plures de capitulo ipso ad hoc non possent comode interesse, die ad eligendum prefixa insimul convenerunt et in duos ex se ipsis ita compromittere curaverunt, ut ipsi duo infra certam horam ad hoc assignatam eisdem de pastore ipsi ecclesie providerent. Quibus super hoc infra horam ipsam nequeuntibus concordare, dicti decanus, thesaurarius, cantor et canonici denuo convenerunt, et cum inciperent tractare de futuri substitutione pastoris, tres ex ipsis per scrutinii et reliqui duo per compromissi viam procedere nitebantur, ita quod sub altercatione hujusmodi ex ipsorum parte duorum ad bone memorie W. patriarcham Jerosolimitanum, in partibus illis apostolice sedis legatum, appellatum extitit, et inhibitum tribus reliquis ne ad electionem procederent sine ipsis, et sic exinde recesserunt. Cumque postmodum dicti tres duos revocassent eosdem per viam scrutinii sicut ante voluerant ad electionem hujusmodi processuros, per quam quidem viam se dixerunt ad electionem velle procedere, alioquin ad eam procederent eorum absentia non obstante, ipsi duo asserentes illos excommunicatos fore ac multis et variis defectibus irretitos, propter que nolebant super hoc procedere cum eisdem, tribus ipsis inhibere curarunt ne ad aliquam electionem procederent, et, ne secus fieret, ad legatum iterato appellarunt eundem. Verum tamen hujusmodi appellationes suas quanquam potuerint prosequi et de premissis defectibus fidem facere, non curarunt, immo tacite appellationibus ipsis saltem

renuntiasse noscuntur, procedendo finaliter ad electiones aliquas prout inferius sequitur inibi celebrandas. Deinde vero dicti tres a via scrutinii, ad quam prefatos duos vocaverant, recedentes post inhibitionem et appellationes aliaque premissa voces suas super electione hujusmodi Romano pontifici contulerunt, ad ipsum nichilominus appellantes ne prefati duo ad electionem aliquam procedere attemptarent, injuncto nichilominus uni ex se ipsis, scilicet dilecto filio R. cantori Nicosiensi, ut ad sedem apostolicam accederet, collationem hujusmodi vocum suarum presentaturus eidem Romano pontifici et appellationem ipsorum prosecuturus etiam coram eo. Verum licet idem cantor propter hoc iter arripiens, veniendo versus sedem eandem, demum ad Famagustanam civitatem venisset, ante tamen quam inde recederet et Cypri regnum exiret, a duobus ipsis qui ad hoc destinabant eundem re aliter existente revocatus extitit, sibique mandatum ut propter hoc ad sedem non accederet memoratam, postmodum siquidem alii supradicti duo tam eundem cantorem quam etiam duos ejus in hac parte sequaces Nicosie manentes citari fecerunt, ut certa die electioni hujusmodi celebrande personaliter interessent, si comode poterant et debebant. At idem cantor ad illos non rediens iter quod arripuerat veniendi ad sedem eandem extitit prosecutus, dictique Robertus et Johannes renuntiantes expresse appellationi sue et commissioni, quam super hiis cantori adherendo eidem primo fecerant inconsulte, petierunt se demum admitti ab aliis duobus predictis ad electionem in prefata ecclesia celebrandam. Sic igitur jam quatuor numero existentes, certa die ad hoc specialiter ordinata, convenerunt simul in ecclesia ipsa, et quondam fratrem Johannem de Eugolisma ordinis fratrum Predicatorum in suum et ipsius ecclesie pastorem unanimiter et concorditer elegerunt. Verum quamvis dictus cantor nichilominus medio tempore non obstante citatione et revocatione premissis ut premittitur versus sedem predictam procederet, ante tamen quam ad Romanam curiam perveniret, felicis recordationis Clemens papa quartus predecessor noster qui tunc eidem sedi preerat sicut Domino placuit debitum nature persolvit, sicque prefatus cantor commissionem sibi a dictis duobus sequacibus super collatione vocum et prosecutione appellationis ipsorum coram eodem predecessore prosecutus non extitit, nec quod uterque eas illi vel alicui alii de successoribus ejus nostris predecessoribus presentaverit repperitur. Porro dicto fratre Johanne, postquam hujusmodi electioni sue consenserat, viam universe carnis ingresso, prefati capitulum supradictum decanum tunc viventem in suum et ipsius ecclesie archiepiscopum elegerunt. Cujus electionem nominatus cantor apud eandem sedem existens contra procuratorem ipsius capituli diutius impugnavit, coram bone memorie V. Sancti Eustachii diacono cardinali auditore super hoc a sede ipsa concesso, sub cujus examine impugnationis hujusmodi pendente negotio memoratus decanus diem clausit extremum, et post ejus obitum prefati capitulum, sicut moris est, servatis juris sollempnitatibus convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, te tunc archidiaconum Nicosiensem in suum et ipsius ecclesie archiepiscopum canonice et concorditer elegerunt. Dicto itaque capitulo per procuratorem ad hoc specialiter constitutum hujusmodi electionem de te finaliter celebratam coram cardinali prefato, cui adhuc viventi negotium ipsius electionis tue fuit ab eadem sede commissum, confirmari petente, nominatus cantor asserens se in Romana curia propter premissa manentem ad eandem electionem tuam non fuisse vocatum, et ex hoc in ea esse contemptum tali pretextu ipsam nisus est impugnare, diversisque processibus super hoc habitis coram cardinali predicto eoque interim rebus humanis exempto, felicis memorie Johannes papa predecessor noster negotium ipsum dilecto filio nostro J. sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali commisit, coram quo dictis cantore et procuratore competentibus ac procuratore ipso premissam electionem tuam pro parte ipsius capituli postulante cum instantia confirmari, sepedictus cantor tam petitionis hujusmodi quam decreti electionis premisse copiam ut de ipsius forma, quam se absente celebratam dicebat, et de meritis eligentium plenam notitiam posset habere sibi petiit exhiberi, non intendens ut asseruit in judicio aliquid objicere in personam. Copia ergo hujusmodi cantori exhibita prelibato, nobisque ac fratribus nostris per eundem J. cardinalem tam de omnibus qui coram ipso quam aliis que in negotio eodem alias habita fuerant facta relatione plenaria et fideli, dicto quoque cantore demum ad nostram et ipsorum fratrum nostrorum presentiam evocato, negotium hujusmodi diligenter examinavimus per nos ipsos, et comperto finaliter quod sepedictus cantor nichil contra personam tuam et electionis tue formam objicere intendebat, hoc duntaxat excepto quod ipso non vocato sicut premittitur dicta electio de te fuerat celebrata, et quod hujusmodi exceptioni sue tanquam invalide velle non videbatur inniti, presertim cum a nobis postulasset instanter supradictam ecclesiam de prolixe viduitatis incomodis expediri, adjiciens quod eidem ecclesie super hiis compatiens nolebat occasione sui confirmationem ipsius electionis tue impediri ulterius vel differri, nos personam tuam de litterarum scientia per venerabilem fratrem .. Tusculanum episcopum et dilectos filios nostros G. Basilice duodecim

apostolorum presbiterum ac eundem Jacobum cardinalem examinari fecimus diligenter, et quia eandem electionem de te habitam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam teque Nicosiensi ecclesie predicte in archiepiscopum prefecimus et pastorem, tibique tandem munus consecrationis propriis manibus nostris impendimus necnon palleum insigne videlicet pontificalis officii a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum fecimus assignari, firmam spem fiduciamque —. Dat. Viterbii, XIII kalendas Augusti, anno primo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Nicosiensis mandat quatinus eidem obedientiam et reverentiam debitam impendant.

« Alioquin sententiam quam idem archiepiscopus rite propter hoc tulit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. ut supra. »

In e. m. clero civitatis et diocesis Nicosiensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Nicosiensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Nicosiensis.

In e. m. universis suffraganeis ecclesie Nicosiensis.

In e. m. carissimo in Christo filio .. illustri regi Cypri.

« Regi regum —. Quocirca regalem excellentiam duximus attente rogandam quatinus te prefato archiepiscopo suisque nuntiis seu procuratoribus pro apostolice sedis et nostra reverentia constituens affectum benivolum et opere generosum sibi quecumque bona ipsius Nicosiensis ecclesie a te vel tuis officialibus seu ministris seu subditis aliis injuste detinentur restituas liberaliter seu restitui facias —. Dat. ut supra. »

103 Viterbe, 18 juillet 1278.

Electionem in ecclesia Castrensi de Ormanno factam confirmat. (Fol. 26; an I, nº 101.)

« *Ormanno episcopo Castrensi.* Ex incumbenti nobis —. Dat. Viterbii, XV kalendas augusti, anno primo. »

In eundem modum capitulo Castrensis ecclesie.

In e. m. clero civitatis et diocesis Castrensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Castrensis. Dat. ut supra.

104 Viterbe, 23 juillet 1278.

Sydoniensi et Beritensi episcopis mandat quatinus episcopum Anteradensem, qui atroces injurias et diversa gravamina episcopo Tripolitano intulit, ex parte sua citare curent, injungendo ut infra octo mensium spatium post citationem hujusmodi se personaliter apostolico conspectui representet. (Fol. 27; an I, nº 102; POTTHAST 21364.)

« *Citatio episcopi Anteradensis personaliter.* » (En marge.)

« *Venerabilibus fratribus .. Sydoniensi et .. Beritensi episcopis.* Querelam gravem —. Dat. Viterbii, X kalendas augusti, anno primo. »

105 Viterbe, 2 août 1278.

P. Soranensem episcopum, postulatione de fratre Benvenuto ordinis Minorum facta non admissa, ad ecclesiam Reatinam transfert. (Fol. 27; an I, nº 103; POTTHAST 21378.)

« *P. episcopo Reatino.* In supreme specula —. Dat. Viterbii, IIII nonas augusti, anno primo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Reatine. Dat. ut supra.

In e. m. clero civitatis et diocesis Reatine.

106 Viterbe, 19 juillet 1278.

Archiepiscopo Nicosiensi, propter magnas quas subit expensas, contrahendi mutuum facultatem concedit. (Fol. 27 vº; an I, nº 104.)

« *Venerabili fratri R. archiepiscopo Nicosiensi, pro mutuo contrahendo.* Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis necessariis quam pro ecclesie tue negotiis apud sedem apostolicam prosequendis, te subire oporteat magna onera expensarum, nos nolentes quod pro ipsarum defectu indigentiam patiaris, vel quod eadem negotia inexpedita remanere contingat, fraternitati tue contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam quindecim milium Bisantiorum sarracenatorum, nomine tuo et ecclesie Nicosiensis, ac te ipsum et successores tuos ac sedem archiepiscopalem Nicosiensem, et tua et eorundem bona mobilia et immobilia presentia et futura usque ad summam hujusmodi propterea creditoribus obligandi, usuris omnino cessantibus, et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum, omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis ac etiam impetrandis, et omni juris canonici et civilis auxilio, ac conventioni judicum et locorum si eorundem creditorum nomine super hiis contigerit apostolicas litteras impetrari, necnon omnibus aliis exceptionibus per quas posses contra creditores eosdem in posterum te tueri, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Nolumus

itaque quod tu dictique successores creditoribus ipsis hujusmodi pecuniam solvere, ac dampna, expensas et interesse reficere teneamini, si in termino a te statuendo eadem pecunia non fuerit persoluta, quibus creditoribus pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis aut cujuscunque privilegii vel indulgentie sedis apostolice, de quibus in nostris litteris plenam et expressam oporteat fieri mentionem, et per quam tu et successores predicti valeatis ulterius vos tueri, dictam pecuniam in jam dicte Nicosiensis ecclesie utilitatem conversam fore probandi necessitas non incumbat. Ceterum ne in hoc vorago locum sibi vendicet usurarum, intendimus quod tu vel dicti successores, aut sedes vel ecclesia Nicosiensis, sua seu tua vel ipsorum bona per has nostras litteras, per cujuspiam fraudis seu calliditatis astutiam sub quovis pallio seu colore verborum ad usuras aliquas obligari nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones, cautiones, recognitiones seu promissiones, per eas vel earum auctoritate seu occasione factas, quo ad obligationem usurarum hujusmodi, decernentes irritas et inanes, et nullius penitus existere firmitatis, eis nichilominus quo ad premissa omnia que usurariam pravitatem non sapiant in suo robore duraturis. Dat. Viterbii, XIIII kalendas augusti, anno primo. »

107 Viterbe, 19 juillet 1278.

Lexoviensi et Paneensi archidiaconis ac thesaurario ecclesie Sancte Crucis Acconensis mandat quatinus, si forte de pecunie summa mutuo recepta ab archiepiscopo Nicosiensi et diversis mercatoribus Senensibus infra nominatis persolvenda in statutis loco et termino non fuerit satisfactum, eundem archiepiscopum de tali satisfactione monere curent. (Fol. 27 v°; an I, n° 105.)

« .. *Lexoviensi et .. Paneensi archidiaconis, ac .. thesaurario ecclesie sancte Crucis Acconensis.* Significavit nobis venerabilis frater noster R. archiepiscopus Nicosiensis, quod cum ipse renuntians constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum, conventioni judicum et locorum, et omnibus litteris et indulgentiis a sede apostolica impetratis ac etiam impetrandis, a Fatio Benguionis, Ventura Bonamiki, Manfredo Ranutii et Bindo Clariti civibus et mercatoribus Senensibus, mutuantibus pro se Bonaventura Bernardini, Raynerio Jacobi, Clarito Johannis et Guillelmo Bencivenni, ac ceteris eorum sociis, de societate filiorum quondam Bonsignoris de Senis, habens per nostras litteras usque ad summam quindecim milium Bisantiorum Sarracenatorum de contrahendo mutuo potestatem, pro suis et ecclesie Nicosiensis negotiis mutuo receperit hujusmodi pecunie quantitatem, certis eis loco et termino persolvendam, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Nos ad supplicationem dicti archiepiscopi eorundem mercatorum indempnitati precavere volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, si forte de hujusmodi pecunie summa in statutis loco et termino, juxta instrumenti predicti tenorem, ita quod nulla alia probatio vel certitudo super hujusmodi debito exigatur a mercatoribus ipsis, quibus pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis, aut cujuscunque privilegii vel indulgentie, de quibus plenam et expressam oporteat in presentibus fieri mentionem, probandi necessitatem incumbere volumus, quod pecunia ipsa in utilitatem dicte Nicosiensis ecclesie sit conversa, non fuerit satisfactum, vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios extunc predictum archiepiscopum vel ejus successores archiepiscopos Nicosienses monere curetis, ut infra unum mensem post monitionem vestram de dicta pecunia cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum et interesse, usuris omnino cessantibus, mercatoribus satisfaciat antedictis, ac eum ad id per excomunicationis sententiam appellatione postposita compellatis, et tamdiu ipsum singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatum publice nuntietis, et faciatis ab aliis per omnia loca in quibus expedire videritis nuntiari, et ab omnibus artius evitari, donec predictis mercatoribus de prefata pecunia fuerit satisfactum. Non obstantibus constitutione —. Ceterum ne in hoc vorago —. Dat. Viterbii, XIIII kalendas augusti, anno primo. »

108 Viterbe, 4 août 1278.

Ecclesie Troiane Hugonem, professorem ordinis fratrum Predicatorum, in episcopum preficit. (Fol. 28; an I, n° 106.)

« *Venerabili fratri Hugoni episcopo Troiano.* Inter curas multiplices —. Dudum siquidem bone memorie Matheo Troiano episcopo viam universe carnis ingresso et postmodum magistro Hugone de Troia canonico ecclesie Troiane ad ipsius regimen a dilecto filio capitulo ejus electo, idem magister hujusmodi electioni sue, que per sedem apostolicam cui ecclesia prefata immediata subesse dinoscitur confirmata non fuerat, in manibus ipsius capituli sponte et libere renuntiare curavit. Iidem itaque capitulum finaliter convenientes in unum ac volentes eidem ecclesie sic pastore carenti de persona ydonea

providere, vocatis omnibus qui voluerunt debuerunt et potuerunt comode interesse, Spiritus Sancti gratia invocata, quondam Berterum canonicum ejusdem ecclesie tunc viventem in suum et ecclesie jam dicte pastorem et episcopum concorditer elegerunt. Verum electione hujusmodi facta de ipso Bertero demum predicte sedi apostolice presentata, felicis recordationis Johannes papa predecessor noster qui tunc sedi preerat eidem examinationem tam ipsius electionis quam electi etiam bone memorie B. Sabinensi episcopo et dilectis filiis nostris A. tituli Sancte Praxedis presbitero ac J. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinalibus apostolica auctoritate commisit. Cumque in negotio examinationis hujusmodi per eundem episcopum Sabinensem dum adhuc viveret dictosque cardinales usque adeo processum fuisset quod ipsi exinde plenam relationem dicto predecessori nostro fecissent, idem Berterus propter hoc apud sedem constitutus premissam sicut Domino placuit debitum nature persolvit. Nos itaque considerantes attente quod prefata Troiana ecclesia ea occasione presertim quod diu fuit pastoris destituta regimine detrimenta gravia in spiritualibus et temporalibus dinoscitur incurrisse ac super hiis paterno sibi compatientes affectu, ne ipsa vacaret diutius et graviora prioribus dispendia sustineret, provisionem ejusdem ecclesie Troiane nobis et supradicte apostolice sedi ea vice duximus reservandam, intendentes eidem ecclesie Troiane sine more dispendio talem auctore Domino pastorem preponere, per quem sibi posset in tantis necessitatibus votiva respiratio provenire, sicque demum ad te professorem ordinis fratrum Predicatorum, tunc dilecti filii nostri G. tituli Sancti Marci presbiteri cardinalis domesticum capellanum, conversis nostre mentis oculis, te sepe dicte Troiane ecclesie de fratrum nostrorum consilio preficimus auctoritate apostolica in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Troiane in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committentes, necnon munus consecrationis tibi nostris propriis manibus impendentes, palleum insigne videlicet pontificalis officii a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum tibi ad nomen et usum ipsius ecclesie Troiane, cujus presuli ex indulto sedis apostolice usus pallei est concessus, juxta formam quam in talibus observat Romana ecclesia fecimus assignari, habita de te firma fiducia quod —. Dat. Viterbii, II nonas augusti, anno primo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Troiane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Troiane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Troiane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Troiane.
In e. m. illustri regi Sicilie.

« Inter curas etc. usque incrementum. Ideoque serenitatem regiam duximus attente rogandam quatinus te prefato episcopo pro apostolice sedis et nostra reverentia constituens affectum benivolum, vultum serenum, et opere generosum, ei quecumque bona ipsius ecclesie a tuis officialibus seu quibuscumque ministris injuste detenta restitui facias —. Dat. ut supra. »

109 Viterbe, 10 août 1278.

Electionem in ecclesia Tudertina, olim per translationem B. tunc Tudertini episcopi in episcopum Albanensem assumpti vacante, de Anglerio factam confirmat. (Fol. 28 v°; an I, n° 107.)

« *Venerabili fratri Anglerio episcopo Tudertino.* Ex incumbenti nobis —. Dat. Viterbii, IIII idus augusti, anno primo. »

In eundem modum priori et capitulo ecclesie Tudertine.
In e. m. clero civitatis et diocesis Tudertine.
In e. m. populo civitatis et diocesis Tudertine.
In e. m. universis vassallis ecclesie Tudertine. Dat. ut supra.

110 Viterbe, 12 août 1278.

Infrascriptis significat se regi Anglie, si transfretaverit in subsidium Terre Sancte, decimam ecclesiasticorum redditiuum ab ipso postulatam concessisse sub forma in eadem bulla contenta. (Fol. 29; an I, n° 108; Potthast 21392.)

« *Venerabilibus fratribus .. Londoniensi et .. Herefordensi episcopis, ac dilecto filio magistro Arditioni capellano et nuntio nostro in Anglia et fratri Johanni de Derlinton ordinis Predicatorum.* Nuper tu fili —. Dat. Viterbii, II idus augusti, anno primo. »

111 Viterbe, 1er août 1278.

Regi Anglie scribit circa petitiones ipsius de redditiuum ecclesiasticorum decima pro subsidio Terre Sancte; ei concedit ut post crucesignationem ipsi viginti millia marcarum de collecta decima assignentur; sibi autem reservat ut tam ante concessionem decime quam etiam post de ipsa disponere libere valeat. (Fol. 29 v°; an I, n° 109; Potthast 21373.)

« *Regi Anglie illustri.* Dilecti filii frater —. Dat. Viterbii, kalendis augusti, anno primo. »

112 Viterbe, 1er août 1278.

Regi Anglie, qui postulaverat ut census annuus mille mar-

carum sterlingorum, ad quem ratione regni Anglie ac Ybernie ecclesie Romane tenetur, per manus aliquorum abbatum et priorum ejusdem regni, quorum monasteriis paratus sit ad id sufficientes possessiones et redditus assignare, de cetero persolvatur, minime consentit. (Fol. 29 v°; an I, n° 110; POTTHAST 21374.)

« *Eidem.* Dilecti filii frater —. Dat. Viterbii, kalendis augusti, anno primo. »

113 Viterbe, 13 août 1278.

Potestati, capitaneis, consilio et communi Januensibus mandat quatinus super gravibus injuriis, de quibus nobilium comitum Lavanie querelam recepit, infra unius mensis spatium a receptione presentium cum prefatis nobilibus ad satisfactionem et concordiam veniant. (Fol. 30; an I, n° 110 (*sic*).)

« .. *potestati*, .. *capitaneis*, *consilio et communi Januensibus.* Si datur vobis oculo recte considerationis aspicere, si cogitare vultis dies antiquos et dona bonitatis Dei, quibus inter cetera orbis terrarum loca civitatem vestram et habitatores illius multis ornavit gratiarum muneribus et beneficiis ampliavit, satis habundeque videmini recepisse unde ad partem celestem manus extollere in laudem et benedictionem ipsius ab intimis precordiorum nostrorum partibus debeatis. Vidit olim talia et in fidei sinceritate amplexa est animorum vestrorum preclara devotio, que in faciem sancte matris ecclesie reverenter aspitiens illa inter persecutionis angustias comprehense filiali pietate condoluit et humilitatis sue colla submittens in oportunis pro rerum et temporum qualitate presidiis dorsum suum ab oneribus non divertit. Et ut viciniora nostris temporibus attingamus, manere adhuc cernimus in conspectu mundi acceptum ex vobis felicis recordationis Innocentii pape quarti magnum egregiumque spectaculum, in quo illius magnificentia in hora tempestatis apparuit et fidelitatis vestre constantia multis se argumentis exercuit, ita quod ex hiis pariter gentibus et poplis in honorificentiam et gloriam dati estis. Et quidem meministis et nostis quod bonorum omnium retributor omnipotens per manum matris ecclesie vos et civitatem vestram confovit in bonis, liberavit a malis et astitit vobis in omni loco, assumendo vos velud filios materne caritatis uberibus enutritos. Habentes itaque amabiles cogitationes preteritorum, que mentem nostram de vobis et actibus vestris desiderabili suavitate reficiunt, cum ad nova convertimur, non sine turbatione miramur quod in majoribus experta prudentia vestra et fides in sublimioribus comprobata nunc in minoribus quasi obliviosa deficere videatur. Ecce dum in personis dilectorum filiorum virorum nobilium comitum Lavanie in conspectu nostro et totius ecclesie prefati nostri predecessoris Innocentii memoria gloriosa refulget, vos quidem pre ceteris esse videmini tanto debitores patri tanquam de vobis egresso et ejus beneficiis astricti, ac beate ipsius memorie sempiterna veneratione cultores. Quomodo a vestra potest novum ac recens excidisse memoria decus vestrum quod in apostolicam sedem surrexit ex vobis de domo illa pie recordationis Adrianus papa, in cujus nomine duplicato vobis celesti munere vestra gloria prefulgebat, quanquam enim illum velociter tulerit divinum judicium, cujus causa latens dolorem in amisso vel gaudium in bene placito Domini ambiguum dereliquit suis tamen nostrum amorem et gratiam ante apostolatus sedem et in ipso magnificis meritis comparavit. Quale igitur putatis quod in eos, qui tantis patribus propinquitate sanguinis et nature convincti vobis credi et esse debent tantorum meritorum heredes et illorum coram oculis vestris memoriale conscriptum, non solum hostilitatis odia commovistis verum etiam post pacem, quam super vobiscum bonis ut putabatur auspitiis inierunt, sic contra eos vertistis odii spiritum quod sua ipsis juxta tenorem concordie inter vos et ipsos habite privilegia non servantes, aliquos ex eis banniendo, aliquos certis confiniis que egredi non audeant deputando, aliquos etiam carceri mancipando pluribusque aliis modis eos ledendo in personis et rebus eorum pacem sic initam violastis, prout eos ipsa facti veritas ostendere dicitur ac ipsorum nobilium supplex et devota querela nostris auribus patefecit. Hoc autem et si ex premissorum consideratione satis abhorrere possit intuitus sane mentis, ex eo tamen apud nos potest gravius extimari, quod cum pax ipsa in manibus apostolice sedis tractata fuerit et completa ipsiusque auctoritate robur acceperit firmitatis, cui etiam ex partium voluntate in ipsius pacis tenore dicitur expresse ac specialiter reservatum ut utramque partem ad pacis ipsius observantiam quotiens opus esset spiritualiter et temporaliter coartaret ipsa ex hiis in pacis fractione ledi videtur non modicum et contempni, que mater est pacis, concordie nutrix et magistra fidelium ad studia caritatis. Quocirca officii nostri debitum, quo omnium fidelium quieti paterna tenemur cura prospicere, predictorum nobilium, in quorum prosperitate gaudemus et adversitatibus molestamur veluti quos inter ceteros specialis affectu dilectionis amplectimur, querimoniis impendentes, universitatem vestram rogamus monemus et hortamur attente vobis per apostolica scripta mandantes quatinus ad considerationem premissorum diligenter aperientes oculos vestros et corda vestra in filiali devotione nostris monitis et exhortatio-

nibus admoventes, ita super omnibus premissis infra unius mensis spatium a receptione presentium cum prefatis nobilibus ad satisfactionem et concordiam veniatis, ut nulla ipsis remaneat de vobis occasio conquerendi et nos devotionem vestram in exauditione salubrium monitorum nostrorum possimus merito commendare. Super premissis autem vestrum beneplacitum per dilectum filium nostrum G. Basilice duodecim Apostolorum presbiterum cardinalem, cum ad civitatem vestram Deo duce pervenerit, commisimus oretenus exponendum, cujus auditis in hac parte monitis ac exhortationibus inductivis seu nostris post per ipsum vobis plenius declarandis, vos sanctam ecclesiam matrem vestram aspicientes in filio velut obedientie ac devotionis alumpni vestros animos ad illa devote ac efficaciter inclinetis. Dat. Viterbii, idibus augusti, anno primo. »

114 Viterbe, 13 août 1278.

Episcopo Foriliviensi mandat quatinus, super eisdem injuriis inquisita diligentius veritate, si rem ita esse invenerit, prefatos capitaneos consiliarios et alios excommunicatos usque ad satisfactionem condignam publice nuntiet. (Fol. 30 v°; an I, n° 111.)

« .. *episcopo Foriliviensi.* Significarunt nobis dilecti filii nobiles viri Albertus Fredericus Manuel de Flisco comites Lavanie, Grimaldi et ceteri adherentes eisdem quod, dudum inter ipsos ex parte una et capitaneos et commune civitatis Januensis ex altera suborta discordia, divina tandem favente clementia felicis recordationis Innocentius papa quintus predecessor noster ad utriusque partis bonum et tranquillum statum studio paterne pietatis intendens, partes ipsas ad pacem reduxit et concordiam inter alia continentem quod dicti nobiles et adherentes eisdem cum personis et rebus ac familiis eorum in civitatem ipsam redirent et in suis domibus morarentur ac bonis et juribus suis fruerentur libere et intrandi ac egrediendi civitatem ipsam haberent liberam facultatem, ita quod per commune prefatum vel per alios ipsorum nomine morari in dicta civitate vel alio certo loco minime cogi possent, quodque dictis nobilibus commune ipsum castra ipsorum infra duos annos a die prefate pacis inite restitueret, custodia castrorum ipsorum certis personis in concordie seu pacis hujusmodi tenore nominatim expressis interim committenda, que post dictum tempus ad dictorum nobilium manus libere perveniret; cetera vero bona tam dictis nobilibus quam aliis eisdem adherentibus sine more dispendio restituere tenerentur. Certam quoque pecunie quantitatem pro satisfactione pecunie recepte ab ipso communi de bonis dictorum nobilium et aliorum predictorum durante discordia dictum commune ipsis solvere ac privilegia ipsorum nobilium de Lavania dicti capitanei una cum prefato communi observare ac illesa custodire in omnibus promiserunt. Ad premissorum etiam et ceterorum que in tenore dicte pacis et concordie continentur perpetuam firmitatem, ab utraque parte hinc inde interpositis juramentis, bone memorie B. Sabinensis episcopus de certa scientia et mandato prefati predecessoris nostri in prefatos capitaneos et commune de ipsorum procuratorum libero et expresso consensu extunc excommunicationis sententiam promulgavit quam ipso facto incurrerent, si contra premissa vel aliquod eorum facerent vel venirent. Ipse quoque partes unanimiter voluerunt et consenserunt expresse ut idem predecessor noster et successores ejus qui pro tempore fuerint partes ipsas ad observanda omnia et singla in ipsa pace contenta possent per censuram ecclesiasticam et aliis modis quibus videretur eisdem spiritualiter et temporaliter coartare, prout in dicte pacis tenore dicitur plenius contineri. Licet autem iidem capitanei et commune qui super hiis et aliis ipsius pacis et concordie tenore contentis per dictos procuratores eorum facta fuerant ratificaverint et interposuerint propria super ipsorum observatione prout ipsorum procuratores convenerant juramenta, postmodum tamen contra pacem et concordiam ipsam voluntarie venientes quosdam ex ipsis nobilibus banno supposuerunt, perpetuo alios certis confiniis deputarunt que excedere non auderent, necnon aliquos carceri manciparunt. Castra etiam prout infra certum tempus tenebantur restituere dictis nobilibus non curantes, pecuniam promissam tam ipsis nobilibus quam aliis supradictis, licet in parte solverint, in totum tamen minime persolverunt. Et licet in ipsorum nobilium privilegiis contineatur expresse quod, si quis eorum terras, possessiones, domos aut alia bona mobilia et immobilia emerit in territorio communis Januensis, res ipse ad eundem emptorem ab omni onere collecte vel cujuslibet exactionis perveniant et sibi permaneant libere et immunes ; quodque si quis ipsorum nobilium de Lavania granum, vinum, oleum, ligna, salem, pannos et alia hujusmodi emat aut vendat ipse pro tali contractu ratione cujusdam exactionis que apud eos mala tolta vulgariter appellatur nichil solvere cogi possit, dicti tamen capitanei et commune in fraudem privilegiorum ipsorum indirecte et fallaciter configentes statuto cuidam mituntur, ne quis tabellio super emptionibus rerum in quibus dicti nobiles ab exactionis et collecte onere per sua privilegia sunt exempti, nisi emptor suo privilegio in hac parte renuntiet, audeat conficere publicum instrumen-

tum, alias dictos nobiles de Lavania de emptionibus et venditionibus aliis preter quam de pannis ratione exactionis premisse que mala tolta dicitur solvere compellendo. Et sic in hiis et aliis pluribus articulis tenorem dicte pacis et concordie tam sollempnis infringunt in animarum suarum periculum, plurimorum scandalum et ipsorum nobilium ac adherentium eisdem prejudicium et gravamen. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, super omnibus premissis inquisita de plano et sine judicii strepitu diligentius veritate, si rem ita esse inveneris, prefatos capitaneos necnon consiliarios et alios qui ex hujusmodi causa excommunicationis sententiam incurrisse noscuntur excomunicatos usque ad satisfactionem condignam publice nunties, et facies in locis ubi expedire videris pulsatis campanis et candelis accensis per alios publice nuntiari. Et si prefati capitanei, consiliarii et commune sententiam hujusmodi per mensem unum a die publicationis tue animo sustinuerint indurato, tu extunc eadem auctoritate in eosdem aggraves manum tuam prout inobedientium contemptus exegerit et qualitati negotii videris expedire. Si vero propter dictorum capitaneorum, consiliariorum et communis potentiam seu malitiam aut cujuslibet alterius impedimenti obstaculum te vel nuntios tuos quos propter hoc duxeris destinandos civitatem Januensem intrare vel in ea secure morari ad mandati nostri executionem non posse cognoveris, tu extra civitatem eandem in alia circumstante civitate vel loco, quem ad hoc elegeris, premissa nichilominus sic publice ut verisimile non sit prefatos capitaneos, consiliarios et commune tuum ignorare processum vel ipsum ad eorum non posse notitiam pervenire fideliter et efficaciter exequaris. Dat. ut supra. »

115 Viterbe, 17 août 1278.

Archiepiscopo Nicosiensi, propter magnas quas subit expensas, contrahendi novum mutuum facultatem concedit. (Fol. 31; an I, nº 122.) (Cf. *supra*, **106**.)

« *R. archiepiscopo Nicosiensi.* Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis necessariis quam pro ecclesie tue negotiis apud sedem apostolicam prosequendis te subire oporteat magna onera expensarum, nos nolentes quod pro ipsarum defectu indigentiam patiaris, vel quod eadem negotia inexpedita remanere contingat, fraternitati tue contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam duodecim milium bisantiorum Sarracenatorum nomine tuo et ecclesie Nicosiensis —. Dat. Viterbii, XVI kalendas septembris, anno primo. »

116 Viterbe, 26 août 1278.

Bononiensi et Paneensi archidiaconis ac thesaurario ecclesie Sancte Crucis Acconensis mandat quatinus, si forte de pecunie summa mutuo recepta ab archiepiscopo Nicosiensi et diversis mercatoribus Florentinis infra nominatis persolvenda in statutis loco et termino non fuerit satisfactum, eundem archiepiscopum de tali satisfactione monere curent. (Fol. 31; an I, nº 113.) (Cf. *supra*, **107**.)

« *Dilecto filio .. Bononiensi et .. Paneensi archidiaconis ac .. thesaurario ecclesie Sancte Crucis Acconensis.* Significavit nobis venerabilis frater noster R. archiepiscopus Nicosiensis quod cum ipse renuntians constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum, conventioni judicum et locorum et omnibus literis et indulgentiis a sede apostolica impetratis ac etiam impetrandis, a Franketo Rimbertini, Maynecto Raynaldi et Curso Bonincontri civibus et mercatoribus Florentinis mutuantibus pro se Uberto Raynaldi Francisco Rambertini, Ducio et Jannino Bonfilioli, Benino Bonincontri ac ceteris eorum sociis de societate Rambertinorum Pulicium et Ducii Bonfilioli de Florentia, habens per nostras litteras usque ad summam duodecim milium Bisantiorum Sarracenatorum de contrahendo mutuo potestatem pro suis et ecclesie Nicosiensis negotiis, mutuo receperit hujusmodi pecunie quantitatem certis eis loco et termino persolvendam, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Nos ad supplicationem —. Dat. Viterbii, VII kalendas septembris, anno primo. »

117 Viterbe, 31 août 1278.

Episcopo Senensi mandat quatinus intrinsecos et extrinsecos civitatis Senensis moneat et inducat, quod infra viginti dies post monitionem hujusmodi nuntios ad sedem apostolicam cum plenaria potestate transmittant, ad tractandum et complendum pacem. (Fol. 31 vº; an I, nº 114.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Senensi.* Multe sollicitudinis onus sensibus nostris adicitur, et cura plena vigiliis viscera nostra multipliciter inquietat, cum ecclesie Romane fideles et filios diffidere conspicimus, ipsorum statu procellarum turbine fluctuante. Non enim patris animus potest adherere quieti, dum ejus mentem in filiis dissentio federis consumptiva latescit, et non potest ab illis suos cogitatus excutere, quia nil melius dissidentium filiorum corda placabit quam paterni providentia studii vigilans assidue circa illos. Sane laboravit ab olim eadem ecclesia, et nos operosa prosecutione labores impendi-

mus, quod de multiplicibus civitatis et civium Senensium turbationibus, quas longo tempore pertulerunt, ad quietis gaudia redeant, ad hoc specialiter intendentes, quod inter intrinsecos et extrinsecos civitatis ejusdem possit pacis integritas et unitatis soliditas annuente Domino restaurari. Ad quod nobis spes placida et accepta presagia, eisque a vicinis eorum amplectende pacis exempla sequenda per eos plenis studiis ministrantur, nam intrinseci et extrinseci Florentini licore superne benignitatis allecti videntur animos ad concordiam inclinasse, sicut ipsorum gratis auspitiis dulci perceptione collegimus, in eo potissime quod super hiis que pacem et concordiam contingunt easdem, in nos alte et basse ac libere et absolute hinc et inde compromittere inspirante Domino studuerunt. Et quia desiderabiliter appetimus, quod super hiis nobis et eisdem Senensibus ad quietem mentium Altissimus prosperetur, et cum eis super premissis intendimus habere tractatum fructus uberes divina cooperante clementia producturum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, eosdem intrinsecos et extrinsecos iuxta datam tibi a Domino gratiam ad bonum pacis excitans et informans, ipsos ex parte nostra moneas efficaciter et inducas, quod infra XX^ti dies post monitionem hujusmodi sollempnes ambassatores et nuntios ad nos cum sufficienti mandato et plenaria potestate transmittant ad tractandum pacem hujusmodi et illam complendum, si hoc ex alto provenerit, vel quemlibet alium etiam compromittendi, seu cujuslibet alterius generis circa premissa tractatum assumendum, prosequendum, complendum et debita firmitate vallandum, ac etiam alia de mandato nostro, sicut tranquillitati eorum viderimus expedire, dante Domino consumandum. Diem vero monitionis hujusmodi et quicquid inde feceris nobis tuis litteris harum seriem continentibus studeas fideliter intimare. Dat. Viterbii, II kalendas septembris, anno primo. »

In eundem modum venerabili fratri .. episcopo Pistoriensi. « Multe sollicitudinis etc. ut in proxima superiori usque in fine, excepto quod ubi dicit Senenses debet dici Pistorienses. »

118 Viterbe, 10 août 1278.

Magistro Stephano decano Laudunensis ecclesie, cujus electionem, ab archidiacono et capituló unanimiter celebratam, archiepiscopus Remensis approbavit, decanatum confirmat. (Fol. 32; an I, n° 115; POTTHAST 21391.)

« *Magistro Stephano de Villa Mauri decano ecclesie Laudunensis.* In nostra proposuisti —. Dat. Viterbii, IIII idus augusti, anno primo. »

119 Viterbe, 19 août 1278.

Ecclesie Gradensi Guidonem fratrem heremitarum ordinis Sancti Augustini, tunc capellanum G. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, in patriarcham preficit. (Fol. 32; an I, n° 116.)

« *Venerabili fratri Guidoni patriarche Gradensi.* Ad universalis ecclesie regimen —. Sane Gradensi ecclesia pastoris solatio destituta, venerabiles fratres nostri episcopi suffraganei ac dilecti filii .. archidiaconus et capitulum ejusdem ecclesie, ad quos comuniter electio patriarche in ecclesia ipsa de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, vocatis omnibus qui voluerunt debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad tractandum de provisione facienda ipsi ecclesie de pastore prefixa, convenientes in unum super hujusmodi provisione in nos unanimiter compromittere curaverunt. Nos igitur, qui circa viduatas ecclesias continue attentionis oculis vigilamus, volentes eidem ecclesie ne dampna ex longa vacatione subiret salubriter providere, te fratrem Heremitarum ordinis Sancti Augustini tunc capellanum dilecti filii nostri G. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, cui te vite munditia, religionis zelo, dono scientie, disciplina morum, providentia spiritualium et temporalium prudentia laudabile testimonium perhibetur tam ex virtute compromissi hujusmodi, quam ex plenitudine potestatis apostolice de fratrum nostrum consilio predicte ecclesie in patriarcham prefecimus et pastorem, ac tibi propriis nostris manibus munere consecrationis impenso palleum de beati Petri corpore sumptum insigne videlicet pontificalis officii cum ea qua decuit instantia postulatum a nobis tibi fecimus assignari, sperantes firmiter etc. —. Dat. Viterbii, XIIII kalendas septembris, anno primo. »

In eundem modum .. archidiacono et capitulo ecclesie Gradensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Gradensis.

In e. m. suffraganeis ecclesie Gradensis.

In e. m. nobili viro .. duci, consilio et communi Venetorum. Dat. ut supra.

120 Viterbe, 13 août 1278.

Ecclesie Montisregalis Joannem capellanum suum in archiepiscopum preficit. (Fol. 32 v°; an I, n° 117.)

« *Johanni electo Montisregalis.* In supreme dignitatis specula —. Sane dudum ecclesia Montisregalis pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ejusdem ecclesie ad tractandum de provisione facienda ipsi ecclesie de

prelato prout moris est convenerunt in unum, et tandem post multiplices tractatus super hoc habitos inter eos et processus secutos varios ex eisdem in venerabilem fratrem nostrum G. episcopum Potentinum vota sua unanimiter dirigentes, ipsum in Montisregalis archiepiscopum postularunt; et demum ipsi per dilectum filium fratrem Matheum de Agrigento monachum ipsius ecclesie nobis decretum postulationis hujusmodi presentantes, a nobis suppliciter petierunt ut postulationem ipsam admittere dignaremur. Cumque nos per venerabilem fratrem nostrum Latinum Ostiensem et Velletrensem episcopum et dilectum filium G. tituli Sancti Marci presbiterum et M. Sancte Marie in Porticu diaconum cardinales examinari fecissemus decretum hujusmodi diligenter, dictus episcopus cupiens quieti sue consulere in hac parte juri libere in nostris manibus cessit, si quod sibi fuerat ex postulatione hujusmodi acquisitum. Nos itaque, hujusmodi libera cessione recepta, sollicite de ordinatione ipsius ecclesie cogitantes ne vacationis incomodis que per longa tempora eadem ecclesia dinoscitur diutius subjacere, ac talem illi cupientes preesse pontificem de quo certam haberemus notitiam, quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimerent nec dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini commendandam et in cujus fide fida recumberet securitas subditorum, primo de dilecto filio B. abbate monasterii Montismajoris ordinis Sancti Benedicti Arelatensis diocesis ipsi ecclesie duximus providendum, eoque postmodum onus provisionis hujusmodi nonnullis interpositis excusationibus recipere recusante, in te tunc capellanum nostrum direximus oculos nostre mentis, quem nobis et fratribus nostris de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium et temporalium providentia et ad Romanam ecclesiam devotione sincera familiaris experientia dinoscitur approbasse. Quapropter gregi dominico speciali volentes diligentia providere de consilio eorundem fratrum nostrorum te ipsi ecclesie preficimus in archiepiscopum et pastorem. Firmam spem —. Dat. Viterbii, idibus augusti, anno primo. »

In eundem modum capitulo et clero Montisregalis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Montisregalis.

In e. m. universis episcopis suffraganeis ecclesie Montisregalis. — Dat. ut supra.

In e. m. .. regi Sycilie illustri. — Dat. Viterbii, nonis septembris, anno primo.

121 Viterbe, 12 septembre 1278.

Decano et capitulo Autisiodorensibus significat se postulationem ipsorum de Henrico de Virziliaco ejusdem ecclesie pastore electo non admittendam duxisse; eis autem canonice de pastore ydoneo providendi potestatem liberam concedit. (Fol. 33; an I, n° 118.)

« .. *decano et capitulo Autisiodorensibus.* Ex vestrarum serie litterarum accepimus, quod ecclesia vestra per translationem bone memorie Erardi Penestrini tunc Autisiodorensis episcopi ad Penestrinam ecclesiam eo tempore pastore carentem sui presulis regimine destituta, vos die ad eligendum prefixa convenientes in unum, invocata Spiritus Sancti gratia ut est moris, ad eligendum vobis pastorem per viam scrutinii processistis, et cum essetis numero quadraginta duo, computato uno qui in claustro vestro degebat infirmus, compertum est eodem scrutinio publicato, quod XXV de vobis in dilectum filium magistrum Henricum de Virziliaco presbiterum capellanum nostrum concanonicum vestrum thesaurarium Laudunensem, absentem ab eadem Autisiodorensi ecclesia consenserunt, reliquis in alios dirigentibus vota sua, sicque mox diligenti numeri ad numerum, zeli ad zelum et meriti ad meritum collatione secuta, dilectus filius magister Hugo de Hermanno concanonicus vester vice sua et omnium aliorum, qui in prefatum capellanum consenserant, eum elegit, sive postulavit in Autisiodorensem episcopum, secundum quod melius posset de jure valere, et statim omnes etiam reliqui electioni seu postulationi hujusmodi liberaliter suum prebuere consensum; subsequenter hiis que de electione seu postulatione ipsa facta fuerant in eadem Autisiodorensi ecclesia sollempniter publicatis, porro sicut supradicte vestre littere continebant verbum electionis seu postulationis in hujusmodi vestro processu pro eo insertum extitit, quia cum dubitatione quadam suspicabamini, ut vestris verbis utamur, eundem capellanum posse ad pontificatus apicem sublimari quem videbatis in sacerdotio constitutum, nec ignorabatis in oculo sinistro lumine destitutum, verumtamen invenistis postmodum quod idem contentus existens quod posset in sacerdotio ministrare, ambitionis in hac parte abiciens incentivum, in obtinenda super hoc majori gratia non multum fuerat curiosus, nec habeat eandem. Unde postulationi premisse concorditer et unanimiter insistentes, ad prosequendam postulationem eandem dilectos filios magistros Stephanum sacristam et Henricum de Nivernis ipsius ecclesie Autisiodorensis canonicos procuratores ad nostram presentiam destinastis, tam per eos qui ad hoc diligenter et sollicite institerunt, quam per dictas litteras humiliter et instanter petentes a nobis, ut eidem Autisiodorensi ecclesie viduate paterno compatientes affectu, postula-

tum eundem vobis preficiendum ipsi ecclesie in episcopum et pastorem, defectu non obstante premisso, concedere dignaremur, secum super defectu ipso misericorditer dispensando, presertim cum sicut in eisdem asserebatis litteris non sit tantus ipse defectus quod scandalum vel oculis intuentium horrorem inducat, nec in eo appareat ex defectu visus periculum formidandum; subjuncto in eisdem vestris litteris, quod idem capellanus auctoritate felicis recordationis Gregorii pape X predecessoris nostri ad ordinem sacerdotii promotus fuerit, et in ordine ipso ministraret, et quod firma fiducia nichilominus cleri et populi civitatis et diocesis Autisiodorensium habebat per postulati ejus industriam sepedictam ecclesiam a multis oppressionibus, quibus pregravari dinoscitur, celeriter seu de facili relevari debere. Sane premissis diligenter auditis et in deliberationis introductis examen petitioni vestre non leve videbatur afferre suffragium postulati scientia, vite virtus, morum gravitas, conversatio grata, fama laudabilis, super quibus ipse multorum magnatum et aliorum fidedignorum testimonio multipliciter commendatur. Verum rigor juris et exempli pernities efficatius obsistebant; nam cum canones expresse prohibeant defectum hujusmodi patientibus minoris etiam sacerdotii jura concedi, periculosum proculdubio foret exemplo in tante dignitatis apice aliis similia postulandi propter unius persone quantecunque favorem aditum aperiri. Propter quod, dicta petitione vestra quo ad dispensationis gratiam urgente conscientia non admissa, postulationem premissam non duximus admittendam, sed eam quatenus de facto processit de fratrum nostrorum consilio justitia exigente cassavimus, cassam et irritam nuntiamus, universitati vestre, vobis et sepefate Autisiodorensi ecclesie canonice de pastore ydoneo providendi potestatem liberam concedentes. Dat. Viterbii, II idus septembris, anno primo. »

122 Viterbe, 5 septembre 1278.

Cum abbas et conventus monasterii Sancti Salvatoris de Spongia, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Vulterane diocesis, supplicarint ut pro exoneratione debitorum quibus premuntur et pro reparatione domorum suorum vendendi de possessionibus minus utilibus licentia sibi concedatur, infrascriptis mandat quatinus de predictis possessionibus et earum valore et aliis circumstantiis veritatem diligentius inquirant. (Fol. 33 v°; an I, n° 139; Potthast 21405.)

« .. *Sancti Michaelis de Podio Bonizi et .. de Conea monasteriorum abbatibus Florentine et Vulterane diocesum, ac .. guardiano fratrum Minorum Florentinorum.* Exposuerunt nobis dilecti —. Dat Viterbii, nonis septembris, anno primo. »

123 Viterbe, 18 août 1278.

Infrascriptis mandat quatinus postulationem a capitulo Coronensis ecclesie de Lacedemonensi episcopo celebratam examinent et, si juri consistat, confirment. (Fol. 33 v°; an I, n° 120; Potthast 21394.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Olonensi et dilecto filio .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum de Clarentia, Olenensis diocesis.* Transmissa nobis dilecti —. Dat. Viterbii, XV kalendas septembris, anno primo. »

124 Viterbe, 1er septembre 1278.

Cum fratres hospitalis Sancte Marie ad Sanctum Gallum Florentini Aldebrandinum de Mulgello fratrem ejusdem hospitalis in rectorem elegerint, episcopo Urbevetano mandat quatinus electionem confirmat, si, inquisita diligentius veritate, eam invenerit de persona ydonea canonice celebratam. (Fol. 34; an I, n° 121.)

« .. *episcopo Urbevetano.* Sua nobis fratres hospitalis Sancte Marie ad Sanctum Gallum Florentini ad Romanam ecclesiam nullo mediate pertinentis, ordinis Sancti Augustini, petitione monuerunt quod olim eodem hospitali destituto rectore, ipsi prout moris est convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Aldebrandinum de Mulgello fratrem ejusdem hospitalis, virum providum et discretum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in rectorem ejusdem hospitalis canonice ac concorditer elegerunt. Quare dicti fratres nobis humiliter supplicarunt, ut cum idem electus propter paupertatem ejusdem hospitalis nequeat apostolicam sedem adire pro confirmationis munere obtinendo, providere super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi constiterit dictum hospitale ad eandem ecclesiam non mediate pertinere, inquisita de modo electionis hujusmodi, eligentium studiis et electi meritis diligentius veritate, predictam electionem, si eam inveneris de persona ydonea canonice celebratam, auctoritate nostra confirmes, faciens eidem electo a subditis suis obedientiam et reverentiam sibi debitam exhiberi; recepturus ab eo postmodum pro no-

bis et ecclesia predicta juxta formam, quam tibi sub bulla nostra transmittimus, fidelitatis debite juramentum. Formam autem juramenti quod electus ipse prestabit de verbo ad verbum per ejusdem patentes litteras suo sigillo signatas nobis per proprium nuntium quamtotius destinare procures. Alioquin eadem electione rite cassata facias hospitali predicto de persona ydonea per electionem canonicam provideri. Contradictores etc. usque compescendo. Dat. Viterbii, kalendis septembris, anno primo. »

125 Viterbe, 4 septembre 1278.

Episcopo Cameracensi mandat quatinus scabinis, juratis et comunitati hominum ville de Valenchenis licentiam tribuat destruendi partem cujusdam capelle, ipsis ad dilatationem fori ville necessariam, ita tamen quod altare nullatenus violetur, et ejusdem capelle proveniat dilatatio decenter extra fines, sicut promiserunt. (Fol. 34 ; an I, nº 122.)

« .. *episcopo Cameracensi.* Significarunt nobis dilecti filii scabini, jurati et comunitas hominum ville de Valenchenis Cameracensis diocesis quod ipsi utilitati publice sollicitam operam adhibentes arram fori seu mercati ejusdem ville continentiam, ad quod frequenter circumvicine regionis pro utilitate rerum que cotidie inibi exercetur innumera quasi confluit multitudo, congruis finibus seu terminis, sicut jam laudabiliter inceperunt, non paucis expensis et sumptibus affectant et satagunt dilatare, hujusmodi quidem dicti fori structura ibidem confluentibus multa incomoda ac etiam pericula sepius inferebat. Verum quia quedam capella in foro ipso constituta decrete seu determinate per eos dilatationis illius non modicam partem capit, dicti scabini, jurati et comunitas nobis humiliter supplicarunt ut, cum ipsi sicut asserunt parati sint predictam capellam extra fines ipsos structura nobili sumptibus et expensis propriis dilatare, maxime cum plures immunditie circa dictam capellam fierent, si partem ipsius capelle in statu in quo nunc est contingeret remanere, ac presbitero celebranti in dicta capella propter tumultum convenientium ad forum predictum multa impedimenta et incommoda provenirent, providere super hoc de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque volentes tuam super hiis qui loci diocesanus existis conscientiam onerare, quem latere non credimus facti circumstantias et negotii qualitatem, predictorum scabinorum, juratorum et comunitatis supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, eis facientibus quod offerunt, destruendi partem ipsius capelle ipsis ad dilatationem ejusdem fori necessariam et demum dilatationi hujusmodi applicandam, non obstante quod capella ipsa a quibusdam fuisse creditur dedicata, auctoritate nostra licentiam tribuas, si videris expedire, et ad id tuus ac dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Sancti Johannis ejusdem ville, qui in dicta capella jus patronatus obtinere dicuntur, et perpetui capellani prefate capelle ac populi ejusdem ville et omnium quorum interest accedat assensus ; ita tamen quod altare ipsius capelle nullatenus violetur, et ejusdem capelle proveniat dilatatio ac ipsius dilatationis cum altari continuatio, sicut decet. Dat. Viterbii, II nonas septembris, anno primo. »

126 Viterbe, 5 septembre 1278.

Archiepiscopo Coloniensi mandat quatinus Joannem Traiectensem electum moneat, ut decimam pro Terre Sancte subsidio deputatam, et in ecclesia fratrum Predicatorum Traiectensium depositam, quam auferre presumpsit, infra decem dierum spatium post monitionem integre collectoribus restituat. (Fol. 34 ; an I, nº 123).

« .. *archiepiscopo Coloniensi.* Exultamus in Domino, cum presidentes gregi dominico sic lucernas ardentes in manibus bajulant, quod per laudabilis operationis studium redduntur proximis lucis exemplum, sed nec minus procella turbationis percellimur, cum hii actus contrarii tenebris se subditis noctis transfigurantes in angelum tetri proh dolor itineris ipsis se duces efficiunt, quorum pedibus constituuntur directionis lucerna. Quemadmodum nuper sinistra heu relatione ministra didicimus, quod Johannes electus Traiectensis, cujus presidentia norma spectabilium actuum aliis debet existere, cujusque ollam caritatis successam interius si qua est docet exterius virtutibus scintillare, labetabido appetitui cupiditatis consentiens, nec verens plebi effici nepharie lubricitatis exemplar in divine majestatis opprobrium, lesionem generalis ecclesie consurgentis quoque in extinctionem christiani nominis feritatis favorem contra Terre Sancte subsidium de arcu avaritie sagittam persecutionis emisit, sicque idem ad ipsius subsidii dampnabiliter impedimentum aspirans, cujus provectum sedulis vigiliis et indefessis studiis querere tenebatur, ad ecclesiam fratrum Predicatorum Traiectensium, in qua decima ecclesiasticorum proventuum pro ipso deputata subsidio per collectores ipsius diligenter fuerat deposita et diligentius consignata, stipatus armatis accessit, et tandem post conceptum dolorem pariens iniquitatem, ipse obvius equitati loci prefati depositi consignatione nequiter vio-

lata, decimam ipsam de loco ipso educere et secum asportare presumpsit, postposita reverentia Crucifixi. Nos itaque nec mirum tacti dolore cordis intrinsecus, quod custos ovilis predonis vacat officio in suscepta custodia se ipsum constituens domesticum inimicum, nequeuntes tam detestabilis presumptionis audatiam conniventibus oculis pertransire, que virgam sollicite correctionis exposcit, ne per illius omissionem excitentur alii ad similis prevaricationis excessum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus per te vel alios dictum electum moneas diligenter ut decimam ipsam, in cujus subtractione sic orribiliter polluit manus suas, infra X dierum spatium post monitionem tuam integre collectoribus restituat memoratis, et si monitis tuis ipse paruerit efficaciter in hac parte, tu tamen eum quod personaliter, si vero rebellis extiterit, ipsum excomunicationis mucrone percellas, et nichilominus eundem suspensum ab administratione spiritualium et temporalium ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra duos menses post citationem tuam personaliter etiam compareat coram nobis, suorum meritorum super hoc stipendia recepturus; diem autem citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Dat. Viterbii, nonis septembris, anno primo. »

127 Viterbe, 25 septembre 1278.

Cum frater Guicciardinus ordinis fratrum Minorum, inquisitor heretice pravitatis in partibus Tuscie, significaverit nonnullos partium earundem hereticos ad Lombardie ac partes alias confugisse, universis inquisitoribus heretice pravitatis et fratribus Predicatorum in Lombardie partibus constitutis mandat quatinus eosdem hereticos per inquisitorem prefatum vel per nuntios suos capi et eorum occupari bona libere permittant. (Fol. 34 v°; an I, n° 124; Potthast 21455.)

« *Universis inquisitoribus heretice pravitatis et fratribus Predicatorum in Lombardia partibus constitutis.* Significante nobis dilecto —. Dat. Viterbii, VII kalendas octobris, anno primo. »

128 Viterbe, 26 septembre 1278.

Matheo de filiis Ursi senatori Urbis mandat quatinus Johannem de Fosomes vicarium, Hugonem camerarium, Rogerium marescalcum, judices, notarios, officiales, familiares et stipendiarios regios nullatenus gravet, nec gravari permittat, sed omnia de quibus conqueruntur diligenter examinari faciat. (Fol. 34 v°; an I, n° 125.)

« *Nobili viro Matheo de filiis Ursi senatori Urbis.* Inter alia que de tuis actibus audire semper appetimus, illud specialiter expectamus, quod sic te recto moderamine dirigas, quod in quibuslibet tuis processibus decentiam tui status et debitum commissi tibi regiminis prudenter observes, et reddas statera recte justitie cuilibet quod deberet, nec rigor exuperet quod modestia patitur honestatis. Nuper siquidem dilecti filii Johannes de Fosomes vicarius, Hugo camerarius, Rogerius marescalcus, judices, notarii, officiales, familiares et stipendiarii regii olim in Urbe ad nos humiliter per suos nuntios recurrentes petitione nobis exhibita postularunt, quod nova lex, vel novum statutum aut privilegium contra eos super syndicaria eorum non fieret, et si factum esset de novo eis non noceat, cum de jure sicut asserunt secundum antiqua statuta sui temporis debeant vindicari, et si statutum diceret, quod proventus urbis esse debeant carissimi in Christo filii nostri C. Sicilie regis illustris pro tempore quo ipsius Urbis regimini prefuit, non cogeretur dictus Hugo respondere super ipsis proventibus et libris proventuum et expensarum alicui nisi regi predicto, maxime cum camerarie officium ab alio non receperit quam a rege, si etiam statutum antiquum sui temporis dicat quod ad sindicamentum stare debeant per se vel per procuratores, in eorum petunt optione manere, per se vel per procuratores adimplere sindicamentum hujusmodi datis primo si non dederunt fidejussoribus ydoneis et dimissis procuratoribus sufficientibus, cum in alternativis electio sit debentis. Nos itaque premissa circumspici maturitate debita cupientes, volumus quod Johannem, Hugonem, Rogerium, judices et alios supradictos benigne pertractans et a dehonestatione preservans, eos indebite non graves in aliquo nec gravari permittas, et exhibens eis judices non suspectos, set justos coram quibus fiat sindicaria non injuriosa vel infesta, immo rationabilis sicut debet, omnia et singula supradicta diligenti examinatione discutias, et per homines litteratos, fideles et experientia comprobatos examinari facias diligenter, et quod pro ipsis per examinatam justitiam inveneris erga ipsos observes et facias observari, et si tu vel illi quibus hec examinanda commiseris contrarium sentiretis, nobis quod circa predicta et circumstantias ipsorum inveneris studeas intimare, ut circa ipsos in tuo judicio non erretur, nec Johanni, Hugoni, Rogerio, judicibus et aliis predictis, ac illis qui assistunt eisdem injuriam vel molestiam inferri permittas, quin suis defensionibus uti valeant, et eorum jura de

jure comuni per se vel alios prosequantur. Super eo vero, quod iidem Johannes, Hugo, Rogerius, judices et alii nonnullos ex eis vel suis fuisse asserunt captivatos, pro eo quod protestatio quedam facta extitit Andree Romanutii scribe senatus occasione privilegii quod facere intendebat, mirari compellimur et ferimus non acceptum, nisi causa rationabilis, quam nec audivimus neque scimus, id forsan exegerit, quam si subsit nobis similiter volumus intimari. Ceterum Johannes, Hugo, Rogerius, judices et alii predicti, asserentes in Urbe fuisse servatum quod antiquis officialibus arma portare liceat, id eis propter suspitiones quas de multis habere noscuntur permitti petebant, et captos hac occasione cum armis propter hoc ablatis eisdem libere relaxari, super quo hujusmodi consuetudinem, si eam talem esse perceperis, quatenus hactenus rationabiliter observata extitit non immutes, sed sive ipsis arma deferre concesseris, sive non, causa forsan rationabili obsistente, attente provideas, quod prefati Johannes, Hugo, Rogerius et alii ab aliquibus in ipsis vel rebus suis quomodolibet non ledantur. Dat. Viterbii, VI kalendas octobris, anno primo. »

129 Viterbe, 9 août 1278.

Ecclesie Nepesine fratrem Thomam, professorem ordinis Minorum, in episcopum preficit. (Fol. 35; an I, nº 126; Potthast 21390.)

« *Thome episcopo Nepesino.* Militanti ecclesie disponente —. Dat. Viterbii, V idus augusti, anno primo. »

In eundem modum archipresbitero et capitulo ecclesie Nepesine.

In e. m. clero civitatis et diocesis Nepesine.

In e. m. populo civitatis et diocesis Nepesine. Dat. ut supra.

130 Viterbe, 12 septembre 1278.

Magistro Raymundo Augerii decano ecclesie Aniciensis mandat quatinus ad Bononiensem et Mutinensem civitates accedens, super variis que reperta sunt contra G., olim fratrem ordinis Minorum, in abbatem monasterii de Nonantula ordinis Sancti Benedicti electum, diligenter inquirat. (Fol. 35; an I, nº 127; Potthast 21406.)

« *Magistro Raymundo Augerii decano ecclesie Aniciensis capellano nostro.* Olim monasterio de Nonantula —. Dat. Viterbii, II idus septembris, anno primo. »

131 Viterbe, 30 juillet 1278.

Cum propter turbationes et guerras in Ungarie ac Polonie partibus frequenter suscitatas pecunia collecta decime pro Terre Sancte subsidio non possit ibidem cum securitate servari, magistro Girardino de Mutina, collectori ejusdem decime in iisdem partibus plenam et liberam concedit facultatem compellendi archiepiscopos et episcopos, ac abbates Cisterciensis et Sancti Benedicti ordinum aliosque prelatos ecclesiarum, necnon magistros et preceptores domorum militie Templi et hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani quod hujusmodi pecuniam, tam collectam quam colligendam, cum per ipsum super hoc fuerint requisiti, ad Zagabriensem vel Signensem civitates suis periculis deferant et expensis. (Fol. 35 vº; an I, nº 128; Potthast 21368.)

« *Magistro Girardino de Mutina subdiacono et scriptori nostro collectori decime in Ungarie ac Polonie partibus Terre Sancte subsidio deputate.* Cum sicut accepimus —. Dat. Viterbii, III kalendas augusti, anno primo. »

132 Viterbe, 28 août 1278.

Johanni regio vicario, Guidoni capitaneo Masse, comuni Masse ac eorum consiliis et duodecim Florentinis significat se Ostiensem episcopum apostolice sedis legatum ad partes ipsorum destinasse, pro pace confirmanda inter ipsos et extrinsecos ejusdem civitatis; eis mandat quatinus omnia que possent concordiam impedire summe prudentie studiis evitent. (Fol. 36; an I, nº 129.)

« *Johanni regio vicario, Guidoni capitaneo Masse, comuni et ipsi Masse ac eorum consiliis et XII^cim^ Florentinis.* Quia pacis ubilibet comoda querimus, et illam potissime inter ecclesie Romane fideles et filios exercere cupimus, et soliditatis sinceritate vigere, letitia multa reficimur et plenis gaudiis exultamus, dum nobis de statu vestro, qui diutius odiosis anfractibus fluctuavit, optate pacis auspicia presentantur. Sicut ex eo nuper grata perceptione collegimus, quod liniente Domino rore sue benedictionis et gratie corda vestra, vos et extrinseci civitatis vestre super concordia inter vos et illos dante Domino reformanda, et aliis ipsam contingentibus alte et basse, libere ac absolute compromittere in nos unanimiter et concorditer studuistis; ad quod eo libentius animum applicamus quo magis id Regi pacifico credimus placiturum. Cupientes itaque ut vobis ac civitati et extrinsecis ipsis optate quietis ad laudem divini nominis adveniat incrementum, venerabilem fratrem nostrum .. Ostiensem et Velletrensem episcopum apostolice sedis legatum ipsius ecclesie nobile membrum ad partes vestras providimus, de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis

angelum destinandum; universitatem vestram rogantes et hortantes attente, ac per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ad mutue reconciliationis amplexus et ad regustandam pacis dulcedinem vos promptis animis confortantes, non faciatis interim aliquam novitatem, ut liberius exinde dante Domino sincere pacis integritas subsequatur. Et ut omnia que possent bonum tante concordie verisimiliter impedire summe prudentie studiis evitentur, sic eosdem extrinsecos et intrinsecos partes ipsorum saltem durante hujusmodi compromisso, a talliarum et collectarum gravaminibus preservetis, ut in hiis et aliis plus quam omnes alii vestri cives non graventur, libere permissuri quod ipsorum agricole terras excolere, et tam ipsi quam iidem extrinseci terrarum earundem fructuum perceptione gaudere valeant, quod per hoc pacis presagia clarius demonstretis et pax ipsa liberius justa nostra desideria prosperetur. Dat. Viterbii, v kalendas septembris, anno primo. »

133 Viterbe, 4 août 1278.

Hugoni episcopo Troiano pallium transmittit. (Fol. 36; an I, nº 130; Potthast 21385.)

« *Hugoni episcopo Troiano.* Cum palleum insigne —. Dat. Viterbii, II nonas augusti, anno primo. »

134 Viterbe, 19 août 1278.

Archipresbitero Veronensi, Petrino de Saviela canonico Mantuano, ac custodi fratrum Minorum custodie Veronensis mandat quatinus, quibusdam conditionibus adimplendis, Mantuanos excommunicatos, pro eo quod monachos et abbatem S. Andree violenter ejecerant a civitate, absolvere et interdictum cui civitas ipsa subjacet relaxare curent. (Fol. 36; an I, nº 131; Potthast 21398.)

« .. *archipresbitero Veronensi, Petrino de Saviela canonico Mantuano, subdiacono et capellano nostro, ac .. custodi fratrum Minorum custodie Veronensis.* Apostolice sedis benignitas —. Dat. Viterbii, XIIII kalendas septembris, anno primo. »

135 Viterbe, 18 août 1278.

Cum potestas, capitaneus, consiliarii, officiales et commune civitatis Veronensis, pro eo quod Conradino auxilium impenderant, excommunicationis sententia sint ligati, infrascriptis mandat quatinus eisdem sub debito juramenti districte precipiant, quod ipsi nunquam alicui imperatori, regi, seu cuilibet principi, vel civitati, aut cuicumque universitati, seu persone singulari, qui sint inimici ecclesie Romane quomodolibet adhærebunt, nec cum ipsis pactum vel societatem inient; quibus conditionibus adimpletis, eosdem absolvant a censuris ecclesiasticis. (Fol. 36 vº; an I, nº 132; Potthast 21395.)

« .. *abbati monasterii Sancti Andree Mantuani, .. custodi fratrum Minorum custodie Veronensis, ac fratri Philippo ordinis fratrum Minorum inquisitori heretice pravitatis in marchia Tervisina per sedem apostolicam deputato.* Mansuetudinis apostolice plenitudo —. Dat. Viterbii, XV kalendas septembris, anno primo. »

136 Viterbe, 18 août 1278.

Idem mandat episcopo Albensi ministro provincie Januensis ac fratri Nicolao de Montecalerio ordinis fratrum Minorum pro potestate, capitaneo, rectoribus societatum, credendariis, et communi civitatis Astensis occasione confederationis per eos cum Papiensibus inite excommunicationis sententia ligatis. (Fol. 37; an I, nº 133; Potthast 21396.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Albensi et dilecto filio .. ministro provincie Januensis ac fratri Nicolao de Montecalerio, ordinis fratrum Minorum.* Mansuetudinis apostolice, etc. —. Dat. Viterbii, XV kalendas septembris, anno primo. »

137 Viterbe, 20 août 1278.

Episcopo Vercellensi et abbati S. Andree ac ministro ordinis fratrum Minorum provincie Januensis mandat quatinus, quibusdam conditionibus adimplendis, Guillelmum marchionem Montis Ferrati, excommunicatum pro eo quod se et suos confederavit cum Papiensibus ecclesie Romane rebellibus et Hispanos tunc existentes in Lombardia contra inhibitionem Sedis Apostolice receptavit, absolvere curent. (Fol. 37 vº; an I, nº 134; Potthast 21399.)

« *Venerabili fratri .. episcopo et dilecto filio .. abbati Sancti Andree Vercellensis ac .. ministro ordinis fratrum Minorum provincie Januensis.* Romana mater ecclesia —. Dat. Viterbii, XIII kalendas septembris, anno primo. »

138 Viterbe, 20 août 1278.

Idem mandat abbatibus S. Ambrosii Mediolanensis et Clarevallensis Mediolanensis diocesis ac ministro ordinis fratrum Minorum provincie Mediolanensis pro potestate, consiliariis, officialibus, civibus et communi civitatis Papiensis, pro eo quod

Conradino consilium impenderant excommunicationis sententia ligatis. (Fol. 38; an I, nº 135.)

« .. *Sancti Ambrosii Mediolanensis et Clarevallensis Mediolanensis diocesis monasteriorum abbatibus, ac .. ministro ordinis fratrum Minorum provincie Mediolanensis.* Romana mater ecclesia etc. ut in proxima superiori usque plenitudine potestatis. Cum itaque .. potestas, consiliarii, officiales, cives et commune civitatis Papiensis, pro eo quod contra monitiones, comminationes et hinibitiones apostolice sedis quondam Corradino dudum Frederici Romanorum imperatoris nepoti impenderunt consilium, auxilium et favorem, et quod Yspanos tunc existentes in Lombardia contra inhibitionem sedis ejusdem receptarunt, excommunicationum sententiis sint ligati, et eadem civitas et ejus districtus ecclesiastico subjaceant interdicto, iidem tangente Domino cor ipsorum humilitatis inditia pretendentes et ejusdem ecclesie misericordiam implorantes, Mussum de Fulgossis eorum procuratorem et nuntium cum speciali mandato ad nostram presentiam destinarunt, pro premissis veniam humiliter implorantes. Nos autem qui penitentie etc. ut in illa de Veronensibus usque offerentem, nomine potestatis, consiliariorum, officialium, civium et communis eorundem, et de parendo nostris et ecclesie Romane mandatis etc. usque admittendum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, recepto ab iisdem potestate, consiliariis, officialibus et civibus personaliter, et communi per syndicum etc. usque populi ad hoc multitudine convocata etc. usque persistant; nec unquam alicui imperatori, regi, seu cuilibet principi vel comunitati aut cuicunque universitati, seu persone singulari etc. usque omnino dissolvent; et ab aliis sine aliqua contradictione recedent etc. usque coronabit, et non alium dicti potestas, consiliarii, officiales, cives et commune cum districtu et posse predictis pro rege ac imperatore similiter habebunt. Stratas quoque ac vias publicas civitatis ac districtus eorundem assecurari facient, et securas pro transeuntibus maxime accedentibus ad Romanam curiam et ab ea redeuntibus conservari. Inquisitores insuper pravitatis heretice etc. ut in prima usque fideliter adjuvabunt. Hec omnia potestati, consiliariis, officialibus, civibus et communi predictis sub pena decem milium marcarum argenti, in quam incidant eo ipso si contra premissa venerint seu fecerint, vel aliqua premissorum districtius injungendo, imponendi eisdem penitentias pro premissis, sicut expedire viderimus, potestate nobis nichilominus reservata. Et pro premissis omnibus et singulis, per potestatem, consiliarios, officiales, cives et commune predictos processu temporis inviolabiliter observandis, ad penam predictam, si contra premissa ventum fuerit, ipsos specialiter et nichilominus fidejussores ydoneos tam facultatibus quam facilitate conveniendi faciatis obligari. Quibus omnibus per eosdem potestatem, consiliarios, officiales, cives et commune sollempniter adimpletis, predictos potestatem, consiliarios, officiales, cives et commune, id petentes humiliter, ab eisdem excomunicationum sententiis juxta formam ecclesie absolvatis et interdictum hujusmodi, cui civitas et districtus predicti propter hoc subjacere noscuntur, auctoritate apostolica relaxetis. Cum clericis autem tam religiosis quam secularibus civitatis et districtus eorundem, qui durante interdicto hujusmodi etc. usque videritis dispensare. Quicquid autem super hiis duxeritis faciendum, una cum tenore presentium etc. usque nomine nostro et ecclesie Romane. Reliquum vero etc. usque transmissuri. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc. Dat. Viterbii, IIII kalendas septembris, anno primo. »

139 Viterbe, 5 septembre 1278.

Idem mandat eisdem pro potestate, consilio, et communi civitatis Novariensis, pro eo quod milites Yspanos tunc existentes in Lombardia contra inhibitionem sedis apostolice receptarunt, excommunicationis sententia ligatis. (Fol. 38; an I, nº 136.)

« .. *abbati monasterii Sancti Ambrosii et .. archipresbitero ecclesie, ac .. ministro ordinis fratrum Minorum provincie Mediolanensis.* Sedes apostolica circa —. Cum itaque .. potestas, consilium et commune civitatis Novariensis pro eo quod milites Yspanos tunc existentes in Lombardia contra inhibitionem sedis apostolice receptarunt, excomunicationis sententia sint ligati, et eadem civitas ac ejus districtus etc. usque implorantes Guidonem de Vemenia canonicum ecclesie Sancti Gaudentii Novariensis eorum procuratorem et nuntium etc. usque humiliter postulantes. Nos autem qui pernitiem etc. usque offerentem nomine potestatis, consilii et communis eorundem, etc. usque benignius admittendum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus recepto ab eisdem potestate et consilio personaliter et a communi per syndicum etc. ut in illa de Veronensibus usque seu cuilibet principi vel comiti aut cuicumque universitati etc. usque sine alicujus intermissione temporis dissolvent, et ab aliis sine aliqua contradictione recedent etc. usque coronabit et non alium dicti potestas, consilium et commune cum districtu et posse predictis etc. usque habebunt. Hec omnia potestati, consilio et communi predictis sub pena quatuor milium marca-

rum argenti in quam incidant eo ipso, si contra premissa venerint seu fecerint, vel aliquod premissorum districtius injungendo, imponendi eisdem penitentias alias pro premissis, sicut expedire viderimus, potestate nobis nichilominus reservata. Et pro premissis omnibus et singulis per potestatem, consilium et commune predictos processu temporis inviolabilius observandis ad penam predictam si contra premissa etc. usque obligari. Quibus omnibus per eosdem potestatem, consilium et commune sollempniter adimpletis, predictos potestatem, consilium et cives civitatis et districtus predictorum id petentes humiliter ab eadem excomunicationis sententia juxta formam ecclesie absolvatis et interdictum hujusmodi cui civitas et districtus predicti propter hoc subjacere noscuntur auctoritate apostolica relaxando. Cum clericis autem tam religionis quam secularibus etc. usque dispensare. Quicquid autem super hiis duxeritis faciendum, una cum tenore presentium redigi faciatis in duo publica documenta, unum conservando in aliquo tuto loco nomine nostro et ecclesie memorate, reliquum nobis portaturi seu etiam per fidelem nuntium transmissuri. Non obstante etc. — Quod si non etc. — duo vestrum etc. — Dat. Viterbii, nonis septembris, anno primo. »

140 Viterbe, 20 août 1278.

Idem mandat archipresbytero ecclesie Mediolanensis et ministro ordinis fratrum Minorum pro potestate, consilio et communi civitatis Vercellensis. (Fol. 38 v°; an I, n° 137.)

« .. *archipresbitero ecclesie et .. ministro ordinis fratrum Minorum provincie Mediolanensis.* Sedes apostolica etc. ut in proxima superiori que est de Novariensibus usque inpertitur. Cum itaque .. potestas, consilium et commune civitatis Vercellensis pro eo etc. usque implorantes Vercellinum de Maxo clericum eorum procuratorem et nuntium cum speciali mandato etc. ut in illa de Novariensium in fine, usque reliquum vero portaturi seu etiam per fidelem nuntium transmissuri ; excepto quod ubi dicit Novarienses debet dici Vercellenses. Dat. Viterbii, XIII kalendas septembris, anno primo. »

141 Viterbe, 20 septembre 1278.

Regi Francie indulget ut elemosine quas facit et faciet in futurum cedat loco restitutionis diversorum bonorum ; intendit tamen quod presens gratia non valeat nisi in casu ignorantie. (Fol. 38 v°; an I, n° 138.)

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum illustri.* Cum in te salutem hominis utriusque totis desideriis affectemus, nos volentes conscientie tue super restitutione bonorum si qua ad id ex progenitorum tuorum successione vel alias pervenisse noscuntur, facienda forsitan hiis quorum sunt, licet sicut asseris nescias ad restitutionem aliquam bonorum hujusmodi aliquibus te teneri, paterna diligentia providere, magnitudini tue ut elemosine quas tua regalis munificentia facit et faciet in futurum cedat loco restitutionis predictorum bonorum auctoritate presentium indulgemus. Verum tamen scire te volumus quod, si tibi constiterit te teneri ad restitutionem bonorum talium, et personas, quibus eorum restitutio fieri debeat, ad tuam notitiam pervenire contingat, te ipsis bona eadem restituere nichilominus oportebit, et intendimus quod presens gratia locum non habeat nisi in casu omnimode ignorantie. Nam sive notitia personarum sive heredum, sive notitia restituendorum absque notitia personarum ad te pervenerint, volumus quod per aliam viam tue saluti provideas non per istam, ne per hoc meritum elemosine deperiret, cum tu satis per Dei gratiam presumaris sufficere ad utrumque. Nulli ergo nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

142 Viterbe, 19 septembre 1278.

Eidem indulget ut nullus generaliter in totalem terram seu regnum Francie excommunicationis vel interdicti sententiam proferat absque mandato sedis apostolice speciali. (Fol. 38 v°; an I, n° 139.)

« *Eidem.* Precelsa tua magnitudinis. —. Dat Viterbii, XIII kalendas octobris, anno primo. »

143 Viterbe, 20 septembre 1278.

Eidem indulget ut clerici regiis insistentes obsequiis, si quas commissiones ipsis per sedis apostolice aut legatorum ejus litteras fierit contigerit invite suscipere aut per illas de quibuscunque causis vel negotiis se intromittere minime teneantur, nisi eedem sedis ipsius littere plenam et expressam de indulto hujusmodi fecerint mentionem. (Fol. 38 v°; an I, n° 140.)

« *Eidem.* Ne pretextu causarum —. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

144 Viterbe, 19 septembre 1248.

Confirmat indulgentias ab Innocentio papa quarto concessas

pro capella domus regie, quam rex Ludowicus reparavit ut ibidem Sancta Corona spinea et alie pretiose reliquie custodirentur. (Fol. 39; an I, nº 141.)

« *Eidem.* Exhibita nobis celsitudinis tue petitio continebat, quod clare memorie Ludowicus pater tuus capellam Parisius infra septa domus regie opere superante materiam reparavit, ut ibidem Sancta Corona spinea tue custodie ineffabili dispositione commissa et alie pretiose reliquie quas de ligno crucis et aliis sacris habere dinosceris sub veneranda custodia servarentur, ipsamque capellam de bonis propriis edotavit, et felicis recordationis Innocentius papa IIII predecessor noster cupiens ut eadem capella congruis frequentaretur honoribus, omnibus vere penitentibus et confessis, qui capellam ipsam in die susceptionis predictarum reliquiarum singulis annis, annum unum, et octo diebus sequentibus centum dies, necnon et quolibet anno in die Sancte Passionis Domini annum unum, et in festo etiam translationis ipsius Corone annum unum, per singulas quoque ebdomadas qualibet sexta feria, quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxavit. Nos igitur personam tuam inter alios orbis terre principes predilectam infra nostra precordia retinentes, ac eo pleniori affectu tua vota salutaria prosequentes, quo salutem tuam potius affectamus, et quo ipsa plures participant, tuis vestigiis inherentes, regiis supplicationibus inclinati, quod per predecessorem eundem factum est in hac parte ratum et gratum habemus, et illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Dat. Viterbii, XIII kalendas octobris, anno primo. »

145 Viterbe, 22 septembre 1278.

Regi Francie indulget ut quotienscunque et quandocunque voluerit aliquem discretum presbyterum secularem vel religiosum in confessorem suum possit eligere, qui audita confessione ipsi injungat pro commissis penitentiam salutarem et beneficium absolutionis impendat, nisi talia fuerint propter que sedes apostolica sit merito consulenda. (Fol. 39; an I, nº 142.)

« *Eidem.* Personam tuam devotione —. Dat. Viterbii, X kalendas octobris, anno primo. »

146 Viterbe, 13 septembre 1278.

Eidem significat se prelatis personis et clericis, quos idem rex elegerit ad inquirendum et restituendum ea que pater ejus seu ipse vel ejus ballivi indebite extorserunt, indulgere ut dum circa premissa insistent, eorum redditus et proventus ecclesiasticos cum ea integritate, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, percipere valeant cum qua illos perciperent, si in ecclesiis a quibus propter premissa vocati sint residerent. (Fol. 39; an I, nº 143.)

« *Eidem.* Celsitudinis regie —. Dat. Viterbii, idibus septembris, anno primo. »

In eundem modum Sancti Germani de Pratis Parisiensis et Sancti Dyonisii in Francia Parisiensis diocesis monasteriorum abbatibus mandat quatinus prelatis personis et clericis eisdem redditus et proventus eosdem faciant integre ministrari. Dat. ut supra.

147 Viterbe, 20 septembre 1278.

Eidem indulget ut capellani et clerici sui, religiosi vel seculares, dum sunt cum ipso in officio secundum ritum ecclesie approbato possint esse contenti quod in sua capella continue celebratur. (Fol. 39; an I, nº 144.)

« *Eidem.* Consuevit interdum —. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

148 Viterbe, 13 septembre 1278.

Regi Francie, qui signum crucis assumpsit, et transfretaturis cum ipso in subsidium Terre Sancte indulget ut tempore passagii generalis cum excommunicatis contrahere possint super rebus duntaxat eidem passagio necessariis. (Fol. 39 vº; an I, nº 145.)

« *Eidem.* In Terre Sancte —. Dat. Viterbii, idibus septembris, anno primo. »

149 Viterbe, 13 septembre 1278.

Eidem indulget ut clerici capelle infra septa domus regie Parisius consistentis possint a quibuscumque maluerint catholicis episcopis seu aliis prelatis, conferendi ordines potestatem habentibus, si ab illo qui preest eis in eadem capella vel alias canonice fuerint presentati, ad omnes ordines promoveri, dummodo iidem clerici sint exempti et nulli alii subsint nisi Romano pontifici, et Parisiensi episcopo vel aliis per hoc nullum prejudicium generetur. (Fol. 39 vº; an I, nº 146; POTTHAST 21407.)

Eidem. Ut eo ferventius —. Dat. ut supra. »

150 Viterbe, 19 octobre 1278.

Regi et regine Francie indulget ut si ad loca ecclesiastico interdicto supposita declinare ipsos contingerit, eis liceat ibidem clausis januis, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, audire divina, etiam si alta voce celebrentur eadem, dummodo causam non dederint interdicto nec id eis contingat specialiter interdici. (Fol. 39 v°; an I, n° 147.)

« *Philippo regi et Marie uxori ejus regine Francorum illustribus.* Apertis paterne gratie —. Dat. Viterbii, XIII kalendas octobris, anno primo. »

151 Viterbe, 20 octobre 1278.

Petitioni regis Francie annuens, ad instar Gregorii decimi pape similiter inhibet ne quis capellas regias ecclesiastico supponat interdicto sine licentia sedis apostolice speciali. (Fol. 39 v°; an I, n° 148.)

« *Eidem regi.* Significasti nobis quod —. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

152 Viterbe, 19 octobre 1278.

Eidem indulget ut excommunicationis sententiam non incurrat, si aliquos flagitiosos clericos propter notoria crimina detineri fecerit, ea conditione ut celeriter ecclesie significetur et ad ipsius restituantur mandatum. (Fol. 39 v°; an I, n° 149.)

« *Eidem.* Clara merita tue serenitatis exposcunt ut quod a nobis suppliciter postulas ad exauditionis gratiam quantum cum Deo possumus admittamus. Regiis itaque precibus benignum impertientes assensum, ut si contingat te aliquos flagitiosos clericos propter notoria crimina homicidii vel mutilationis aut alterius enormis facinoris seu etiam publice diffamatos, de quorum fuga vel evasione probabili timeatur, facere detineri, non ut in ipsos jurisdictionem usurpes, sed ut celeriter ecclesie significetur et demum ad ipsius restituantur mandatum, ne crimina remaneant impunita propter hujusmodi captionem clericorum ipsorum, te confestim hoc significante ecclesie et captivos ad ipsius mandatum reddere, persona tua excommunicationis sententiam non incurrat auctoritate tibi presentium, non per hoc dantes aliquatenus tibi licentiam clericos ipsos taliter capiendi nec detentionem etiam hujusmodi approbantes, duximus indulgendum. Nulli ergo nostre concessionis etc. Dat. Viterbii, XIII kalendas octobris, anno primo. »

153 Viterbe, 3 octobre 1278.

Eidem indulget ad instar Gregorii decimi pape, ut clerici qui insistunt ipsius obsequiis et insistent etiam in futurum hujusmodi obsequiis insistendo possint redditus et proventus omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum juxta tenorem indulti dicti Gregorii cum ea integritate, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in ecclesiis in quibus illa obtinent personaliter residerent. (Fol. 39 v°; an I, n° 150.)

« *Eidem.* Regie celsitudinis —. Dat. Viterbii, V nonas octobris, anno primo. »

In eundem modum Sancti Dionysii in Francia Parisiensis diocesis et Sancti Germani de Pratis Parisiensis monasteriorum abbatibus mandat quatinus eisdem clericis, dum hujusmodi obsequiis dicti regis insisterint, redditus et proventus predictos faciant integre ministrari. Dat. Viterbii, V nonas octobris, anno primo.

154 Viterbe, 30 septembre 1278.

Eidem indulget ut confessor ipsius ex permissione sedis apostolice electus ab ipso vel in posterum eligendus, ipsum ab excommunicationibus canonum, a quibus diocesani episcopi subditis suis, cum illas incurrunt, possunt absolutionis beneficium impertiri, quotiens illas incurrerit, aut si ea jam forsitan incurrit, absolvere possit. (Fol. 40; an I, n° 151.)

« *Eidem.* Regie celsitudinis —. Dat. Viterbii, II kalendas octobris, anno primo. »

155 Viterbe, 20 septembre 1278.

Regine Francie indulget ut monasteria monialium et sororum quorumcumque ordinum, ad que ipsam pervenire contigerit, bis in anno de assensu abbatissarum et monialium vel sororum monasteriorum eorundem cum prelato vel administratore alio et duobus vel tribus discretis fratribus civitatis vel loci, in quo monasteria ipsa sita fuerint, illius ordinis per quos ipsius monasterii monialibus ministrantur ecclesiastica sacramenta necnon et sex honestis mulieribus causa devotionis intrare valeat, aliqua constitutione contraria predictorum ordinum non obstante, ita tamen quod in ipsis monasteriis que sic intraverit non concedat cum eisdem monialibus vel soroibus in conventu et etiam in eisdem monasteriis non pernoctet. (Fol. 40; an I, n° 152.)

« *Carissime in Christo filie Marie regine Francorum illustri.* Personam tuam devotione —. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

156 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem indulget ut clerici et servientes qui suis insistunt obsequiis et quos immorari contigerit, dum hujusmodi obsequiis institerint, quando non possunt habere copiam proprii sacerdotis, quotiens oportunum fuerit, possint peccata sua quibuscunque voluerint ydoneis presbiteris religiosis vel secularibus confiteri, qui, audita confessione ipsorum, eis pro commissis penitentiam salutarem impendant, nisi talia fuerint que episcopi sibi duxerint reservanda et propter que sedes apostolica sit merite consulenda. (Fol. 40; an I, nº 153.)

« *Eidem.* Personam tuam etc. —. Dat. Viterbii, x kalendas octobris, anno primo. »

157 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem indulget ut quotienscunque et quandocunque voluerit aliquem discretum presbiterum secularem vel religiosum in confessorem suum possit eligere, exceptis casibus supra dictis. (Fol. 40; an I, nº 154.)

« *Eidem.* Personam tuam etc. —. Dat. ut supra. »

158 Viterbe, 20 septembre 1278.

Nobili mulieri Blanche nate Ludowici regis Francorum de monasteriis monialium visitandis idem indulget quam regine Francie. (Fol. 40; an I, nº 155.) (Cf. *supra*, **155**.)

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Blanche nate clare memorie Ludowici regis Francorum.* Pium arbitramur — ut monasteria monialium et sororum etc. ut in tertia superiori usque sacramenta necnon et quatuor honestis mulieribus —. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

159 Viterbe, 20 septembre 1278.

Eidem indulget ut, cum a capellano suo per se missam audiverit vel per provinciam forte discurrerit, capellanus ipse ejus oblationes et familie habere libere valeat, nisi fieri poterit sine juris prejudicio alieni. (Fol. 40; an I, nº 156.)

« *Eidem.* Consuevit interdum sedes —. Dat. ut supra. »

160 Viterbe, 20 septembre 1278.

Eidem indulget ut fratres religiosi quos pro consilio anime sue habere secum elegerit absque remorsu conscientie valeant equitare, nisi ad non equitandum emissione voti forsitan sunt astricti. (Fol. 40 vº; an I, nº 157.)

« *Eidem.* Consuevit interdum sedes —. Dat. ut supra. »

161 Viterbe, 22 septembre 1278.

Nobili mulieri Felici domine de Peroes, pro qua supplicationem accepit regine Francie, indulget ut cum ipsam interdum oporteat a regina recedere pro suis negotiis prosequendis ubicunque fuerit, quando proprium sacerdotem habere non poterit, aliquem discretum presbiterum sibi possit eligere confessorem etc. (Fol. 40 vº; an I, nº 158.)

« *Nobili mulieri Felici domine de Peroes.* Sincere tue devotionis —. Dat. Viterbii, x kalendas octobris, anno primo. »

162 Viterbe, 20 septembre 1278.

S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato mandat quatinus in negotio concessionis comiti Luceburgensi ab apostolica sede sine regis mentione facte procedat juxta continentiam litterarum Johannis pape XXI. (Fol 40 vº; an I, nº 159.)

« *S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Significante olim sicut accepimus carissimo in Christo filio nostro Philippo rege Francorum illustri felicis recordationis Johanni pape predecessori nostro quod dilecto filio nobili viro .. comiti Luceburgensi ab apostolica sede dicebatur esse concessum per litteras speciales ut delegatis et obventionibus relictis et relinquendis Terre Sancte subsidio in Cameracensi, Virdunensi, Tullensi, Metensi et Leodiensi civitatibus et diocesibus XV milia librarum Turonensium perciperet, nulla in eisdem litteris de concessione ipsius regis habita mentione, dictus predecessor tibi dicitur injunxisse ut tam regis quam comitis predictorum litteras super hujusmodi concessionem confectas tibi faciens exhiberi et earum plenius inspectis tenoribus super hoc ordinares et disponeres quod absque lesione justitie secundum Deum existeret faciendum, faciens quod ordinares et disponeres per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Contra etc. usque compescendo. Non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Seu quod idem comes de legatione tua sicut asseritur non existeret, aut si aliquibus esset a sede ipsa indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto

hujusmodi mentionem. Nos autem cupientes sic provide in hac parte procedi ut nulla possit exinde discensionis materia suboriri, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus in negotio ipso procedas juxta priorum continentiam litterarum. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

163 Viterbe, 20 septembre 1278.

Eidem mandat quatinus, si archiepiscopi et episcopi regni Francie mandatum suum de clericis qui secularibus negotiis impenti statutis patrie subjacere nolunt, adimplere neglexerint, eos ad id auctoritate apostolica compellat. (Fol. 40 v°; an I, n° [illegible].)

« *Eidem.* Ex parte carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris fuit propositum coram nobis quod nonnulli clerici terre sue potius secularibus negotiis quam officiis divinis intendunt, et gaudere volentes privilegio clericali nolunt statutis patrie, quibus quotiens expedit sicut laici se tuentur, in negotiationum suarum questibus subjacere. Quare venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis damus per alias nostras litteras in mandatis ut, si tales ab eis moniti ab hiis non resipuerint, sed, pretermissis divinis officiis, negotiationibus institerint supradictis, cum facto privilegium in hiis videantur abjicere clericale, quominus dum hiis se implicant de suis facultatibus statutis et consuetudinibus patrie subjaceant non defendant eosdem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus, si dicti archiepiscopi et episcopi mandatum nostrum in hac parte neglexerint adimplere, tu eos ad id sicut justum fuerit auctoritate nostra compellas. Dat. ut supra. »

164 Viterbe, 20 septembre 1278.

Eidem mandat quatinus priorem de Gordanicis Uticensis diocesis et alios collectores decime Terre Sancte in Viennensi, Vivariensi, Arelatensi, Avinionensi et Valentina civitatibus constituti compellat ut omnia que de decima colligere presumpserunt sibi vel nuntio suo assignare procurent. (Fol. 40 v°; an I, n° 161.)

« *Eidem.* Significasti nobis quod licet collectio decime proventuum ecclesiasticorum Terre Sancte subsidio a sede apostolica deputate ac collectorum ejusdem decime deputatio sint tibi in regno Francie ab eadem sede commisse, tamen prior de Gordanicis, Uticensis diocesis, et alii collectores ejusdem decime in Viennensi, Vivariensi, Arelatensi, Avinionensi, et Valentina civitatibus constituti, in castris, terris et locis Viennensis, Vivariensis, Arelatensis, Avinionensis et Valentine diocesum, que de dicto regno et legatione tua existunt, decimam ipsam presumpserunt et adhuc presumunt colligere pro sue libito voluntatis. Quare priori et collectoribus eisdem damus sub certa forma per alias nostras litteras in mandatis ut, si est ita, in eisdem castris, terris et locis regni prefati ac legationis ejusdem a collectione ipsius decime penitus desistentes, omnia que de decima ipsa collegerunt ibidem tibi vel nuntio tuo integre assignare procurent. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita et iidem prior et collectores in hac parte tibi parere contempserint, tu eos ad id monitione precipiendo per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Dat. ut supra. »

165 Viterbe, 3 octobre 1278.

Eidem mandat quatinus, vocatis Cisterciensibus, octo milia librarum Turonensium pro decima Terre Sancte, secundum ordinationem Gregorii pape decimi et regis Francie petitionem, eidem regi ab ipsis faciat assignari. (Fol. 40 v°; an I, n° 162.)

« *Eidem.* Sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris fuit propositum coram nobis, dudum felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster in favorem Cisterciensium ordinavit quod de ipsorum proventibus pro decima Terre Sancte subsidio deputati, quanquam crederetur hujusmodi decima plus valere, predicto regi octo milia librarum Turonensium solverentur, et ad hoc idem rex noscitur assensisse. Postmodum autem cum pro transitu seu passagio dicti predecessoris idem rex consensisset quod idem predecessor perciperet decimam eorundem Cisterciensium regni sui, memoratus predecessor in favorem dictorum Cisterciensium dicitur ordinasse cum eis, ut de totali decima totius Cisterciensis ordinis sibi tantummodo centum millia librarum Turonensium deberent exsolvi. Quare pro parte dicti regis fuit a nobis humiliter supplicatum ut, cum Romani pontifices successores ipsius Gregorii qui fuerunt pro tempore de decima a Cisterciensibus ipsius regni dicto regi prestanda nichil sit aliud ordinatum, decimam ipsorum Cisterciensium in predicto regno sibi absolute persolvi vel saltem dicta octo milia librarum juxta hujusmodi priorem ordinationem dicti predecessoris Gregorii sibi mandaremus annis singulis assignari. Nos de tua circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis eisdem Cister-

ciensibus et visis, auditis qui coram te proponere forte voluerint, predicta octa milia librarum eidem regi facias per te vel per alium seu alios sicut justum fuerit assignari. Contradictores etc. usque compescendo. Dat. Viterbii, v nonas octobris, anno primo. »

166 Viterbe, 20 septembre 1278.

Priori de Gordanicis Uticensis diocesis et aliis collectoribus decime Terre Sancte in Viennensi, Vivariensi, Arelatensi, Avinionensi et Valentina civitatibus mandat quatinus in castris, terris et locis earundem diocesum, que de regno Francie existunt, a collectione decime penitus desistant. (Fol. 41; an I, nº 163.) (Cf. **164**.)

« .. *priori de Gordanicis Uticensis diocesis et aliis collectoribus decime proventuum ecclesiasticorum Terre Sancte subsidio a sede apostolica deputate in Viennensi, Vivariensi, Arelatensi, Avinionensi et Valentina civitatibus, ad quos littere iste pervenerint.* Significavit nobis dilectus —. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

167 Viterbe, 20 septembre 1278.

Universis magistris, preceptoribus et fratribus hospitalis S. Johannis Jerosolimitani, militie Templi et S. Marie Theotonicorum ordinum mandat quatinus pro Terre Sancte defensione ac conservatione ferventer laborent et convenientem bellatorum numerum continuo teneant. (Fol. 41; an I, nº 164.)

« *Dilectis filiis universis magistris, preceptoribus et fratribus hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, militie Templi et Sancte Marie Theotonicorum ordinum.* Vestra pre aliis filiorum lucis intentio debet intendere et assidue sollicitudo versari quod Terra Sancta, quam in hereditatem suam Dei filius preelegit, abominationibus expietur et potenti manu vestro ministerio resistatur polluentibus terram ipsam filiis tenebrarum. Hec quidem dissimulari non decet vel obtusis auribus preteriri, ne Redemptoris indago perspicua ingratitudinis vitio redemptos laborare comperiens, ab eis faciem iratus avertat eosque velud indignos paterna gratia derelinquat. Ne igitur vos qui estis ad ipsius Terre defensionem specialiter deputati possitis ex aliqua culpa notabili reprehendi, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus ad Deum et Terram eandem religionum vestrarum studia convertentes, pro ipsius Terre necessaria defensione ac conservatione perutili convenientem bellatorum numerum continuo teneatis nec in hoc vestra tepescat devotio, si eidem Terre aliunde interdum subsidia procurantur, immo tanto ferventius ad vindicandum Redemptoris injuriam expurgatis, quanto securius conflatis vestris et aliorum viribus poterit de ipsius Terre recuperatione sperari. Sic itaque mandata nostra super hiis efficaciter adimplere curetis quod vestre devotionis integritas in sua soliditate reluceat et clarius apud Deum et homines commendetur; scituri pro certo quod si contrarium quod absit de vestris actibus sentiremus, compelleremur et merito contra vos prout culpa vestra exigeret et ad spirituales et temporales penas gravius provocari. Dat. ut supra. »

168 Viterbe, 22 octobre 1278.

Priori domus Vallis scolarium Parisiensis committit ut cum Euroyno fratre domus sue, elemosinario regine Francie, quod vesci carnibus valeat, dum ipsius regine obsequiis institerit, auctoritate apostolica dispenset, prout et quando expedire viderit, nisi ad id emissione voti forsitan idem frater sit astrictus. (Fol. 41; an I, nº 165.)

« .. *priori domus Vallis scolarium Parisiensis.* Obtentu carissime —. Dat. Viterbii, x kalendas octobris, anno primo. »

169 Viterbe, 13 septembre 1278.

Archiepiscopis et episcopis regni Francie mandat ut confessoribus omnibus mandent quatinus conditores testamentorum inducant quod in testamentis aliquid de bonis suis pro subsidio Terre Sancte relinquant. (Fol. 41; an I, nº 166.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis.* Ut Terre Sancte negotium quod frequenter nostris obtutibus presentatur ad laudem Redemptoris nostri proficiat et fidelium subsidiis adjuvetur, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus universis confessoribus religiosis et secularibus vestrarum civitatum et diocesum ex potestate ordinaria vel ex privilegio confessiones audientibus ex parte nostra mandetis ut, cum eos testamentorum et ultimarum voluntatum ordinationibus adesse contigerit, conditores eorum inducant attentius quod in testamentis suis pro debito facultatum suarum aliquid de bonis suis pro subsidio Terre Sancte relinquant. Vos quoque nichilominus ad id per vos ipsos sollicitis studiis intendentes, in visitationibus vestris de diligentia confessorum eorumdem in hac parte diligentius perquiratis, et si quos inveneritis negligentes si exempti fuerint nec alias vestre

jurisdictionis extiterint nobis eorum negligentiam per litteras referatis, in subditos vestros officii vestri debitum exequendo. Dat. Viterbii, idibus septembris, anno primo. »

170 Viterbe, 19 septembre 1278.

Archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prelatis regni Francie mandat quatinus non impediant quominus rex, comites et barones quosdam clericos bigamos, viduarum maritos et alios uxoratos, qui gravia maleficia commiserunt, primitus clericali gradu privatos secundum justitiam puniant. (Fol. 41 v°; an I, n° 167.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis aliis ecclesiarum prelatis per regnum Francie constitutis.* Ex parte carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris fuit propositum coram nobis quod nonnulli clerici bigami et viduarum mariti ac alii etiam clerici uxorati regni sui diversa maleficia committere non verentur que oculos divine majestatis offendunt et homines scandalizant. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus non impediatis quominus idem rex, comites et barones ipsius regni, sub quorum jurisdictione malefactores ipsi consistunt ipsos in enormibus duntaxat criminibus deprehensos que sanguinis penam requirunt, eis primitus clericali gradu previa ratione privatis, puniant secundum quod justitia suadebit; consuetudine contraria que eos rationabiliter non eximat a pena sanguinis non obstante. Dat. Viterbii, XIII kalendas octobris, anno primo. »

171 Viterbe, 19 septembre 1278.

Eisdem mandat quatinus non impediant quominus rex, ballivi, prepositi et officiales ejus ac barones et nobiles contra crucesignatos laicos terrarum suarum eis subditos pro quibusdam criminibus procedant. (Fol. 41 v°; an I, n° 168.)

« *Eisdem.* Ex parte carissimi in Christo filii nostri etc. ut in proxima usque coram nobis quod vos quominus idem rex ac ballivi, prepositi et officiales ejus ac barones et nobiles sui regni laicos crucesignatos ejusdem regni, regis ac baronum et nobilium predictorum jurisdictioni subjectos, pro delictis suis puniant, in hiis in quibus cognitio ad seculare forum pertinet impeditis pro vestre libito voluntatis; sicque nonnulli crucesignati predicti regni tali pretextu assumunt audatiam delinquendi. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita non impediatis quominus idem rex, ballivi, prepositi et officiales ejus, ac barones et nobiles predicti contra crucesignatos laicos terrarum suarum eis subditos in enormibus duntaxat criminibus que sanguinis vindictam requirunt procedant, consuetudine contraria que hos rationabiliter non eximat a pena sanguinis non obstante. Dat. ut supra. »

172 Viterbe, 13 septembre 1278.

Archiepiscopis et episcopis regni Francie mandat quatinus non impediant quominus rex, ballivi, prepositi et officiales ejus nonnullis, qui signum crucis assumerunt ut a debitis servitiis eximerentur, tallias et collectas debitas, nisi transfretentur, imponere valeant. (Fol. 41 v°; an I, n° 169.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis.* Sicut accepimus contingit interdum quod nonnulli simulato velamine non devotionis ardore signum vivifice crucis assumunt, ut a collectis et talliis ac aliis debitis servitiis eximantur. Ne igitur de sic concepta fraude valeant gloriari, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, si tempore generalis passagii tales inveniri contigerit, non impediatis quominus carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris, ballivi, prepositi et officiales ejus eisdem absque occasione vel causa legitima non transfretantibus tallias et collectas debitas imponere ac illas a tempore quo taliter crucem ipsam receperant et deinceps ab eis exigere valeant, consuetudine contraria non obstante, cum ipsi concesso crucesignatis privilegio libertatis gaudere non debeant nec illud eis aliquatenus suffragari. Dat. Viterbii, idibus septembris, anno primo. »

173 Viterbe, 13 septembre 1278.

Universis confessoribus per regnum Francie constitutis mandat quatinus, cum se testamentorum et ultimarum voluntatum ordinationibus adesse contigerit, conditores eorum inducant attentius quod in testamentis suis pro debito facultatum suarum aliquid de bonis suis pro subsidio Terre Sancte relinquant. (Fol. 41 v°; an I, n° 170.)

« *Dilectis filiis universis confessoribus religiosis et secularibus ex potestate ordinaria vel ex privilegio confessiones audientibus per regnum Francie constitutis.* Ut Terre Sancte —. Dat. ut supra. »

174 Viterbe, 20 septembre 1278.

Infrascriptos hortatur quatinus pro anima Isabelle regine

Francorum piis supplicationibus insistant. (Fol. 41 v°; an I, n° 171.)

« *Dilectis filiis universis abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis et Premonstratensis ordinum per regnum Francie constitutis.* Cupientes quod anima clare memorie Isabelle regine Francorum devotorum suffragiis adjuvetur, universitatem vestram rogamus et hortamur attente quatinus pias affectiones vestras apud divinam clementiam exercentes et ordinantes quod pro salute sua fiat commemoratio specialis, apud illum qui est venie largitor et humane salutis amator pro ipsa piis supplicationibus insistatis. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

175 Viterbe, 22 septembre 1278.

Nobili mulieri Ade domine de Marbois indulget ut monasterium de Villari Cisterciensis ordinis, Leodiensis diocesis, bis in anno de assensu abbatis et conventus cum duobus fratribus ordinis ejusdem ac duabus honestis matronis causa devotionis intrare valeat, non obstantibus ipsius monasterii contrariis consuetudinibus, ita tamen quod non comedat in conventu et etiam in ipso monasterio non pernoctet. (Fol. 41 v°; an I, n° 172.)

« *Nobili mulieri Ade domine de Marbois.* Sincere tue devotionis —. Dat. Viterbii, X kalendas octobris, anno primo. »

176 Viterbe, 20 septembre 1278.

Archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis mandat quatinus clericos terre regis Francorum si, pretermissis officiis divinis, secularibus negotiis intendant, non defendant quominus statutis patrie subjaceant. (Fol. 41 v°; an I, n° 173.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis.* Ex parte carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris fuit propositum coram nobis, quod nonnulli clerici terre sue vestrarum civitatum et diocesum potius secularibus negotiis quam officiis divinis intendunt, et gaudere volentes privilegio clericali, nolunt statutis patrie quibus quotiens expedit sicut laici se tuentur in negotiationum suarum questibus subjacere. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus si tales a vobis moniti ab hujusmodi non resipuerint, sed pretermissis divinis officiis negotiationibus institerint supradictis, cum facto privilegium videantur in hiis abicere clericale, quominus dum hiis se implicant de suis facultatibus statutis et consuetudinibus patrie subjaceant non defendatis eosdem. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris, anno primo. »

177 Viterbe, 20 septembre 1278.

Sancti Dyonisii in Francia et Sancti Germani de Pratis monasteriorum abbatibus, quibus committit conservationem privilegiorum et indulgentiarum, que regi Francie et clericis ejusdem obsequiis continue insistentibus a sede apostolica sunt concessa, mandat quatinus non permittant ipsos contra indulta privilegiorum hujusmodi ab aliquibus indebite molestari. (Fol. 42; an I, n° 174.)

« *Dilectis filiis .. Sancti Dyonisii in Francia Parisiensis diocesis et .. Sancti Germani de Pratis Parisiensis monasteriorum abbatibus.* Cum sicut ex parte —. Dat. ut supra. »

178 Viterbe, 5 octobre 1278.

Nobili viro Ildebrandino comiti Suanensi palatino mandat quatinus infrascriptos obsides, quos ipsi commisit Carolus Sicilie rex, tunc vicarius Tuscie, Leoni Ostiensi episcopo apostolice sedis legato prompte assignet. (Fol. 42; an I, n° 175.)

« *Nobili viro Ildebrandino comiti Suanensi palatino.* Volumus et per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandamus quatinus omnes obsides comitis Guidonis Novelli, hominum castri Pupii, et Gibellinorum Florentie assignatos olim felicis recordationis Gregorio papa decimo predecessore nostro occasione pacis Florentie facte per eum, quos carissimus in Christo filius noster C. Sycilie rex illustris tunc vicarius Tuscie per te faciebat de mandato predecessoris ejusdem ecclesie Romane nomine custodiri et quos adhuc taliter detinere dinosceris, venerabili fratri nostro L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato vel alii de mandato suo assignes et facias sine alicujus dilationis obstaculo sic prompte ac liberaliter assignari quod exinde tua devotio merito commendetur. Dat. Viterbii, III nonas octobris, anno primo. »

179 Viterbe, 8 octobre 1278.

Johanni regio (vicario), Guidoni capitaneo Masse, communi Masse ac eorum consiliis et duodecim Florentinis iterum

significat se L. Ostiensem episcopum, apostolice sedis legatum ipsis ad pacem firmandam destinasse; eis iterum mandat quatinus omnia que possent concordiam impedire summo studio evitent. (Fol. 42; an I, nº 176.) (Cf. *supra*, **132**.)

« *Dilecto filio Johanni regio, Guidoni capitaneo Masse, communi et ipsi Masse ac eorum consiliis et duodecim Florentinis.* Quia pacis ubilibet comoda querimus, et illam potissime inter ecclesie Rome fideles et filios excrescere cupimus —. per apostolica vobis scripta mandantes quatinus ad mutua reconciliationis amplexus et ad regustandam pacis dulcedinem vos promptis animis conformantes, ut omnia que possent bonum tante concordie verisimiliter impedire, summe providentie studiis evitentur, non faciatis interim aliquam novitatem nec intrinsecos partis ipsorum in talliis et collectis plus quam cives vestros alios aggravetis, ita quod per hoc pacis presagia clarius demonstretis et liberius exinde dante Domino sincere pacis integritas subsequatur. Dat. Viterbii, VIII idus octobris, anno primo. »

180 Viterbe, 9 octobre 1278.

Cum magistro Stephano, decano Laudunensi, qui pro negotiis regis Francorum per octo menses et amplius ab ecclesia Laudunensi absens remansit, dispensat ut nullum ex perjurio suo, de quo penitentiam receperit, detrimentum patiatur. (Fol. 42; an I, nº 177.)

« *Magistro Stephano decano Laudunensi.* Exhibita nobis tua petitio continebat quod felicis recordationis Urbanus papa predecessor noster circa decanatum ecclesie Laudunensis sub certa forma inter cetera ordinavit quod decanus Laudunensis extunc futurus in predicta ecclesia continuam personalem residentiam facere corporali juramento prestito teneatur, ita quod singlis annis duobus tantummodo mensibus ab ipsa ecclesia possit abesse ad propria negotia prosequenda, tuque eum in decanum fuisti Laudunensem assumptus, hujusmodi residentiam in eadem ecclesia te facturum corporaliter juravisti. Sed nuper de mandato carissimi in Christo filii nostri .. regis Francorum illustris pro suis negotiis ad apostolicam sedem accedens per octo menses et amplius absens fuisti, et adhuc existis ab ecclesia supradicta pro eo sicut asseris te credens a perjurio excusari, quod de mandato regis ejusdem cui teneris in multis ad dictam sedem accesseras cujus auctoritas excepta in juramentis intelligitur subditorum, postmodum autem consultiori deliberatione prehabita nobis humiliter supplicasti in hac parte tibi misericorditer provideri. Nos autem sic statui tuo consulere intendentes quod prius esset saluti anime tue consultum, tibi duximus injungendum ut de violatione prestiti a te ut premittitur juramenti ab aliquo de penitentiariis nostris sicut humilis confitens et vere penitens absolutione previa penitentiam reciperes et perageres salutarem. Cum itaque ad te fecisse affirmes et quod de imposita penitentia complendum restat inviolabiliter adimplere proponas, nos tuis devotis precibus inclinati tecum de speciali gratia dispensantes te potius impositam tibi propter hoc et peractam penitentiam in integrum restituimus, non obstante perjurio supradicto, et nichilominus expresse omnem infamiam, maculam sive notam exinde contractam de nostre potestatis plenitudine abolemus ac devotioni tue concedimus ut nullum tibi ex hujusmodi perjurio impedimentum parari vel obstaculum possit opponi : sed quoslibet actus legitimos exercere, necnon ad omnes dignitates et quevis officia ecclesiastica sicut antea poteras libere valeas promoveri, quodque pro eo quod absens fueris ab ecclesia sepefata donec redieris ad presentiam dicti regis vel postea de voluntate ipsius usque ad festum purificationis beate Virginis primo venturum perjurium aliquatenus non incurras. Ceterum quia ad probandum perfectionem hujusmodi tibi penitentie sic injuncte tibi forte probatio difficilis foret et etiam onerosa, nos ne per hoc parasse tibi laqueum videamur, volentes tecum in hac parte agere generose de ipsius penitentie perfectione assertioni tue credulitatem decernimus adhiberi. Nulli ergo etc. nostre dispensationis, restitutionis, abolitionis, concessionis et constitutionis, etc. Dat Viterbii, VII idus octobris, anno primo. »

181 Viterbe, 27 septembre 1278.

Priori Predicatorum et ministro Minorum fratrum ordinum provincialibus Francie mandat quatinus, si vera sint que narrantur de matrimonio, inter nobilem virum Hellinum dominum de Cisonio, Tornacensis diocesis, et Elidim, natam nobilis viri Arnulphi domini de Diestre Leodiensis diocesis contracto, pro quibus supplicarunt archiepiscopus Remensis et episcopus Tornacensis, ac rex Francorum et Flandrensis et Nivernensis comites et comitissa Flandrie, cum eisdem auctoritate apostolica dispensare curent quod non obstante affinitatis gradu, in eo remanere licite valeant. (Fol. 42 vº; an I, nº 178; POTTHAST 21461.)

« .. *priori Predicatorum et .. ministro Minorum fratrum ordinum provincialibus Francie.* Lecta nobis dilecti —. Dat. Viterbii, V kalendas octobris, anno primo. »

182 Viterbe, 7 octobre 1278.

Ministro provinciali ordinis Minorum regni Ungarie committit ut fratres sui ordinis idoneos de consilio aliquorum discretorum fratrum sue provincie ad Cumanos, qui ad suscipiendam fidem catholicam dispositi esse videntur, transmittere valeat, ut eis predicent verbum Dei; ei et fratribus, jam ad illas partes missis vel mittendis, concedit ut illos, qui ad fidem predictam converti voluerint, possint juxta ritum, quem in talibus Romana observat ecclesia, baptizare. (Fol. 42 v°; an I, n° 179; Potthast 21468.)

« .. *ministro provinciali ordinis fratrum Minorum regni Ungarie.* Ea suis et aliorum —. Dat. Viterbii, nonis octobris, anno primo. »

183 Viterbe, 7 octobre 1278.

Cum nonnulli fratres ordinis Minorum, sicut minister provincialis ejusdem ordinis regni Ungarie significavit, inter Tartaros commorentur, et nullus sit ibi catholicus episcopus, qui eosdem ad sacros ordines promovere valeat, et civitas de multo posita in confinibus Tartarorum jamdudum per ipsos destructa fuerit, nec inibi episcopus et alii catholici habitatores extiterint quadraginta annis et amplius jam elapsis, Philippo episcopo Firmano apostolice sedis legato mandat quatinus de utilitate animarum, si episcopus inibi esse consueverit, de proventibus ad sedem episcopalem spectantibus si qui provenire possent, ne vilesceret pontificalis auctoritas, et aliis circumstantiis diligenter inquirens, quod invenerit per suas literas studeat fideliter intimare. (Fol. 42 v°; an I, n° 180; Potthast 21469).

« *Venerabili fratri Philippo episcopo Firmano, apostolice sedis legato.* Sicut dilectus filius —. Dat. ut supra. »

184 Viterbe, 21 septembre 1278.

Magistro Viviano archidiacono Aretino et Umberto dicto Blanco canonico Placentino significat se ipsos ad partes Magdeburgensis ecclesie destinare, ut litem de electione archiepiscopi, jam sub Johanne XXI contestatam, infra quatuor mensium spatium diligenter examinare curent; eis mandat quatinus omnia instrumenta et depositiones testium ad se transmittant, prefixo partibus termino, quo coram Pontifice compareant. (Fol. 43; an I, n° 181.)

« *Magistro Viviano archidiacono Aretino et Umberto dicto Blanco canonico Placentino capellano nostro.* Olim Henrico canonico ecclesie Sancte Marie in Gozwic Blandeburgensis diocesis, procuratore dilectorum filiorum .. decani, C. thesaurarii, electi et capituli ecclesie Magdeburgensis, a felicis recordationis Johanne papa XXI predecessore nostro cum instantia postulante, ut electionem quam dicebat in eadem ecclesia Magdeburgensi, per obitum bone memorie G. Magdeburgensis archiepiscopi pastoris regimine destituta, de predicto thesaurario ab eisdem decano et capitulo per viam compromissi super hoc procedentibus fuisse canonice celebratam, auctoritate apostolica confirmaret, Henricus de Gronenberch dicte ecclesie Magdeburgensis canonicus electioni hujusmodi se opponens, proposuit ex adverso quod electio ipsa confirmanda de jure non erat, set potius infirmanda. Lite igitur super hoc coram eodem predecessore legitime contestata et de veritate dicenda hinc inde prestito juramento, postquam super hoc inter partes aliquandiu extitit litigatum, dictus predecessor diem clausit extremum; nosque postmodum ad apicem apostolatus assumpti, dilectum filium nostrum M. Sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem in negotio hujusmodi dedimus partibus auditorem; coram quo dicto Henrico de Gronemberch personaliter, prefato vero procuratore pro memoratis decano, capitulo et electo comparentibus, factisque positionibus et ad earum aliquas responsionibus subsecutis, formatis quoque articulis hinc et inde, quia per ea que tam coram predicto predecessore, quam eodem cardinali super hoc acta sunt, non potuit apud sedem apostolicam de predicti negotii meritis plene liquere. Nos personarum illarum partium quibus possit hujusmodi negotium sine suspitione committi plenam notitiam non habentes, de circumspectione vestra speciali concepta fiducia, vos ad partes illas propter hoc fore providimus destinandos, discretioni vestre per apostolica scripta mandantes quatinus illuc personaliter accedentes infra quatuor mensium spatium, postquam provinciam Magdeburgensem ingressi fueritis, a prefatis thesaurario et decano in suis et aliorum de dicto capitulo a quibus super hoc habeant speciale mandatum animabus de veritate dicenda juramento recepto, eos positionibus partis adverse negatis, quas idem cardinalis una cum articulis et interrogatoriis partium vobis sub suo sigillo tradit inclusas, faciatis legitime respondere, ipsos ad prestandum hujusmodi juramentum et ad respondendum eisdem positionibus negatis, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, ac deinde testes et instrumenta ac litteras, que utraque pars coram vobis produxerit prudenter recipere, et testes ipsos secundum eadem interrogatoria diligenter examinare curetis, ac predicta instrumenta et litteras transcribi fideliter faciatis. Si vero alterutra dictarum partium alterius testes vel instrumenta voluerit reprobare, vos super reprobatione hujusmodi testes producendos infra unum

mensem predictos quatuor immediate sequentem, sapienter recipere ac examinare sollicite studeatis, depositiones omnium testium predictorum et responsiones quas ad dictas positiones fieri contigerit fideliter in scriptis redactas cum transcriptis instrumentorum ipsorum ac articulis et interrogatoriis, necnon positionibus memoratis, sub vestris sigillis inclusas quamtotius ad nostram presentiam transmissuri ac rescripturi nobis nichilominus que et quanta fides eisdem instrumentis et litteris debeat adhiberi, prefixo eisdem partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis, justam dante Domino sententiam recepture. Diem vero prefixionis hujusmodi et quicquid super hoc duxeritis faciendum nobis per vestras litteras harum seriem continentes studeatis fideliter intimare. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, preter quam super criminibus per censuram eandem, appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Dat. Viterbii, XI kalendas octobris, anno primo. »

185 Viterbe, 8 octobre 1278.

Hugoni de Mataplana preposito ecclesie Massiliensis indulget ut hanc prepositurarn, que ipsi nuper a S. Sede concesse fuit, non obstante culpa de qua postea satisfactionem impendere debuit, libere retinere valeat. (Fol. 43; an I, n° 182.)

« *Hugoni de Mataplana preposito ecclesie Massiliensis capellano nostro.* Tue devotionis —. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu olim per civitatem Barchinonensem transitum faciens, de cotidianis distributionibus in ecclesia Barchinonensi, cujus existis canonicus, tibi ratione prebende tue in eadem ecclesia debitis, per ignorantiam facti decimam deputatam Terre Sancte subsidio non solvisti; credens, sicut asseris, quod de toto acervo non de singulis distributionibus hujusmodi decima solveretur, sicut fieri asseris in ecclesia Urgellensi. Verum quia post collationem tibi per nos factam de prepositura Massiliensis ecclesie antequam ad ordinem sacerdotalem promovereris, audito non tamen pro certo, quod non de toto acervo set de singulis cotidianis distributionibus solvitur decima in ecclesia Barchinonensi predicta, dilecto filio nostro I. sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, cui negotium ipsius decime est ab apostolica sede commissum, super hoc satisfactionem debitam impendisti et obtinuisti ac cautelam ab eodem cardinali super excomunicationis sententia quam propter hoc incurreras, tibi beneficium absolutionis impendi et dispensari tecum super irregularitate, si quam ex causa predicta forsitan contraxisses. Quare tu ex eo tibi cupiens precaveri, quod collatio prepositure Massiliensis ecclesie nuper tibi facta per nos, absolutionem et dispensationem hujusmodi processisse dinoscitur, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de benignitate sedis apostolice curaremus. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut prepositurarn ipsam impedimento hujusmodi non obstante retinere libere valeas auctoritate tibi presentium indulgemus. Defectum nichilominus de plenitudine apostolice potestatis supplentes, si quis ob premissam causam in collatione extitit supradicta. Nulli ergo etc. nostre concessionis et supplectionis etc. Dat. Viterbii, VIII idus octobris, anno primo. »

186 Viterbe, 10 octobre 1278.

Regem Castelle ac Legionis rogat quatinus a magistro et fratribus ordinis militie S. Jacobi in regno suo degentibus decimam Terre Sancte, cum eis indultum fuerit ut ipsam solvere non teneantur, non faciat nec patiatur exigi. (Fol. 43 v°; an I, n° 183.)

« *Carissimo in Christo filio .. regi Castelle ac Legionis illustri.* Ad insinuandum tibi, fili carissime, qualiter dilectus filius .. magister et fratres ordinis militie Sancti Jacobi degentes in regnis et provinciis terrisque tue dictioni subjectis se gerunt in frontariis Sarracenorum Africe, non est necesse insistere diffusis sermonibus, cum regalis providentia id oculata fide percipiat, et alias quasi palpabiliter per ipsam rei evidentiam comprehendat. Porro felicis recordationis G. papa X^mus^ predecessor noster illa discrimina que iidem magister et fratres pro defensione christiane fidei sustinent diligenter attendens, ac volens eos propter hoc speciali gratia prosequi et favore, per litteras apostolicas indulxit eisdem, quod de suis proventibus decimam in generali concilio Lugdunensi a sede apostolica Terre Sancte subsidio deputatam solvere minime teneantur, et ad id per litteras apostolicas compelli non possint, decernens suspensionis, interdicti et excomunicationis sententias, si quo in ipsos vel aliquem aut ecclesias seu domos eorum propter hoc late forent, irritas et inanes. Legatis quoque apostolice sedis et universis collectoribus ipsius decime per alias litteras suas injunexit, ut ab eisdem magistro et fratribus aut domibus et ecclesiis suis per se vel alium aut alios nullatenus decimam exigant memoratam. Non obstantibus quibuscunque litteris apostolicis, eisdem legatis et collectoribus aut eorum aliquibus sub quacunque forma

vel verborum expressione directis, eo pretextu quod contineretur in eis, quod ab exemptis et non exemptis cujuscunque ordinis seu conditionis existerent decimam predictam exigerent, seu extunc in posterum dirigendis, nisi hujusmodi littere dirigende nominatim de ordine predicto et concessione hujusmodi de verbo ad verbum facerent mentionem, predecessore ipso nichilominus denuo premissas sententias latas et ferendas extunc decernente irritas et inanes. Postmodum vero idem predecessor, audito quod Sarraceni predicti tua regna et terras invaserant hostiliter, et considerato tandem ex certis causis, quod impugnatio Sarracenorum ipsorum cedebat in favorem non modicum et grande subsidium Terre Sancte predicte, tibi decimam omnium ecclesiasticorum proventuum predictorum regnorum atque terrarum, prout ipsi Terre Sancte concessa fuerat apostolica auctoritate concessit. Processu vero temporis pie memorie Innocentius papa V predecessor noster volens quod tu ex hujusmodi concessione ipsius decime fructum obtineres obtatum, collectionem ejus in terris et regnis eisdem venerabili fratri nostro .. Ovetensi episcopo exequendam fideliter et sollicite litterarum apostolicarum auctoritate commisit, per litteras ipsas mandans eidem ut prefatam decimam ibidem exigeret per se ac alium vel alios tam ab exemptis quam etiam non exemptis, prout hec omnia in litteris predecessorum ipsorum dicuntur plenius contineri. Cumque idem episcopus, pretextu litterarum ipsarum sibi super hoc directarum, a dictis magistro et fratribus de memoratis regnis et terris suisque domibus et ecclesiis decimam ipsam exigeret et exigi demandaret, ex parte ipsorum fuit coram episcopo predicto propositum quod, cum eis ut premittitur ab apostolica sede foret indultum ut hujusmodi decimam solvere minime tenerentur, per litteras apostolicas impetrandas, que de ordine predicto et indulto seu concessione predictis, de verbo ad verbum non facérent mentionem, prout erant per exhibitionem ipsius indulti docere parati, dictus episcopus ab eis ac domibus sive ordine et ecclesiis supradictis decimam ipsam exigere vel exigi facere, dictarum pretextu litterarum sibi directarum et postmodum obtentarum, in quibus de ordine et indulto seu concessione predictis nulla mentio habeatur, de jure non poterat nec debebat. Et quia idem episcopus super hoc audire denegavit eosdem, ipsi ad nostram duxerunt providentiam recurrendum, nobis humiliter supplicantes ut subvenire super hoc sibi paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque congruum reputantes quod iidem magister et fratres de tuis predictis regnis et terris in hac parte dispendia minime patiantur, qui propter ipsorum merita necnon necessitates et incomoda, que resistendo taliter Sarracenis eisdem graviter affliguntur, a sede apostolica sunt attollendi favoribus et a liberalitate regia oportunis gratiis confovendi; serenitatem tuam duximus attente rogandam, quatinus circa dictum magistrum et fratres de tuis premissis regnis et terris ob reverentiam apostolice sedis ac nostram, et tantorum suorum consideratione meritorum internum dirigens benignitatis affectum prefatam decimam ab ipsis seu domibus ecclesiis et ordine suis non facias nec patiaris exigi, aut in eos quascunque ferri sententias vel sibi molestias aliquas irrogari, set exacta si qua sunt sibi restitui, et latas sententias sive irrogatas molestias revocari; preces nostras super hiis taliter impleturus, quod eisdem magistro et fratribus obtatum comodum de precibus ipsis gaudentibus consequi non solum ipsi ad prosequendum supradictos labores, set eorum exemplo alii animentur exinde fortius, nosque nichilominus mansuetudini regie speciales perinde gratias referamus. Ceterum quicquid super premissis regalis circumspectio providerit faciendum nobis per tuas litteras prompta devotione rescribas. Dat. Viterbii, VI idus octobris, anno primo. »

187 Saint-Pierre, 15 décembre 1278.

Idem rogat pro magistris et fratribus militie Calatravensis Cisterciensis ordinis. (Fol. 43 v°; an I, n° 183.)

« *Eidem regi Castelle.* Ad insinuandum tibi fili carissime qualiter dilecti filii .. generalis et alii magistri et fratres militie Calatravensis Cisterciensis ordinis degentes in regnis et provinciis etc. ut in proxima superiori mutatis mutandis usque prompta devotione rescribas. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XVIII kalendas januarii, anno primo. »

188 Viterbe, 29 septembre 1278.

Idem rogat pro magistro et fratribus hospitalis S. Johannis Hierosolymitani. (Fol. 44; an I, n° 184.)

« *Eidem.* Frequenter, ut credimus, fili carissime, ad notitiam regiam potuit pervenire, quod dilecti filii .. magister et fratres hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani, velut Christi catholici pugiles et caritatis fervidi zelatores pro defensione Terre Sancte personas proprias exponunt intrepide mortis periculis et bona sua convertunt cotidie in egenorum subsidium et alia opera pietatis. Ad insinuandum autem tibi qualiter — ipsi per speciales nuntios ad nostram duxerint providentiam recurrendum

— devotione rescribas. Dat. Viterbii, IV kalendas octobris, anno primo. »

189 Viterbe, 7 octobre 1278.

Matheo episcopo Ulisbonensi facultatem concedit, ut de bonis suis et aliis bonis mobilibus ecclesiasticis, sue dispensationi commissis, certis conditionibus libere testari valeat. (Fol. 44; an I, nº 185.)

« *Venerabili fratri Matheo episcopo Ulisbonensi.* Quia presentis vite conditio statum habet instabilem et ea que visibilem habent essentiam tendunt visibiliter ad non esse, tu hoc salubri meditatione premeditans diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecunque non per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dum viveres dispensationi seu administrationi commissis, et que non fuerint altaris ministerio seu alicui speciali divino cultui vel usui deputata, pro decentibus et honestis expensis tui funeris, ac pro remuneratione illorum qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei sive alii, juxta servitii meritum testari ac disponere possis, et alias prius tue ecclesie ere alieno deducto, ut ipsa ecclesia non remaneat debitis obligata, de ipsis in pios usus ac licitos convertendis tibi auctoritate presentium plenam et liberam concedimus facultatem. Volumus tamen ut in eorundem ecclesiasticorum dispositione bonorum, juxta quantitatem residui erga ecclesias a quibus eadem percepisti te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit, et saluti anime tue videris expedire. Dat. Viterbii, nonis octobris, anno primo. »

190 Viterbe, 9 septembre 1278.

Collectoribus decime Terre Sancte in regno Anglie mandat quatinus decimam a magistro et fratribus hospitalis pauperum S. Johannis de Brakeleya, Lincolniensis diocesis, non exigant nec permittant eos ulterius molestari. (Fol. 44; an I, nº 186.)

« *Dilectis filiis magistro Arditioni primicerio ecclesie Mediolanensis capellano nostro et fratri Johanni de Derlinthon ordinis fratrum Predicatorum collectoribus decime Terre Sancte subsidio in regno Anglie deputate.* Sua nobis —. Dat. Viterbii, V idus septembris, anno primo. »

In eundem modum eisdem pro .. magistro et fratribus hospitalis Sancti Johannis de Noramptonia Lincolniensis diocesis.

In e. m. eisdem pro .. magistro et fratribus hospitalis beate Marie de Hosprenges Cantuariensis diocesis.

191 Borgo San Giovanni, 22 octobre 1278.

Episcopo Egitaniensi concedit facultatem ut de bonis mobilibus ecclesiasticis, sue dispensationi commissis, testari ac disponere possit, quibusdam exceptis. (Fol. 44 vº; an I, nº 187; Potthast 21480.)

« *Venerabili fratri V. episcopo Egitaniensi.* Quia presentis vite conditio —. Dat. apud Burgum Sancti Johannis, XI kalendas novembris, anno primo. »

192 Saint-Pierre, 8 décembre 1278.

Ruthenensi et Mimatensi episcopis, atque abbati Tutellensi, Lemovicensis diocesis, mandat quatinus apud ecclesiam Albiensem accedentes, que in spiritualibus et temporalibus gravem patitur lesionem, auctoritate apostolica de ipsius ecclesie facultatibus, et etiam de statu ejusdem ac circumstantiis universis diligenter inquirant. (Fol. 44 vº; an I, nº 188.)

« *Venerabilibus fratribus R. Ruthenensi et S. Mimatensi episcopis ac dilecto filio P. abbati Tutellensi, Lemovicensis diocesis.* Romana ecclesia que —. Ex parte siquidem dilectorum filiorum .. prepositi et capituli ecclesie Albiensis ordinis Sancti Augustini fuit propositum coram nobis quod licet hactenus eadem ecclesia ordinata fuerit regularis, ita quod ordo et regula ipsius Sancti Augustini deberent inibi observari, cum speraretur per hoc eandem ecclesiam posse in statu prospero conservari, postmodum tamen superseminante zizania humani generis inimico inter personas in ecclesia ipsa degentes et gravibus inde defensionibus ac scandalis suscitatis, divini nominis cultus ibidem minuitur et statutorum regularium observantie quasi totaliter negliguntur, sicque ecclesia ipsa habens ad presens viginti et unum duntaxat canonicos regulares, quanquam de ipsius facultatibus possent triginta et uni canonicis secularibus prebende congrue assignari, carensque domibus et aliis officinis hujusmodi regularibus oportunis, que ministris ydoneis indigeret per quorum scientiam et industriam fides catholica robur posset suscipere, et adversus heretice pravitatis labe respersos solido protectionis clippeo communiri, cum quam plures in partibus illis sint de hereseos crimine diffamate, tum ob hoc, tum etiam pro eo quod propter religionis nexum vix aliqui habentes litterarum scientiam

competentem aut alias ad defensionem jurium ejusdem ecclesie ydonei volunt institui in ea, in spiritualibus et temporalibus non modicam patitur lesionem, et nisi ei per apostolice sedis providentiam celeriter succurratur irreparabile incurrere poterit detrimentum. Quare memorati prepositus et capitulum nobis humiliter supplicarunt ut, cum verisimiliter presumatur, quod per canonicos seculares, si de ipsis dicta ecclesia reformetur, ab hujusmodi imminentibus sibi dispendiis relevari poterit in suis defensari juribus ac alias quo ad spiritualia et temporalia salubriter gubernari, quod per ipsos seu alios sui ordinis posse fieri non speratur, providere in hac parte indempnitati ejusdem ecclesie paterna diligentia curaremus, venerabili fratri nostro .. episcopo Albiensi per nostras litteras injungendo ut circa reformationem status ejusdem ecclesie diligenter intendens, auctoritate nostra statueret, ac etiam ordinaret ut predictis canonicis regularibus in ipsa ecclesia remanentibus subjectis regule supradicte loco ipsorum cedentium vel decedentium subrogarentur canonici seculares, instituendo etiam ex nunc tot canonicos seculares quod predictis regularibus computatis triginta et unus canonicorum numerus in eadem ecclesia observandus perpetuo inibi compleretur. Sufficientibus et distinctis prebendis cuilibet ex ipsis secularibus canonicis de facultatibus ipsius ecclesie assignatis, ac alias circa premissa ageret, prout utilitati ac honori prefate ecclesie dinosceret expedire. Nos igitur — discretioni vestre, de qua gerimus fiduciam in Domino pleniorem, per apostolica scripta mandamus quatinus personaliter apud ecclesiam convenientes predictam et habentes pre oculis solum Deum, auctoritate nostra de ipsius ecclesie facultatibus et quot in ea dignitates seu personatus quantique valoris annui quilibet personatuum seu dignitatum hujusmodi necnon unaqueque dictarum prebendarum esse valeant ac aliis premissis omnibus et etiam alias de statu ejusdem ecclesie ac circumstantiis universis, de quibus super hoc fore inquirendum vobis videbitur, diligenter et sollicite inquiratis. Contradictores auctoritate nostra —. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus decembris, anno primo. »

193 Saint-Pierre, 13 novembre 1278.

B. episcopum Eugubinum collectorem decime Terre Sancte in partibus Ducatus Spoletani, Marchie Anconitane, Patrimonii S. Petri in Tuscia, Romaniole et Masse Trabarie constituit; ei diversas facultates et indulta concedit, ac significat formam juramenti quod prestare vult collectores, quos ipse deputabit. (Fol. 45; an I, nº 189; POTTHAST 21483.)

« *Venerabili fratri B. episcopo Eugubino.* Inter cetera hoc —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus novembris, anno primo. »

194 Saint-Pierre, 13 novembre 1278.

Eidem de quibusdam dubiis, que circa decimam Terre Sancte in eisdem emergere possent, declarationes infrascriptas mandat. (Fol. 45 vº; an I, nº 190.)

« *Eidem.* Cum pro negotio decime olim in concilio Lugdunensi Terre Sancte deputate subsidio te ad partes Ducatus Spoletani, Marchie Anconitane, Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, Romaniole et Masse Trabarie cum nostris litteris transmittamus ut in omnibus partibus Ducatus Spoletani, Marchie Anconitane, Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, Romaniole et Masse Trabarie predictis ipsius decime deputes collectores, aliasque facias que in eisdem litteris continentur, et circa hec nonnulla dubia emergere posse putemus, nos in hiis ad te reversum haberi volentes, quasdam declarationes similium dubitationum in negotio decime olim subsidio Terre predicte in regno Francie deputate habitas, et quasdam alias quas felicis recordationis G. papa predecessor noster fecit, ad instructionem tuam fecimus presentibus annotari, que tales sunt.

De redditibus et proventibus leprosiarum domorum Dei, et hospitalium pauperum qui in usus infirmorum et pauperum convertuntur, decima non solvetur. Moniales etiam alieque regulares persone quarum redditus et proventus ecclesiastici adeo sunt tenues et exiles, quod ex illis sustentari non possunt, set pro habenda vite sue sustentatione necesse habent publice mendicare et elemosinas publice petere, dictam decimam non persolvent. Seculares quoque clerici, quorum ecclesiastici redditus et proventus annui summam septem librarum Turonensium non excedunt, eandem decimam non prestabunt. Si vero una persona plura habeat beneficia, quorum nullum per se acceptum dictam summam septem librarum Turonensium annuatim attingat, simul tamen collecta in annuis proventibus summam memoratam excedant, quotquot vel quantumcunque modica fuerint, de omnibus et singulis decima persolvetur. Set non solvetur de pitantiis monachorum. Similiter de hiis que a Christi fidelibus relinquuntur ecclesiis ut ex eis perpetui emantur redditus, et exenniis prelatis et aliis personis ecclesiasticis liberaliter factis decima non solvetur.

Solventium decimam electioni seu arbitrio committatur, utrum ipsam velint solvere per totum tempus quo durabit decima pro rata proventuum quos singulis annis ipsos percipere contigerit, an per totum ipsum tempus pro rata comunis extimationis proventuum eorundem. Sed una via electa, non licebit alteri variare ad aliam recurrendo. Et fiat et redigatur per collectores in scriptis electio hujusmodi expresse in prima solutione decime supradicte. Alioquin juxta extimationem comunem per totum tempus solvere tenebuntur. Declaramus autem, quod si hii qui elegerint solvere decimam pro rata qua percipient annuatim, vendant proventus beneficiorum suorum que personalem residentiam non requirunt, solvent decimam de solo pretio quod recipient de eisdem, dumtamen circa hoc in fraudem decime nichil omnino agatur. Set ecclesiastica persona que in ecclesia sua vel beneficio quod residentiam personalem requirit non resederit, set faciet in eodem per firmarium vel vicarium deserviri, deputando ipsi vicario vel firmario certam suorum proventuum portionem, non deducet partem vicarii seu firmarii, set de universis ipsius ecclesie vel beneficii proventibus decimam exhibebit. Declaramus etiam quod de silvis seu nemoribus que non consueverunt vendi nichil solvetur, nisi forte aliquid de illis venditum fuerit durante decima, et tunc extimabitur quantum valere debeat annui redditus pars vendita secundum assisiam que consuevit fieri de nemoribus in partibus illis in quibus nemus venditum situm erit, et de sola extimatione decima persolvetur. Et nisi de eo quod percipietur de dictis silvis seu nemoribus que vendi non consueverunt nec forte vendentur durante decima ex venditione pasuagii, seu herbagii aut alterius consimilis proventus eorundem nemorum et silvarum, et si non vendantur hujusmodi pasuagia, herbagia et similia, non solvetur decima de hiis. Ita tamen quod in fraudem decime nichil circa hoc attemptetur. Idemque in pasuagiis et herbagiis et consimilibus obventionibus silvarum ceduarum ducimus observandum. De stagnis et piscariis si vendantur, de pretio decima sic solvetur, videlicet ut fiat collatio de numero annorum quibus ante venditionem ultimam vendita non fuerint ad quantitatem pretii, ex ipsa ultima venditione recepti, ut prètio diviso in partes secundum annorum numerum durante decima solvetur decima ipsa de tot partibus pretii ex ipsa venditione recepti, quot fuerint anni predicti, ut si forte sunt quinque anni elapsi ex quo fuerat stagnum venditum, et nunc vendatur pro centum libris, fient de pretio quinque partes, et pro tribus annis quibus durabit decima solvetur ipsa decima de tribus partibus pretii, tantum videlicet de sexaginta libris, et sic multiplicabuntur et minuentur partes pretii, prout plures vel pautiores fuerint dicti anni. De venationibus autem et piscariis fluminum, si vendantur, et silvis ceduis idem quod de stagnis fiet. De piscibus stagnorum et bestiis garenarum quos pro usu vel esu suo capi et sic consumi et sine fraude donari contigerit, decima non solvetur.

Et quia nonnulli obtinent a monasteriis et ecclesiis prioratus, grangias, domos, redditus, pensiones et census, in solvenda de hiis decima credimus distinguendum, videlicet an talia in beneficium concedantur vel habeantur, an ex contractu an ex mera gratia, et an pro mercede laboris vel obsequii, et quidem obtinentes talia in beneficium et etiam ex mera gratia sive hoc sit per sedem apostolicam, sive per ipsorum monasteriorum et ecclesiarum personas, de illorum proventibus solvent decimam. Cum autem obtinentur talia ex contractu, puta ad pensionem vel firmam annuam in qua non est facta gratia obtinenti, set uterque contrahentium studuit in hoc conditionem suam facere meliorem, perceptores pensionis vel firme de ipsa pensione vel firma decimam exhibebunt. Si autem quis ante vel post concessionem hujusmodi decime ad vitam propriam emit proventus prioratus vel aliorum predictorum pro aliqua pecunie quantitate, ita quod in hoc ei scienter gratia non est facta, considerabitur quantum extimatione comuni valeant annui proventus prioratus, grangie, domus terrarum seu reddituum hujusmodi, et secundum hoc ab illis quorum est proprietas qui inde pretium pro futuro tempore perceperunt, per sex annos decima exigetur. Si autem in hiis gratia facta sit obtinentibus, quia scienter pro minori quam valeant sint eis talia vendita vel locata, ipsi obtinentes et non monasterium, vel que etiam de illo in quo gratia facta est ipsis et de reliquo illi quorum est proprietas decimam exhibebunt. Si autem personis aliquibus pro justa mercede seu remuneratione laboris vel obsequii prestiti vel prestandi talia concessa sint, hii quorum est illorum proprietas in decimatione proventuum suorum etiam horum proventus merito numerabunt, et de illis sicut de aliis quos pro ceteris suis utilitatibus expendunt decimam exhibebunt. Quod si per illos qui ea obtinent rite in alios sunt translata, quia res transit cum onere suo, etiam circa illos que prediximus servabuntur, nec deducentur expense que pro monachis qui in talibus prioratibus, grangiis, seu domibus in beneficium, seu ex mera gratia concessis ex pacto teneri debent, fieri dinoscantur. Expense autem illorum monachorum vel personarum qui teneri debent ex pacto in prioratibus, grangiis seu domibus, ad justam firmam vel pensionem concessis sive determinate fuerint sive non, extimabuntur extimatione comuni, et talem

extimationem monasterium vel ecclesia cujus illorum est proprietas cum suis proventibus decimabit.

Prelati de procurationibus quas in victualibus percipiunt decimam non persolvent, set hii qui eas prestant hujusmodi victualia in decimatione suorum proventuum et redditum numerabunt; et solvent decimam de eisdem. De illis autem procurationibus quas prelati in pecunia numerata rite percipiunt ab antiquo et quas percipient, etiam si non visitarent, decimam prestare tenentur. Prelatus autem qui procurationem quam sine visitatione potuit de jure percipere in pecunia numerata alicui ecclesie remittit, quia remittit quod sibi debetur et de quo soluisset decimam, si recepisset illud, tenetur ex tali procuratione decimam exhibere. Si vero procurationem quam tantum in victualibus licet percipi fortasse remictat, persona ecclesiastica cui remissio facta est hujusmodi victualia cum aliis suis proventibus cum solvet decimam extimabit, cum etiam si non esset remissa hoc facere teneretur. In solvendo decimam supradictam sole expense necessarie que fiunt in re ex qua fructus percipiuntur, arando, colendo et colligendo fructus, sine quibus non possunt ipsi fructus percipi deducentur. Expense autem que fiunt in castrorum custodibus, cum sint extra rem, vel etiam in edificiis construendis vel conservandis nullatenus deducentur. Sicut nec ille que pro villis tuendis fierent in guerris seu etiam cavalcatis. De hiis quoque que consistunt in jurisdictione, mero imperio, regalibus atque similibus solvetur decima, deductis moderatis salariis, que ante concessionem decime consueverunt persolvi judicibus, officialibus, consimilibusque personis, sine quibus jurisdictio et cetera similia nequeunt exerceri. Ita tamen quod in fraudem decime nichil circa hoc aliquid attemptetur. Set expense officialium, judicum ac consimilium personarum facte in vestibus seu victualibus minime deducentur. Sicut nec alie expense similes facte circa aliam familiam prelatorum. Ratione autem eris alieni quo persona solvens decimam obligata consistit, nichil de decima minuetur, etiam si certe res ecclesiastice propter hoc a quocunque spiritualiter fuerint obligate. Item de furnis et molendinis decima prestabitur. Solvetur autem decima de oblationibus sive fiant pro benedictione nubentium, sive pro exequiis mortuorum, necnon de proventibus sigillorum prelatorum, et de emendis quas ab excomunicatis recipiunt. De legatis quoque sibi et aliis personis ecclesiasticis, non personarum set ecclesiarum vel officiorum ratione relictis, decima persolvetur. Pro decima supradicta non exigetur pecunia, nisi illa que comuniter caret de mandato domini terre, cujus est moneta, in locis in quibus consistent fructus et redditus, unde decima persolvetur, nec aliqui pecuniam cambire cogentur eandem.

Si ex probabilibus seu verisimilibus presumptionibus apparuerit aliquem pensatis ejus proventibus minus debito notabiliter de decima persolvisse, ita quod super hoc merito suspectus debeat reputari, ex officio nostro per viros ydoneos deputandos a nobis faciemus inquiri ab illis qui super hoc scire valeant veritatem, videlicet de consilio diocesani episcopi vel aliquo deputando ab ipso, si sit ejus subditus, et non aliter, si episcopus ipse vel deputatus ab eo commode possit haberi, et tunc demum et non prius ille cujus proventus fuerint taliter extimati pro eo quod minus solverat etiam nominatim excomunicabitur, si ejus contumatia exegerit et visum fuerit expedire. Episcopi autem et abbates cetereque persone ecclesiastice honorabiles non suspecte proprie conscientie relinquentur. Ita quod sufficiat quo ad tales excomunicationis sententia que in nullo modo vel scienter minus solventes et adhibentes fraudem vel malitiam circa ipsius decime solutionem generaliter proferetur. Super hiis autem fiet compulsio per censuram ecclesiasticam, prout nobis et aliis quibus hoc committendum duxerimus visum fuerit expedire. Proferetur autem si expediens visum fuerit excomunicatio generaliter vel specialiter in eos qui contra solutionem decime vel suorum extimationem proventuum cum fuerit facienda fraudem vel malitiam scienter duxerint adhibendam. Nullus autem non solventium compellatur per secularis violentiam potestatis, nisi ipsius non solventis contumatia vel rebellio talis aut tanta fuerit quod merito contra ipsum, sicut fieret in aliis casibus seu negotiis, propter ecclesiastice censure contemptum invocari debeat auxilium brachii secularis. Fiet autem solutio decime non in ipsis rebus que percipiuntur de proventibus set de pecunia numerata. Solvetur autem decima illis personis, quas ad hoc contigerit deputari. Rector parrochialis ecclesie, qui urgente necessitate cure ecclesie sue, puta quia ipse residendo personaliter in eadem per se non sufficit ipsi cure propter multitudinem parrochianorum vel diffusionem parrochie sue, set necesse habet unum vel duos seu plures capellanos conducere, et eis propter victum salarium constituere, salarium hujusmodi poterit in decime solutione deducere, set ratione victus capellanorum ipsorum aliquid non deducet. Quod si in diversis civitatibus aut diocesibus diversa beneficia obtineat quis, de unoquoque beneficio in civitate vel diocesi in qua illud fuerit decima persolvetur.

Ad requisitionem autem prelatorum qui nuper convenerunt in concilio Lugdunensi, declarationes hujusmodi sunt adjecte. De redditibus autem ecclesiasticis deputatis ad fabricam ecclesiarum decima persolvetur. De elemosinis vero seu oblationibus datis ad opus fabrice, et

maxime de hiis oblationibus que in civitatibus et aliquibus castris et locis Italie in certis festivitatibus, in candelis et cereis et aliis consueverunt dari et offerri ad opus fabrice, et per eos qui ad fabricam deputati sunt colligi, decima non solvetur. Similiter nec de illis oblationibus que colliguntur interdum per laicos qui collectores consortiales dicuntur et interdum per clericos, et que ad opus consortii offeruntur, ut inde luminaria in ecclesia cruces et calices fiant et reparentur, et etiam ut ex illis pauperibus subveniatur et sepeliantur corpora pauperum defunctorum. Prelati autem et clerici exules cujuscunque conditionis aut dignitatis existant de suis proventibus ecclesiasticis decimam exhibebunt. Ille quoque expense que fuerint pro fossatis et alias etiam pro terris bonificandis, ut uberiores fructus producant, et ille que fuerint in conservandis seu reparandis edificiis molendinorum, domorum seu apothecarum et similium, ex quibus fructus et pensiones percipiuntur, et nisi repararentur fructus ex eis percipi non valerent, de decima hujusmodi minime deducentur, nec etiam ille que fuerint pro custodia castrorum, quamvis fiant in hoc majores solito. Insuper de oblationibus etiam minutissimis quas percipiunt ecclesiastice persone, ratione ecclesiarum suarum pro sepulturis et dandis penitentiis, predicta decima persolvetur. Et quia non occurrit nobis quin cotidiane distributiones proventus ecclesiastici sint censende, nos cum felicis recordationis Clemente papa predecessore nostro qui de illis decimam per eum simili subsidio deputatam debere solvi declaravit et voluit sentientes, de distributionibus que dantur in horis canonicis presertim debere solvi decimam declaramus. Illi quoque qui deputati fuerint ad collectionem decime cum eis qui debent solvere decimam de aliqua certa summa solvenda pro decima nequeunt convenire. De fructibus arborum et ortorum qui venduntur solvetur decima. De hiis autem qui consumentur usu vel esu decima non solvetur. Similiter autem et de fructibus gregum seu animalium si sint ecclesiarum persolvetur decima, deductis expensis necessariis que fient pro custodia. Si vero sunt personarum, decima non solvetur.

Tu ergo in hiis solum Deum et justitiam ac predicte Terre necessitatem pre oculis habens, ex predictis declarationibus in decidendis hujusmodi dubitationibus que per te leviter decidi poterunt informationem accipias. Super majoribus vero decisionem apostolici oraculi expetas et expectes. Volumus quoque ac presentium tibi auctoritate mandamus, ut in unam quanque personam ecclesiasticam deputatarum tibi partium, cujuscunque ordinis conditionis vel dignitatis existat, que decimam ipsam nullo modo vel non integre, scienter aut non, secundum extimationem deputandarum a nobis vel mandato nostro ad hoc personarum, sive non, in terminis constitutis exhibuerint, seu in illius exhibitione malitiam adhibuerint sive fraudem, excomunicationis sententiam auctoritate nostra promulges, et tam eam quam illam quam nuper in generali concilio in omnes et singulos qui scienter impedimentum prestiterint directe vel indirecte, publice vel oculte, quominus decime predicte solverentur, subsidium idem predecessor tunc in cathedralibus et aliis collegiatis ecclesiis civitatum et diocesum partium predictarum de quibus expedire videris per te et alios publicare procures. Omnes et singulos qui hujusmodi sententias forte dudum per L. archidiaconum Spoletanum collectorem decime predecessorem tuum latas incurrerunt, vel per te inferendas et alias jam in concilio promulgatas sententias incurrerunt, per te et alios singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam excomunicatos publice nunties et facias ab omnibus artius evitari. Aggravaturus alias manus tuas contra ipsos, prout eorum proterviam et contumatiam videris promereri. Quod si satisfacere decreverint post plenam et integram satisfactionem ab hujusmodi excomunicationibus juxta ecclesie formam absolvas eosdem et dispenses cum eis super irregularitate si aliter ligati non abstinuerint a divinis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus novembris, anno primo. »

195 Saint-Pierre, 14 décembre 1278.

Abbati monasterii de Valcellis Cameracensis diocesis, Johanni de Bruerriis cantori et magistro Renero de Passiaco canonico Cameracensi, collectoribus decime in Cameracensi, Atrebatensi et Tornacensi diocesibus, mandat quatinus in Cameracensi civitate et eisdem diocesibus juxta desiderium episcopi Cameracensis, abbatum et prelatorum eorumdem, et comitis Flandrie, in solutione decime procedant, servaturi per omnia que in litteris Johannis XXI pape de assignatione ejusdem ipso comiti faciende continentur; in partibus diocesum Leodiensis et Traiectensis, ad prefatum comitem spectantibus, decimam a collectoribus eorumdem diocesum exigere et recipere studeant. (Fol. 47 v°; an I, n° 191.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii de Valcellis Cisterciensis ordinis Cameracensis diocesis, Johanni de Bruerriis cantori et magistro Renero de Passiaco canonico Cameracensi.* Dudum felicis recordationis Johanni pape predecessori nostro ex parte dilecti filii nobilis viri Guidonis comitis Flandrie, marchionis Namurcensis exposito, sicut accepimus, quod ipse zelo fidei et devotionis accensus

signum reverende crucis assumpserat ac in termino proximo generalis passagii a sede apostolica statuendo cum bellatorum decenti et honorabili comitiva in ejusdem Terre proponebat subsidium proficisci, idem predecessor volens ipsum in tam laudabili et in oculis dominice majestatis accepto proposito confovere, ac attendens quod ex sue probitatis experte industria et strenuitatis virtute quibus predicatur insignis sua in illis partibus poterit esse presentia multipliciter fructuosa, devotioni sue cum propter hoc grandia ipsum subire oporteat onera expensarum decimam omnium ecclesiasticorum proventuum hujusmodi subsidio deputatam in civitate ac diocesi Cameracensi, in ipsis videlicet ipsarum civitatis et diocesis partibus que sunt extra regnum Francie constitutis, ac in omnibus terris de regno ipso non existentibus, quas idem comes et dilecta in Christo filia nobilis mulier .. comitissa Flandrie mater ejus in Atrebatensi, Tornacensi, Leodiensi et Traiectensi diocesibus obtinent, per sex annos prout extitit ipsius Terre subsidio in generali concilio Lugdunensi concessa, dummodo idem nobilis votum crucis in predicto passagii termino pensatis sue potentie viribus cum honorabili bellatorum equitum comitiva personaliter prosequatur, per suas litteras concessit de gratia speciali. Voluit quoque dictus predecessor quod tempore assignationis decime memorate idem nobilis se obliget et sufficienter caveat ad ipsius ecclesie voluntatem quod, si quod absit contingat eundem nobilem ab ipsius prosecutione voti casu mortis aut quovis alio legitimo impedimento subduci, heres vel successor ipsius predictum votum cum hujusmodi comitiva equitum bellatorum in persona propria exequatur. Si vero predictum heredem vel successorem ab hujusmodi executione voti quocumque casu vel modo retrahi vel cessare contigerit, predicta decima integre ad eandem Romanam ecclesiam revertatur. Idemque nobilis ac heres vel successor prefati id quod de predicta decima forsan ante ejusdem nobilis nomine perceptum fuisse contigerit eidem ecclesie Romane dicte Terre nomine reddere teneantur ad apostolice sedis arbitrium in Terre prelibate subsidium convertendum. Expressit etiam prefatus predecessor quod per concessionem hujusmodi generose dicto comiti factam ab ipso in favorem et subsidium dicte Terre non intendebat se vel cameram suam aut Romanam ecclesiam si eundem comitem hujusmodi decimam quocumque casu vel modo non habere contigerit aliquatenus obligare ac nichilominus reservavit sibi ut absque alicujus variationis nota de predicta decima posset ante assignationem ipsius decime inchoandam aliter ordinare, si forsitan ex aliqua causa quam putaret necessariam utilitati ejusdem Terre Sancte expedire videret, licet sue intentionis existeret ut idem comes hujusmodi necessitate cessante assequeretur decimam supradictam. Demum vero idem predecessor per alias suas litteras vobis injunxit ut vos vel duo aut unus vestrum aliis impeditis predictam decimam per vos vel per alium seu alios diligenter colligere ac per vos in aliquibus tutis locis deponere curaretis. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Noluit tamen idem predecessor quod ad predicte decime assignationem prefato comiti vel suo nuntio aut alii ejus nomine faciendam aliquatenus procedatis nisi prius super eadem assignatione sedem apostolicam duxeritis consulendam, et responsionem tam super assignatione predicta quam super qualitate assignationis et cautionis hujusmodi a comite supradicto prestande a sede receperitis memorata; sane postmodum vos ministerium collectionis hujusmodi diligentius exequentes. Venerabili fratri nostro .. episcopo Cameracensi, abbatibus quoque monasteriorum ac ejusdem Cameracensis et aliarum ecclesiarum capitulis necnon ceteris personis ecclesiasticis, quas negotium solutionis decime hujusmodi contingit, partium terrarum et diocesum predictorum auctoritate in hac parte a sede apostolica vobis commissa, prout ex serie litterarum vestrarum collegimus, mandavistis ut de hujusmodi decima vobis satisfacere plenarie procurarent. Verum quia episcopus, abbates et alii predictarum Cameracensis civitatis et diocesis, necnon Atrebatensis et Tornacensis diocesum in solutione decime juxta ordinationem dicti concilii certis terminis exhibende, que per triennium pro eo ut asseritur soluta non fuerat, quod in predictis locis scilicet Cameracensis civitatis et diocesis necnon Atrebatensis et Tornacensis diocesum extra regnum prefatum positis a sede apostolica collectores decime non extiterant deputati impresentiarum admodum aggravantur, idem episcopus pro se ac sibi adherentibus in hac parte et nonnulli alii prelati et persone ecclesiastice tam earundem Cameracensis civitatis et diocesis quam predictarum Atrebatensis et Tornacensis diocesum, quas hujusmodi negotium contingit, ne propter hoc procederetis contra eos ad sedem apostolicam appellarunt. Demum vero ut accepimus tam ipsi quam prefatus comes desiderantes ut premissi sex anni in prefatis Cameracensis civitatis et ipsius, ac Atrebatensis et Tornacensis diocesum et primus terminus solutionis dicte decime in festo beati Johannis Baptiste proximo venturo incipiant computari; secundus vero terminus in Nativitate Domini dictum festum sequente et sic de cetero ceteri termini solutionis hujusmodi serventur, quousque pro dictis sex annis tota decima fuerit soluta, a nobis humiliter petierunt ut mandaremus eorum in hac parte desiderium adimpleri. Nos

itaque ipsorum votis super hoc benignius annuentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus in prefatis Cameracensi civitatis et ipsius ac Atrebatensis et Tornacensis diocesum in solutione hujusmodi sex annos incipientes in eisdem festis juxta predictorum episcopi, abbatum et aliorum et comitis desiderium computare in predicto collectionis negotio procedatis juxta presentium et predictarum vobis super hoc ipsius predecessoris directarum continentiam litterarum. Ceterum volumus quod decimam in terris et locis in eisdem Leodiensi et Traiectensi diocesibus extra regnum predictum constitutis ad prefatum comitem spectantibus collectam et colligendam ab ipsorum collectoribus qui hactenus inibi deputati fuisse dicuntur per sex annos in predicto consilio ordinatos exigere et recipere studeatis. Nos ergo eis ut illam vobis assignent per alias nostras litteras duximus injungendum quid et quantum receperitis nobis postmodum fideliter rescripturi, ac servaturi per omnia que in litteris ejusdem predecessoris nostri Johannis continentur, sicut etiam superius est narratum. Declarationem quoque de redditibus beneficiorum, que summam in ipsa declaratione contentam non excedunt, a pie memorie Gregorio papa predecessore nostro factam servantes in hujusmodi decima exigenda. Tandem excommunicationis suspensionis et interdicti sententias si quas in eos vel eorum aliquem hac occasione promulgastis vel latas in prefato concilio incurrerunt sine difficultate qualibet relaxetis, ab inferendis vero per vos ac in predicto concilio, ut premittitur, promulgatis quas eos incurrere forte contigerit, post satisfactionem plenariam ab ipsis prestandam, ipsos juxta formam ecclesie absolvatis. Super irregularitate si quam ipsi vel eorum aliquis immiscendo se divinis officiis seu ordines suscipiendo exinde contraxerunt vel contrahent dispensando nichilominus cum eisdem. Contradictores etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XVIIII kalendas januaris, anno primo. »

196 Saint-Pierre, 14 décembre 1278.

Collectoribus decime in Leodiensi et Traiectensi civitatibus et diocesibus mandat quatinus decimam, quam in partibus eorundem, ad comitem Flandrie et comitissam matrem ejus spectantibus, collegerunt et colligent, collectoribus supra nominatis assignare studeant, quid et quantum eis assignaverunt sibi fideliter rescripturi. (Fol. 48; an I, nº 192.)

« *Dilectis filiis .. collectoribus decime in Leodiensi et Traiectensi civitatibus et diocesibus deputatis.* Dudum sicut accepimus — Dat. ut supra. »

197 Saint-Pierre, 9 décembre 1278.

Priori predicatorum et guardiano Minorum fratrum ordinum ac lectoribus ordinum eorundem Bononiensibus, qui jam de matrimonio inter Lambertinum natum nobilis viri Comarii de Galluciis civis Bononiensis et Johannam natam nobilis viri Galixii concivis illicite contracto, sedi apostolice veritatem fideliter retulerunt, mandat quatinus cum eisdem auctoritate apostolica dispensare curent, quod in eodem remanere licite valeant. (Fol. 48 vº; an I, nº 193; POTTHAST 21495.)

« .. *priori predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum ac lectoribus ordinum eorundem Bononiensibus.* Intellecto dudum quod —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus decembris, anno primo. »

198 Saint-Pierre, 20 décembre 1278.

Salvo priori fratrum Predicatorum de Urbe mandat quatinus ad ecclesiam Acheruntinam accedens de electione archiepiscopi, non canonice celebrata, veritatem diligenter inquirat; prefixo electo archidiacono et capitulo termino competenti, quo iidem coram Pontifici compareant. (Fol. 48 vº; an I, nº 194.)

« *Fratri Salvo priori fratrum Predicatorum de Urbe.* Accedens ad presentiam nostram dilectus filius Jacobus archipresbiter ecclesie Acherontine nobis humiliter supplicavit ut electionem quam de dilecto filio magistro Petro de Archia in archiepiscopum ipsius ecclesie per viam scrutinii ab archidiacono et capitulo ipsius ecclesie celebratam esse dicebat, confirmare auctoritate apostolica curaremus. Nos autem presentato nobis ab eodem archipresbitero decreto electionis ipsius, examinationem hujusmodi negotii venerabili fratri nostro B. Albanensi episcopo, dilectis filiis nostris A. tituli Sancte Praxedis presbitero et M. Sancte Marie in Porticu diacono cardinalibus duximus committendam, qui tandem dicte electionis examinato processu que super hoc invenerunt nobis fideliter referre curarunt. Verum quia ex assertione dicti archipresbiteri electionem hujusmodi prosequentis accepimus quod tabellio qui dictum decretum scripsisse et publicasse dinoscitur electioni non interfuit memorate, quodque alias intelleximus electionem ipsam per impressionem et metum ac laicalis potestatis abusum fuisse minus canonice celebratam, ipsam distulimus confirmare. Volentes igitur reddi de forma et modo electionis predicte ac de impressione et metu hujusmodi certiores, super hiis ex officio nostro fore providimus inquirendum. De tua itaque circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad predictam ecclesiam

personaliter accedens et habens pro oculis solum Deum, super quibusdam articulis formatis a dictis cardinalibus, quos sub bulla nostra tibi tradimus interclusos, diligenter inquiras, et quod super hiis inveneris nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare, ut ex relatione tua instructi super hoc prout justum et nobis expediens secundum Deum visum fuerit procedere valeamus, prefixo electo archidiacono et capitulo prefatis termino peremptorio competenti quo electus ipse personaliter, iidem vero archidiaconus et capitulum per procuratorem ydoneum habentem super hoc sufficiens et speciale mandatum, nostro se conspectui representent, facturi et recepturi super hiis quod auctore Domino suadente justitia duxerimus statuendum. Illos autem quos super premissis scire credideris plenius veritatem, si se gratia odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione relicta compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIII kalendas januarii, anno primo. »

199 Saint-Pierre, 1er décembre 1278.

Benenato canonico Narbonensi, collectori decime in regno Aragonum, significat ea que injunxit Narbonensi et Arelatensi archiepiscopis de hac parte decime regni, quam episcopi Oscensis et Valentinensis, S. Johannis Jerosolimitani et militie Templi preceptores ad preces regis, sine licentia Pontificis, tradiderunt; ei mandat quatinus decimam ipsam, medietate primi anni excepta, eisdem archiepiscopis studeat assignare, faciens de assignatione confici publica instrumenta. (Fol. 49; an I, n° 195.)

« *Dilecto filio Benenato canonico Narbonensi, collectori decime in regno Aragonum, Terre Sancte subsidio deputate.* Significavit nobis carissimus in Christo filius noster .. rex Aragonum illustris quod ipso dudum felicis recordationis Johanni pape predecessori nostro nuntiis et litteris intimante, quod Agarenorum funesta presumptio quos nutrit prophana regio Africana contra renatos fonte baptismatis armata duris aculeis regni sui Christicolas sevis perturbans procellis, adeo Agaranice potentie convocatis auxiliis in superbam audatiam erat evecta, quod jugiter hostilibus temptabat aggressibus regnum ipsum suo quod absit nephando subjugare imperio, et in eo demum extinguere lucernam nominis christiani, propter quod idem rex contra impetum tam sevi fulminis suis et suorum juribus excitatis tandem extimavit super hoc fore apostolice sedis auxilium implorandum ac supplicante eidem predecessori humiliter, ut regnorum et comitatuum suorum ecclesiasticorum proventuum decimam in Terre Sancte subsidium in Lugdunensi concilio deputatam, sibi dignaretur predecessor ipse concedere in tuitionem regnorum et comitatuum eorundem, dictus predecessor ejusdem Terre Sancte afflictionem in obprobrium prefati nominis continuatam in sua mente recensisse creditur et invite fuisse inductus deputatum dicte Terre subsidium in alterum derivare, sed quia tam dampnate presumptioni et vicinis perfidorum aggressibus occurrere salutaribus remediis quam plurimum necessarium probabatur, ne forte invalesceret in proximo, quod in remotis christiana proponit devotio prosequi contra perfidiam Agarenicam, Deo propitio, sub vexillo victrici, dictus predecessor considerato quod ex resistentia suffulta viribus divitia opitulante dextera Agarenorum ipsorum, aliis precisis potentie Babilonica Christianorum persecutio horum consueta confoveri presidiis redderetur plurimum imbecillis, dicto regi in hac parte immo potius fidei Christiane voluit favoribus assistere oportunis, et eis super hiis apostolice benignitatis favorabilem assistentiam considerata hujusmodi qualitate negotii non negare, ac in premissorum veritate sue diffinitionis juditio vacillante, venerabilium fratrum nostrorum .. Narbonensis et .. Arelatensis archiepiscoporum discretionem ad hujusmodi negotii ministerium preelegit, et eos sicut asseritur per litteras suas sub certa forma rogavit et fuit hortatus attentius, eis sub debito fidelitatis qua tenentur ecclesie Romane in virtute obedientie districtius injungendo, ut indagine diligenti et sollicita inquisitione premissis ac consideratis circumstantiis universis que circa hujusmodi supplicationis votivum effectum essent propensiori studio attendende et an evidens ac urgens necessitas circa tuitionem regnorum et comitatuum predictorum subventionem hujusmodi exigeret, super quo dictus predecessor extunc eorum conscientias onerabat, exacta diligentia providentes si decerneret ipsorum circumspectio prestandum hujusmodi postulatum subsidium dicto regi decimam ecclesiasticorum proventuum regnorum et comitatuum ac terrarum, que clare memorie Jacobus rex Aragonum pater ipsius regis obtinuit, recipientes ad manus suas eam in defensionem et custodiam regni Aragonum, prout qualitas super hiis predicte necessitatis exigeret, auctoritate apostolica in partem vel in totum prout viderent expediens convertere procurarent, id sic executori prudenter quod eorum prudentia proinde redderetur digna preconiis et fidelitatis eorum sinceritas in hiis adaucta virtuosis actibus merito censeretur, et ut liberius si oporteret sicut premittitur postulatum ejusdem regis subsequeretur subsidium, tibi per alias litteras injunxerit, ut ad requisitionem eorundem archiepiscoporum reddita coram quatuor vel tribus episcopis aut

prelatis aliis seu personis autenticis de decima collecta per te plenaria ratione decimam ipsam, medietate ipsius decime primi anni quam certis mercatoribus ex certa causa pro ipsius Terre Sancte subsidio dictus predecessor mandaverat exhiberi dumtaxat excepta, eisdem assignare curares et iidem archiepiscopi facerent de assignatione hujusmodi confici publica instrumenta, quid et quantum eis dares et quicquid inde ipsi facerent dicto predecessori fideliter intimando. Si vero premissa necessitas non exigeret subsidium memoratum, predictam decimam si eosdem archiepiscopos ipsam recipere contingeret, vel saltem ejus residuum si quod esset in aliquo vel aliquibus tutis locis extra regnum ipsum diligenter deponere studerent in ejusdem Terre Sancte subsidium convertendam, ipsi predecessori quid et quantum reciperent et ubi sic receptum vel residuum hujusmodi per eos deponi contingeret rescripturi; sed eodem predecessore morte prevento, predicte sue littere non fuerunt eisdem archiepiscopis vel tibi, sicut dicitur, presentate. Quare predictus rex dilectum filium Hugonem de Mataplana prepositum ecclesie Massiliensis capellanum nostrum nuntium suum ad sedem apostolicam destinavit, qui coram nobis prudenter exposuit quod Sarracenorum dampnata perfidia contra predictum regnum invalescente nimis et eosdem Christicolas perturbante, prefatus rex congregato copioso exercitu multa castra que dicto regi fraudulenter iidem infideles abstulerant obsedit ac expugnavit et finaliter recuperavit potenter et illa suo imperio subjugavit, ac tandem, cum dictus rex propter obsidionem castri et ville de Montesia pecunia sic pro stipendiis sui exercitus indigeret quod nisi sibi celeriter pecuniarum subsidium provenisset probabiliter timebatur ne idem dissolveretur exercitus et alias talis imminebat necessitas quod si ad dictos archiepiscopos eedem littere ante ipsius predecessoris obitum pervenissent et pecuniam ipsius decime habuissent ad manus suas illam regi exhibuissent eidem, juxta tenorem litterarum ipsarum predecessoris ejusdem venerabiles fratres nostri .. Oscensis et .. Valentinensis episcopi, necnon dilecti filii .. Sancti Johannis Jerosolimitani et .. militie Templi de Aragonia preceptores xv milia librarum Turonensium de pecunia decime regni predicti quam penes eos deposueras ad preces ipsius regis tradiderunt eidem, ab eo certis pignoribus valoris hujusmodi xv milium librarum et cautione receptis de restituenda prefata pecunia, statim cum tu illam repeteres ab eisdem et dictus rex pecuniam eandem convertit in captionem ipsius castri et exterminationem infidelium eorundem, propter quod idem nuntius pro parte dicti regis a nobis humiliter petiit ut ipsum regem a cautionibus ipsis absolvi et ei pignora hujusmodi restitui ac quantitates residuas assignari sibi de cetero faceremus. Nos autem licet hujusmodi pecunie assignationem et receptionem sine licentia nostra taliter non sine notabili temeritate presumptas absque labore ulterioris indaginis nedum reprehendere, verum etiam inflictione pene corrigere recto judicio valeremus, ne tamen vel predicte presumptionis in exempli pernitiem refrenanda temeritas si rex exegerit impunita remaneat, vel prefate necessitatis articulis si ejus qualitas id exposcat in favorem fidei absque remedio provisionis accomode relinquatur, premissa omnia debita consideratione pensantes dictis archiepiscopis sub debito fidelitatis qua tenentur eidem ecclesie et sub virtute obedientie districtius per alias litteras nostras injungimus ut predicta xv milia librarum si fieri poterit, vel pignora ipsa, si premissi valoris extiterint alioquin cum aliorum adjunctione pignorum, ita quod valorem attingant eundem, et nichilominus omnem pecuniam decime dicti regni quecumque sit quocumque tempore collectam facientes ante omnia integraliter in suis manibus assignari, ac illa in aliquo vel aliquibus tutis locis extra predictum regnum nostro et ecclesie Romane nomine cum cautela debita deponentes, de premissis omnibus diligentius inquirant, et si hec eis plene constiterit super quibus eorum intendimus conscientias onerare, videlicet quod tempore assignationis dicte pecunie necessitas, ut premittitur, imminebat et quod verisimiliter presumi posset quod hac occasione fuisset dictus exercitus dissolutus eisque videatur quod necessitatum hujusmodi qualitate pensata predictam pecuniam juxta tenorem litterarum predicti predecessoris directarum ipsis regi dedissent eidem, predictis episcopis et preceptoribus ab assignatione hujusmodi absolutis iidem archiepiscopi dicta pignora si ea receperint regi restitui faciant memorato. Quod si forte narrata necessitas tempore assignationis dicte pecunie non urgebat, ita quod ipsi pecuniam dicto regi non exhibuissent eandem, sicut superius est expressum, episcopos et preceptores non absolvant eosdem nec pignora ipsa si ea ut predicitur receperint restituant, quin immo episcopos et preceptores predictos ac regem eundem ne super hoc dicte sedi quomodolibet illudatur ex parte nostra citare procurent, ut infra duos menses post citationem hujusmodi dictus rex per procuratorem ydoneum, iidem vero episcopi et preceptores personaliter apostolico se conspectui representent, dicti episcopi et preceptores recepturi pro meritis et tam ipsi quam dictus rex alias quod eis injunxerimus impleturi. Si vero predicta xv milia librarum vel pignora ipsa dictis archiepiscopis ut predicitur non fuerint assignata, iidem archiepiscopi faciant sibi ab eisdem episcopis et precep-

toribus xv milia librarum Turonensium vel hujusmodi pignora xv milia librarum Turonensis monete valentia exhiberi, eos ad id et etiam detentores predicte pecunie ipsius decime dicti regni ad ponendum et assignandum in manibus suis ut premictitur omnem hujusmodi pecuniam decime memorate, ut nostro et ipsius ecclesie Romane nomine xv milia librarum Turonensium vel pignora summam ipsam valentia et alia pecunia prefata extra dictum regnum per eosdem archiepiscopos juxta prescriptam formam integraliter deponatur si necesse fuerit auctoritate nostra appellationis sublato diffugio compellendo, et nichilominus dicti archiepiscopi in hoc casu episcopos preceptores ac regem prefatos dictosque hujusmodi pecunie detentores premisso modo citare procurent. Ceterum licet pro parte dicti regis peteretur a nobis quod residuum dicte pecunie si quod fuerit regi exhiberi faceremus eidem, quia tamen necessitates que subventionem hujusmodi exigunt ad presens non percepimus imminere, petitioni predicte pro ipso residuo non duximus annuendum sed volumus quod dictum residuum in aliquo vel in aliquibus tutis locis extra predictum regnum cum debita cautela deponant et faciant de depositione hujusmodi confici publica documenta. Si autem quod absit processu temporis necessitates emergerent que hujusmodi petitum residui predicti subsidium necessario postularent, nobis necessitates hujusmodi quid inde senserint et quid in hac parte crediderint magis expediens, diem quoque citationis hujusmodi si ad illam processerint, inquisitionis formam ac modum quem in depositione predicti residui servaverint, quid quantum et ubi per eos deponi contigerit et quicquid in premissis duxerint faciendum, nobis per suas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procurent. Per hec autem vel eorum aliquod non intendimus nos vel cameram nostram aut Romanam ecclesiam aliquatenus obligare, ac nichilominus reservavimus nobis, ut absque alicujus variationis nota in predictis et in premissorum quolibet possimus aliter ordinare, si id ex aliqua causa quam putaremus necessariam videremus forsitan expedire, licet nostre intentionis existat quod exigentibus necessitatibus supradictis super exhibitione petiti subsidii sicut expediet consulatur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus reddita, ut premittitur, coram quatuor vel tribus episcopis aut prelatis aliis seu personis autenticis de decima collecta per te plenarie ratione decimam ipsam, medietate ipsius decime primi anni, quam certis mercatoribus ex certa causa idem predecessor mandavit pro ipsius Terre subsidio exhiberi duntaxat excepta, eisdem archiepiscopis ad requisitionem ipsorum studeas assignare, faciens de assignatione hujusmodi confici publica instrumenta, quid et quantum dederis supradictis et quid inde duxeris faciendum, nobis fideliter rescripturus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis decembris, anno primo. »

200 Saint-Pierre, 24 novembre 1278.

Narbonensi et Arelatensi archiepiscopis injungit quatinus omnem pecuniam decime regni Aragonum integraliter in suis manibus facientes assignari, de omnibus supra dictis diligentius inquirant, et si narrata necessitas tempore assignationis regi facte non urgeret, prefatos episcopos et preceptores et regem ipsum citare procurent. (Fol. 50; an I, n° 196.)

« *Venerabilibus fratribus .. Narbonensi et .. Arelatensi archiepiscopis.* Significavit nobis carissimus —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas decembris, anno primo. »

201 Saint-Pierre, 13 décembre 1278.

Gottifrido preposito ecclesie Soliensis capellano suo indulget ut prepositurام et ecclesiam de Mistelbach licite retinere valeat, donec canonicatum et prebendam Leodiensis ecclesie, que sibi de jure assignari debeant, pacifice fuerit assecutus. (Fol. 50 v°; an I, n° 197.)

« *Dilecto filio Gottifrido preposito ecclesie Soliensis et rectori ecclesie de Mistelbach Salseburgensis et Pactaviensis diocesum capellano nostro.* Quia probitate meritorum, litterarum scientia et virtutum donis redderis in conspectu nostro conspicuus, personam tuam propter hoc et consideratione servitiorum que nobis et ecclesie Romane laudabiliter impendisti et tuis probatis studiis impendere poteris in futurum libenter favoris apostolici gratia prevenimus, digne quidem benemeritos generose respicimus, nam et ipsi dum se honorari perspexerint et alii eorum exemplo ad querenda virtutum studia fortius animantur. Cum itaque nuper cupiens tue providere saluti prepositurام ecclesie Soliensis, et in Mistebach ac in Mikenwe ecclesias curam animarum habentes, Salseburgensis, Pactaviensis et Warmaciensis diocesum, ac Pactaviensis et Sancte Marie Regalis Aquensis Leodiensis diocesis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos tunc obtinebas libere in nostris manibus resignaris, nosque resignationem hujusmodi duxerimus acceptandam et de fructibus inde perceptis erga te salubriter providendum ac tibi de canonicatu, prebenda et personatu vel dignitate Leodiensis ecclesie per nostras litteras sub certa forma provideri mandemus, ne te contingat inte-

rim beneficiis ecclesiasticis remanere totaliter destitutum, quamlibet notam seu maculam si quam ex receptione vel retentione aut perceptione fructuum beneficiorum hujusmodi hactenus contraxisti abolentes de apostolice plenitudine potestatis, devotioni tue ut prepositurام et ecclesiam de Mistelbach predictas quas tibi conferimus licite retinere valeas, donec canonicatum et prebendam predictos ipsius Leodiensis ecclesie fueris pacifice assecutus et hujusmodi personatus vel dignitas in dicta Leodiensi ecclesia vacaverit, que tibi de jure valeat assignari, constitutione contraria non obstante, auctoritate presentium indulgemus. Volentes et tibi de speciali gratia concedentes quod postquam dignitas vel personatus in eadem Leodiensi ecclesia vacaverit, quem vel quam ut predicitur assequi valeas, si illum vel illam receperis, prepositurام et ecclesiam de Mistelbach predictas, vel si alteram prepositure aut ecclesie de Mistelbach predictarum retinere malueris, reliquam et personatum aut dignitatem hujusmodi quos extunc vacare decernimus omnino dimictas et licet pro prepositura et ecclesia de Mistelbach predictis interim quo ad susceptionem ordinum et residentiam faciendam te juris observantie relinquamus. Volumus tamen quod prepositura et ecclesia de Mistelbach prefate, dum sic te illas retinere contigerit et postquam earum alteram, vel personatum aut dignitatem hujusmodi habueris, sicut superius est expressum, ille vel illa debitis obsequiis non fraudetur et prout illius onus requiret ad ordines te facias statutis temporibus promoveri et inibi residentiam personalem. Nulli ergo, etc. nostre abolitionis collationis et concessionis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus decembris, anno primo. »

202 Saint-Pierre, 13 décembre 1278.

Episcopo Monasteriensi mandat quatinus Gottifridum, prepositum ecclesie Soliensis, in ecclesia Leodiensi recipi faciat auctoritate apostolica in canonicum et in fratrem. (Fol. 51; an I, nº 198.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Monasteriensi.* Dum conditiones et merita —. Hec igitur in dilecto filio Gottifrido preposito ecclesie Soliensis capellano nostro et grata servitia que nobis et ecclesie Romane prudenter impendit et sollicitudines ac labores quibus in horum prosecutione se nobis placidum exhibet quibusque utilior nobis et eidem ecclesie poterit apparere diligentius attendentes ac intendentes ei gratiam facere specialem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eundem capellanum vel ejus procuratorem suo nomine per te vel per alium seu alios in ecclesia Leodiensi recipi faciens auctoritate nostra in canonicum et in fratrem, ei de prebenda et personatu vel dignitate ad collationem venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilecti filii capituli Leodiensis communiter vel divisim spectantibus, nulli alii de jure debitis si vacant ad presens vel quam primum eos simul vel divisim vacare contigerit, providere procures, faciens ipsum vel dictum procuratorem pro eo pacifica horum possessione gaudere, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus de certo — seu quod dictus Gottifridus prepositurام ecclesie Soliensis, et in Mistelbach ac in Mikenwe ecclesias curam animarum habentes Salseburgensis, Pactaviensis et Warmaciensis diocesum ac Pactaviensis et beate Marie Regalis Aquensis Leodiensis diocesis ecclesiarum canonicatus et prebendas tenuisse dinoscitur, quos tandem libere in nostris manibus resignavit, et quorum beneficiorum prepositurام et ecclesiam in Mistelbach predictas eidem sub certa forma concessimus per eum licite retinendas, proviso quod hujusmodi dignitas vel personatus debitis obsequiis non fraudetur et animarum cura si qua ei imminet nullatenus negligatur. Nos ergo exnunc decernimus irritum et inane si secus a quoquam extiterit attemptatum. Dat. ut supra. »

203 Saint-Pierre, 13 décembre 1278.

Thome episcopo Herefordensi et priori Predicatorum ac ministro Minorum fratrum ordinum provincialibus Anglie mandat quatinus de petitione magistri Galfridi de Aspale clerici cancellarii regine Anglie, ac de tenoribus litterarum Innocentii quarti et Alexandri quarti, quas amissas asserit ipse magister et quibus quandam dispensationem obtinebat, diligentius inquirant, ac si omnia sincera invenerint, tenores earum in authentica faciant redigi documenta, eandem vim habitura. (Fol. 51; an I, nº 199; Potthast 21498.)

« *Venerabili fratri Thome episcopo Herefordensi et dilecto filio .. priori Predicatorum ac ministro Minorum fratrum ordinum provincialibus Anglie.* Sua nobis dilectus —. Dat. ut supra. »

204 Viterbe, 1er octobre 1278.

Alianore regine Anglie illustri indulget ut altare portatile habere cum debita reverentia valeat, ac in eo per capellanos suos divina officia facere absque juris alieni prejudicio celebrari. (Fol. 51 vº; an I, nº 200.)

« *Carissime in Christo filie Alianore regine Anglie illus-*

tri. Pium arbitramur —. Dat. Viterbii, kalendis octobris, anno primo. »

205 Viterbe, 24 septembre 1278.

Abbati monasterii Compendiensis, Suessionensis diocesis, mandat quatinus abbati S. Dyonisii in Francia, jus ecclesie Romane legitime prosequenti, reddat contra quoscunque cujuscunque ordinis vel dignitatis existant justitie complementum. (Fol. 51 v°; an I, n° 201.)

« .. *abbati monasterii Compendiensis, Suessionensis diocesis.* Sicut accepimus felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster ne jus ecclesie Romane, quod ad eam in monasterio Sancti Dyonisii in Francia ad ipsam nullo medio pertinente ordinis Sancti Benedicti Parisiensis diocesis et ejus membris pertinet, indefensum maneret, dilectum filium M. abbatem ipsius monasterii suum et ipsius ecclesie procuratorem duxit per suas litteras statuendum ut cum adversus ejusdem possessiones et jura non nisi centenaria currat prescriptio, idem abbas vice ipsorum predecessorum et ecclesie procuraret que pro defensione juris hujusmodi forent in judicio procuranda. Mandans nichilominus magistro Johanni de Williaco archidiacono Belvacensi ut eidem abbati jus hujusmodi legitime prosequenti redderet super hoc contra quoscumque cujusvis ordinis, conditionis, status vel dignitatis existerent per viam judicii justitie complementum, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione posposita compescendo. Testes autem etc. usque perhibere. Non obstantibus si eis —. Nos autem ad conservationem jurium ecclesie predicte debita cura commissi nobis officii vigilantes ac cupientes illa prout nobis ex alto permictitur non minui sed augeri, eidem abbati de cujus discretione plenam in Domino fiduciam obtinemus exigendi, petendi et recuperandi jus hujusmodi nostro et ecclesie predicte nomine ac illud in judicio et extra judicium per se vel per alium sicut expedire viderit prosequendi liberam concessimus per nostras litteras potestatem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus eidem abbati jus predictum legitime prosequenti reddas super hoc contra quoscumque cujuscunque ordinis, status vel dignitatis existant etiam per viam judicii si necesse fuerit juxta prescriptam formam non obstantibus omnibus supradictis justitie complementum, diligenter attendens quod in ejusdem ecclesie juribus non nisi centenaria prescriptio de jure percurrat, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione posposita compescendo. Dat. Viterbii, VIII kalendas octobris, anno primo. »

206 Viterbe, 24 septembre 1278.

Matheo abbati monasterii S. Dyonisii in Francia liberam concedit potestatem exigendi, petendi et recuperandi jus ecclesie Romane. (Fol. 51 v°; an I, n° 202; POTTHAST 21453.)

« *Matheo abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti diocesis Parisiensis.* Sicut nuper accepimus —. Nobis nichilominus quod per te inde fieri contigerit fideliter rescripturus ut de negotio ipso et ejus circumstantiis majorem notitiam habeamus. Dat. ut supra. »

207 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem concedit facultatem conferendi tonsuram clericalem et alios minores ordines suis et monasterii S. Dyonisii subditis, de villa S. Dyonisii et locis aliis in quibus ipse et dictum monasterium et nullus alius preter Romanum pontificem jurisdictionem spiritualem et temporalem plenam habet, necnon benedicendi ornamenta ecclesiastica in ecclesiis, capellis et oratoriis ville et locorum ipsorum, « presentibus post quinquennium minime valituris. » (Fol. 51 v°; an I, n° 203.)

« *Eidem.* Religionis suadet honestas —. Dat. Viterbii, X kalendas octobris, anno primo. »

208 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem clericos et laicos ville S. Dyonisii et locorum, in quibus jurisdictionem spiritualem et temporalem ipse et conventus monasterii habent, ab excommunicationis sententia, juxta formam ecclesie, conventus accedente consensu absolvendi. (Fol. 52; an I, n° 204.)

« *Eidem.* Geritur in affectu nostro precipuum ut nostre cooperationis auxilio grata Deo salus proveniat animarum. Lecta siquidem nobis tua petitio continebat quod nonnulli clerici et laici ville Sancti Dionisii et aliorum locorum in quibus jurisdictionem spiritualem et temporalem tu et dilecti filii conventus monasterii tui duntaxat habetis frequenter excedunt in casibus, propter quos sententiam excommunicationis incurrunt, in quibus quidem casibus illi si essent subjecti locorum episcopis ab eis legitime absolutionis beneficium obtinerent. Verum cum eisdem clericis et laicis propter locorum distantiam grave nimis et dispendiosum existat ad apostolicam sedem accedere pro absolutionis munere obtinendo, tu de illorum salute sollicitus humiliter postulabas a nobis ut providere super hoc misericorditer curaremus ne

igitur subditi prefati monasterii et pretextu quod monasterium ipsum exemptionis gaudet privilegio deterioris quam episcoporum subditi conditionis existant. Nos tuis devotis supplicationibus annuentes eos de villa et predictis locis in quibus tu et dictum monasterium et nullus alius preter Romanum pontificem jurisdictionem tam spiritualem quam temporalem plenam habetis, quotiens in premissis casibus inciderent et ad te duxerint humiliter recurrendum, conventus ejusdem ad hoc accedente consensu, ab hujusmodi excommunicationis sententia juxta formam ecclesie absolvendi liberam auctoritate presentium tibi concedimus facultatem, injuncto eis quod de jure fuerit injungendum, proviso attentius quod ipsi passis dampna et injuriam satisfaciant competenter, et tu eos quorum fuerit gravis et enormis excessus mictas ad sedem apostolicam absolvendos, presentibus post quinquennium minime valituris. Dat. ut supra. »

209 Saint-Pierre, 9 décembre 1278.

Archiepiscopo Turonensi et episcopo Trecorensi mandat quatinus de petitione nobilis viri Ivonis de Lannuion et nobilis mulieris Adelitie uxoris ejus diligentius inquirentes, si hoc expedire videant, cum eisdem auctoritate apostolica dispensare ac prolem ipsorum nuntiare legitimam procurent. (Fol. 52; an I, n° 205.)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Turonensi et .. episcopo Trecorensi.* Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri Ivonis de Lannuion et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Adelitie uxoris ejus Trecorensis diocesis petitio continebat quod cum dudum inter ipsorum consanguineos et amicos graves discordie ac guerrarum discrimina excrevissent, ex quibus utrimque homicidia et alia personarum et rerum discrimina provenerunt, ad sedanda discrimina et discordias hujusmodi predicti Ivo et Adelitia relicta quondam Henrici dicti Charuel armigeri tunc vidua fuerunt invicem matrimonialiter copulati et iidem I. et A. prolem postmodum procrearunt. Unde cum dictus Henricus eidem Ivoni in quarto consanguinitatis gradu attinuisse dicatur, prefati Ivo et Adelitia habentes exinde conscientias remordentes et quod ex separatione hujusmodi matrimonii inter eos contracti si fieret in partibus illis multa homicidia et scandala provenirent, humiliter petebant a nobis ut animarum et corporum imminentibus inde periculis occurrentes cum eis quod non obstante hujusmodi consanguinitatis gradu in matrimonio ipso licite remanere valeant dispensare, ac prolem susceptam et suscipiendam facere nuntiari legitimam misericorditer curaremus. Quia vero vos de facto et facti circumstantiis habere poteritis notitiam pleniorem, fraternitati vestre presentium auctoritate committimus quatinus de hiis per vos vel alios viros probatos et industrios ac Deum timentes diligentius inquirentes si premissa vera sint et timeatur de periculis que narrantur, vosque secundum Deum hoc expedire videritis super quibus omnibus ac etiam super electione personarum quibus inquisitionem hujusmodi commiseritis vestras intendimus conscientias onerare, cum eisdem Ivone et Adelitia consentientibus ad invicem matrimonialiter vivere et secum super hoc petentibus dispensari, imposita eis penitentia salutari per vos duntaxat et non per alios super premissis auctoritate nostra dispensare ac prolem predictam nuntiare legitimam procuretis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus decembris, anno primo. »

210 Saint-Pierre, 22 décembre 1278.

Matheo abbati S. Dyonisii in Francia diversa mandat de quibusdam monachis qui pro violenta injectione manuum in se ipsos aliosque excommunicati fuerunt, et quorum nonnulli divina officia celebrarunt. (Fol. 52; an I, n° 206.)

« *Matheo abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Parisiensis diocesis.* Significasti nobis quod nonnulli monasterii tui monachi et conversi pro violenta injectione manuum in se ipsos aliosque religiosos seu clericos seculares tibi spiritualiter et temporaliter et nulli alii preter quam nobis subditos et quidam pro detentione proprii alii pro denegata tibi et predecessoribus tuis obedientia, seu conspirationis offensa sunt hactenus excommunicationis sententia innodati, quorum monachorum quidam divina celebrarunt officia et receperunt ordines sic ligati. Quare super hiis eorum providere saluti a nobis humiliter postulasti. De tua itaque circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut eosdem excommunicatos a canone vel per tuam vel predecessorum tuorum sententiam absolvas ac vice ab hujusmodi excommunicationum sententiis juxta formam ecclesie vice nostra, injungentes eis quod de jure fuerit injungendum, proviso ut manuum injunctores quorum fuerit gravis et enormis excessus mictas ad sedem apostolicam absolvendos. Cum illis autem ex eisdem monachis qui facti immemores vel juris ignari absolutionis beneficio non obtento receperunt ordines sic ligati et divina officia celebrarunt, injuncta eis pro modo culpe penitentia competenti eaque peracta liceat tibi de misericordia que

super exaltat judicio prout eorum saluti expedire videris hac vice tantummodo dispensare. Si vero prefati monachi hactenus excommunicati scienter non tamen in contemptum clavium divina hujusmodi celebrarunt, eis per biennium ab ordinum executione suspensis et imposita ipsis penitentia salutari eos postmodum si fuerint bone conversationis et vite ad gratiam dispensationis hac vice duntaxat admictas, proprium autem si quod habent dicti monachi et conversi facias in tuis manibus assignari in utilitate dicti monasterii convertendum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XI kalendas januarii, anno primo. »

211 Saint-Pierre, 18 décembre 1278.

Cum Rodolfo subdiacono canonico ecclesie S. Martini Mindensis dispensat quod canonicatum et prebendam in ipsa ecclesia licite retinere valeat, non obstante omissione que in dispensatione, quam antea habuit pro defectu natalium, extitit. (Fol. 52 v°; an I, n° 207.)

« *Rodolfo subdiacono canonico ecclesie Sancti Martini Mindensis.* Constitutus in presentia nostra nobis reverenter exponere curavisti quod cum dudum auctoritate litterarum sedis apostolice defectu natalium quem pateris, de diacono genitus et soluta, tecum dispensatum fuisset quod tu in minoribus tunc ordinibus constitutus posses ad omnes ordines promoveri et obtinere beneficium ecclesiasticum curam habens etiam animarum prout littere dispensationis hujusmodi cum eisdem litteris apostolicis nobis exhibite continebant, tandem in ecclesia Sancti Martini Mindensis canonicatum et prebendam canonice assecutus ad ordinem subdiaconatus fuisse promotus ac in eodem ordine ministrasti. Verum licet in supradictis litteris apostolicis quod dictus pater tuus erat diaconus fuisset expressum, quia tamen quod prepositus et canonicus esset tempore quo te genuit cujusdam ecclesie secularis fuit in illis negligenter omissum, tu metuens ne propter hoc super dispensatione premissa aliqua calumpnia inferatur, humiliter et instanter petebas a nobis ut subvenire tibi super hoc de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque tuis devotis supplicationibus favorabiliter annuentes ac defectum si quis ex hujusmodi omissione tam in dispensatione premissa quam in supradictis litteris apostolicis forsitan extitit supplentes de apostolice plenitudine potestatis, tecum quod canonicatum et prebendam predictos cum omnibus juribus et pertinentiis suis, hujusmodi defectu nequaquam obstante, dummodo illos alias canonice sis adeptus licite ac libere valeas retinere ad cautelam auctoritate apostolica dispensamus. Volumus autem quod prout onus hujusmodi prebende exigit te facias statutis temporibus ad superiores ordines promoveri et personaliter resideas in ecclesia memorata. Nulli ergo etc. nostre suppletionis et dispensationis etc. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XV kalendas januarii, anno primo. »

212 Saint-Pierre, 16 décembre 1278.

S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato mandat quatinus de omnibus circumstantiis rixe, qua Johannes de Brecis subdiaconus quemdam Robertum graviter vulneravit, qui postea mortuus est, diligentius inquisita veritate, si ea omnia invenerit esse ut narrantur, denuntiet predictum Johannem non teneri quin ad superiores ordines promoveri et beneficia obtinere libere valeat. (Fol. 52 v°; an I, n° 208.)

« *S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Accedens ad presentiam nostram Johannes de Brecis subdiaconus, Laudunensis et Autisiodorensis canonicus, nobis exposuit quod cum ipse qui tunc Parisiis disciplinis scolasticis insistebat, dum per civitatem Parisiensem una cum quodam socio suo spatiando pergens ante domum quondam Roberti dicti Normanni clerici transitum faceret, idem R. contra ipsos se evaginare gladium simulavit ac asserens quod id ludens fecerat, eos suos esse socios extimando super hoc petiit veniam ab eisdem, qui respondentes dixerunt quod ei offensam hujusmodi dimictebant, et quod alias talia non temptaret, dictus vero R. temere asseruit quod pro eis non dimicteret quin hoc et pejus faceret contra ipsos. Verum Johannes et socius ejus prefati de verbis hujusmodi non curantes prosequendo iter suum ad domum ejusdem socii accesserunt. Cumque postmodum dictus Johannes eodem socio in domo ipsa dimisso una cum famulo ejusdem socii ad propriam domum rediret, dictus R. cui prefatus Johannes non credebat aliquatenus obviare associatis sibi quibusdam ejus in hac parte complicibus eundem Johannem per brachium capiens violenter, se velle ipsum interficere comminando, eum erepto ab eodem brachio de ipsius manibus usque ad domum suam evaginato extitit gladio consecutus, set cum idem Johannes eandem domum suam vellet taliter fugatus intrare, quidam ejus famulus attulit ei ensem, ut se ab R. defenderet memorato. Eodem autem Johanne dictum ensem ut vim vi repelleret exerente, dictus R. cum predicto gladio quem ut predicitur evaginatum ferebat ipsum Johannem graviter percussit in capite. Sed idem Johannes, qui propter ictum hujusmodi ad terram ceciderat, surgens cum eodem ense non animo eum

occidendi sed ut se a sevitia ejus defenderet sibi quoddam vulnus in brachio intulit non letale. Et postmodum dictus R. se tantum prorsus fuisse culpabilem recognoscens, et quod dictus J. eum ut premictitur non letaliter vulnerarat pacem sibi reddidit, omnem offensam quam in hoc sibi intulerat remictendo, ita quod idem Johannes a te super hiis absolutionem meruisse dicitur obtinere. Demum vero dictus R. qui credebatur tam a cyrurgicis quam ab aliis etiam ab hujusmodi vulnere quod ut superius exprimitur letale non fuerat liberatus, dum brachium ubi percussus extiterat de manibus cujusdam famuli sui brachium ipsum de temerario mandato ejusdem R. viriliter astringentis per vim extrahere niteretur, plage jam fere totaliter solidate emanante inde non modica quantitate sanguinis vulnus suscepisse asseritur recidivum, et dictus R. supereminentem febrem etiam incurrisse, sicque tum ob hoc tum etiam propter aliam ipsius incuriam post quinque ebdomedas diem clausit extremum. Quare dictus Johannes nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc misericorditer curaremus. Cum igitur de facto et facti circumstantiis tu habere possis notitiam pleniorem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus de predictis et aliis que circa hoc attendenda videris inquisita diligentius veritate ipsaque plena et fideli examinatione discussa, si ea omnia inveneris esse ut narrantur aliudque canonicum non obsistat, predictum Johannem quin in eisdem ministrare ordinibus ad superiores promoveri et hujusmodi beneficia obtinere libere valeat ob premissa denunties non teneri, faciens hec in ecclesiis in quibus dictus Johannes beneficiatus existit ac aliis locis in quibus expedire videris publicari. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XVII kalendas januarii, anno primo. »

213 Saint-Pierre, 23 décembre 1278.

Ecclesie Cartaginensi jam diu vacanti Didacum, tunc archidiaconum de Cerrato in ecclesia Palentina, in episcopum preficit. (Fol. 53; an I, nº 209.)

« *Dilecto filio Didaco electo Cartaginensi.* Licet continuata supervenientium —. Sane dudum Cartaginensis ecclesia per obitum bone memorie P. Cartaginensis episcopi pastoris solatio destitutá, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie Garsiam Martini decanum ecclesie predicte in Cartaginensem episcopum unanimiter et concorditer elegerant, sed eodem decano confirmationem electionis hujusmodi petere infra tempus super hoc diffinitum a canone omittente, felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster de forma electionis ejusdem et electi meritis certificari proponens, per suas sub certa forma litteras decanum citari fecit eundem, ut infra certum terminum personaliter apostolico se conspectui presentaret, qui licet in termino vel post non comparuerit tamen dilectum filium Johannem Antonii canonicum ejusdem ecclesie ad sedem apostolicam destinavit, qui habens ab eodem decano ad hoc plenum et speciale mandatum, omne jus quod prefato decano ex electione hujusmodi competebat libere in nostris manibus resignavit. Nos autem hujusmodi resignatione recepta paterna volentes sollicitudine precavere ne ipsa ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurrat et ad personam tuam — te tunc archidiaconum de Cerrato in ecclesia Palentina predicte Cartaginensi ecclesia de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum preficimus et pastorem, administrationem ejusdem Cartaginensis ecclesie tibi spiritualiter et temporaliter plenarie commictentes. Quocirca discretione tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, X kalendas januarii, anno primo. »

In eundem modum capitulo Cartaginensi.
In e. m. clero civitatis et diocesis Cartaginensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Cartaginensis.
In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Castelle ac Legionis illustri. Dat. ut supra.

214 Saint-Pierre, 24 décembre 1278.

Episcopum Gadicensem, fratrum Minorum ordinis professorem, ad Egitaniensem ecclesiam, per mortem Gualasci episcopi, qui apud S. Sedem diem clausit extremum, vacantem, transfert. (Fol. 53 vº; an I, nº 210; POTTHAST 21503.)

« *Venerabili fratri episcopo Egitaniensi.* In dispensatione ministeriorum —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kalendas januarii, anno primo. »

In eundem modum .. decano et capitulo Egitaniensis ecclesie.
In e. m. clero Egitaniensis civitatis et diocesis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Egitaniensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Egitaniensis.

215 Saint-Pierre, 5 février 1278.

Magistris Oliverio decano et Johanni dicto Romano cancellario ecclesie Lincolniensis ac fratri Nicolao de Burser custodi fratrum Minorum Eboracensium mandat quatinus in ecclesia

Eboracensi canonicatum et prebendam, quos olim obtinebat et donationi sue reservavit, alicui viro idoneo de civitate vel diocesi aut provincia Eboracensi, vel de regno Anglie, in eadem ecclesia personaliter residenti, conferre et assignare curent. (Fol. 59 ; an I, supplément n° 1 ; Potthast 21268)

« *Magistris Oliverio decano et Johanni dicto Romano cancellario ecclesie Lincolniensis ac fratri Nicolao de Burser custodi fratrum Minorum Eboracensium.* Infra claustrum nostri —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis februarii, anno primo. »

216 Saint-Pierre, 5 février 1278.

Idem mandat S. tituli S. Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato pro beneficio quod obtinebat in ecclesia Suessionensi. (Fol. 59 v°; an I, suppl. n° 2.)

« *S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Infra claustrum nostri pectoris grata commemoratione revolvimus quod Suessionensis ecclesia etc. ut in proxima superiori verbis competenter mutatis usque aliquem virum ydoneum de civitate vel diocesi Suessionensi aut saltem de regno Francie litteratum et industrium etc. usque intimare procures. Dat. ut supra. »

217 Saint-Pierre, 5 février 1278.

Idem mandat eidem pro beneficio quod obtinebat in ecclesia Laudunensi. (Fol. 59 v°; an I, suppl. n° 3.)

« *Eidem.* Infra claustrum nostri pectoris grata commemoratione revolvimus quod Laudunensis ecclesia etc. ut in alia usque virum ydoneum de partibus Laudunensi civitati vicinis vel saltem de regno Francie litteratum etc. usque intimare procures. Dat. ut supra. »

218 Saint-Pierre, 23 janvier 1278.

P. archidiacono Panormitano mandat quatinus de petitione Petri Menendi presbiteri, cujus receptio in portionarium ecclesie Ovetensis ab episcopo annullata fuit, diligenter inquirens, si eum idoneum esse repererit, in predicta ecclesia auctoritate apostolica recipi faciat in portionarium et in fratrem, et ei de portione providere procuret. (Fol. 59 v°; an I, suppl. n° 4.)

« *P. archidiacono Panormitano.* Dilectus filius Petrus Menendi presbiter, rector ecclesie Sancti Tyrsi Ovetensis in nostra proposuit presentia constitutus quod licet ipse olim in Ovetensi ecclesia, in qua receptio portionariorum et collatio portionum ad episcopum qui est pro tempore et capitulum Ovetense pertinere dicitur, receptus in portionarium et in fratrem a dilectis filiis magistro Alvaro qui pro Ovetensi habebatur electo et capitulo ipso fuisset ac portionem tunc vacantem ibidem ab illis sibi collatam per sex menses vel circiter pacifice possedisset, venerabilis tamen frater noster F. Ovetensis episcopus, qui medio tempore fuit auctoritate apostolica in ecclesia ipsa prefectus, electione prefati magistri Alvari eadem auctoritate cassata, receptionem suam et provisionem sibi factam de prefata portione, non persone vel alio suo vitio, sed quia facte fuerant tempore quo idem magister Alvarus eidem ecclesie presidebat auctoritate sicut dicitur simili annullavit, ipsum a portione ipsius ecclesie amovendo. Sed postmodum idem episcopus super hoc dicto Petro compatiens ipsum in capellanum et commensalem suum admisit, et tandem voluit ut veniret ad sedem apostolicam ejus in hac parte gratiam obtenturus recommendando eum per suas litteras quibusdam amicis suis de curia ut ipsum in hac parte ejus intuitu adjuvarent; quare dictus Petrus nobis humiliter supplicavit ut sibi provideri de portione in dicta ecclesia Ovetensi de benignitate solita sedis apostolice mandaremus. Quia igitur de vita et moribus ipsius Petri plenam notitiam non habemus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus super hiis sollerter inquirens, si eum vite et moribus ydoneum esse repereris et aliquod canonicum non obsistat, ipsum in predicta ecclesia Ovetensi recipi faciens auctoritate nostra per te vel per alium aut alios in portionarium et in fratrem ei de portione si vacat ibidem ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas providere procures. Non obstantibus contrariis consuetudinibus vel statutis, seu certo ejusdem ecclesie Ovetensis portionariorum numero — seu quod idem Petrus ecclesiam Sancti Tyrsi Ovetensis curam animarum habentem et in Ovetensi quosdam redditus ecclesiasticos sine cura dinoscitur obtinere, quorum omnium proventus valorem annuum quatuor marcarum argenti et dimidie prout asserit non excedunt. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Volumus autem quod idem Petrus, postquam portionem predictam fuerit pacifice assecutus et fructus perceperit ex eadem, predictam ecclesiam Sancti Tyrsi quam extunc eo ipso vacare decernimus omnino dimittat. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas februarii, anno primo. »

219 Saint-Pierre, 14 mai 1278.

Magistro Johanni archidiaconatum Santaranensem in eccle-

sia Ulixbonensi, quem sedes apostolica sibi reservavit, cum juribus et pertinentiis conferit. (Fol. 61; an I, suppl., nº 5.)

« *Magistro Johanni archidiacono Santaranensi in ecclesia Ulixbonensi.* Adjutos morum et scientie meritis digne prosequimur dono gratie congruentis, ut dum votiva perceptione bonorum perspexerint se fecundos virtutum adjectione continua se reddere gaudeant insignitos. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod vacante olim archidiaconatu Santaranensi in ecclesia Ulixbonensi per mortem Vincentii Johannis archidiaconi Santaranensis in predicta ecclesia qui in partibus illis debitum nature persolvit, felicis recordationis Johannes papa XXI predecessor noster archidiaconatum predictum donationi sue sicut referente venerabili fratre nostro .. episcopo Ulixbonensi accepimus reservavit. Cum igitur archidiaconatus predictus occasione reservationis hujusmodi adhuc vacare noscatur, nos attendentes tue merita probitatis, super quibus laudabile tibi testimonium perhibetur, ac volentes tibi propter hoc et ob memoriam quondam fratris Dominici de ordine Minorum apostolice sedis penitentiarii cujus nepos fuisti gratiam facere specialem, archidiaconatum predictum cum juribus et pertinentiis suis sic vacantes apostolica tibi auctoritate conferimus et providemus etiam de eodem. Decernentes irritum et inane si secus de archidiaconatu, juribus et pertinentiis predictis quavis auctoritate a quoquam contigerit attemptari. Non obstantibus aliquibus —. Volumus tamen quod postquam archidiaconatum predictum fueris pacifice assecutus et fructus perceperis ex eodem, magisterium scolarum quod obtines in predicta ecclesia et quod extunc vacare decernimus omnino dimittas. Nulli ergo nostre collationis provisionis et constitutionis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II idus maii, anno primo. »

In eundem modum *archidiacono de Barroso in ecclesia Bracharensi.* « Adjutos morum etc., ut in alia verbis competenter mutatis usque omnino dimittat. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus per te vel per alium aut alios eundem magistrum Johannem vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem predicti archidiaconatus ac jurium et pertinentiarum ejus inducas et defendas inductum, amoto ab eis quolibet detentore, faciens ipsum vel dictum procuratorem pro eo in archidiaconatum Santaranensem admitti ac sibi de ipsius archidiaconatus juribus et proventibus ac obventionibus universis plenarie responderi. Non obstantibus supradictis —. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. ut supra. »

FIN DES LETTRES COMMUNES DE LA PREMIÈRE ANNÉE.

INCIPIT REGESTRUM LICTERARUM CURIE PRIMI ANNI

DOMINI NICOLAI PAPE TERTII

220 Sans date.

Michael Paleologus imperator pontifici Romano de negotio unionis Grecorum et Latinorum, et de felici adventu nuntiorum Romanorum scribit; ei commendat nuntios quos pro eodem perficiendo Romam mittit. (Fol. 40; an I, Curiales, nº 1.)

« *Iste littere misse fuerunt sede vacante per mortem domini Johannis pape XXI.* Sanctissimo et beatissimo primo et summo pontifici apostolice sedis veteris Rome universali pape, communi patri omnium christianorum, et reverentissimo patri nostri imperii domino .. Michael in Christo Deo fidelis imperator et moderator Romeorum, Ducas, Angelus, Comninus, Paleologus, specialis filius magne sanctitatis vestre convenientem reverentiam cum sincera et pura affectione ac orationum postulationem. Summe supereminentie apostolice sanctitatis cui fidelis quilibet in Christo subesse non debet ambigere, spe certa et fide preclara, me totum confidenter exponens illius imperio, cui servire perpetuo est regnare, non sustinui Deum testor dies et annos meos in vacuum consumare, sed tanto provide adjeci studia studiis et vigilias continuis laboribus addidi, ut acceptabile opus orthodoxe fidei germinatum in Domino vivifice progrediens adoptata beatum finem susciperet gloriose divino lumine illustratum quanto ut luminare majus preesset hesitantibus, et veluti accensa candelabra in toto universalis ecclesie catholice corpore radiaret, ac in remissione peccatorum meorum et laudum obsequio Deo glorioso hujusmodi dignum fieret et acceptum. O felis etas tanti boni Dei desiderati operis commemoratione dignissima et per totum alacritate nimia refectiva, in qua destructo totaliter et de medio christianorum abjecto penitus discensionis scismate, quod inter ecclesiam orthodoxam et populum quem sibi Dominus noster Jhesus Christus adoptavit ut suum, Grecum scilicet et Latinum, tot diffusis temporibus viguit suggestione humani generis inimici, qui de nostra immortalitate condolens nostri primi parentis seductione dira eam incauta mortalitatis transgressione peremit in evidentem christianorum pernitiem et jacturam. Nunc disponente altissimo multa sollertia et sollicitudine ipsius vere fidei totalis ydemptitatis integritas ad matrem catholicam et apostolicam sacrosanctam Romanam ecclesiam omnium christianorum dominam et magistram et ad patrem verum ipsius ecclesie summum pontificem universalem omnium christianorum rectorem et doctorem catholice veritatis Christi Dei nostri in terris vicarium et beatorum Petri et Pauli apostolorum principum successorem residet opulenta dignitate, benignitate nominis, virtutis gratia et honoris gloria coronata. Et licet, pie pater, predecessoris vestre tempore sanctitatis illius videlicet bone memorie domini pape G. reverentissimi patris mei, quem propterea specialiter pre aliis bonis in Domino firmiter vivere credo, tantus eum zelus reuniende Dei ecclesie ac christianorum pacis continue comedebat, hujuscemodi operis laudanda primordia fuissent indulta in generali concilio apud Lugdunum prospere hactenus celebrato, tamen gloriosa sollempnitas totalis perfectionis ipsius vestre sanctitatis pro patrocinio extitit divinitus conservata in posterum moderamine vestri gloriosi apostolatus,

qui pre ceteris preexcellit, indissolubili caritatis vinculo in perpetuum roboranda. Cujus gratia singolare comodum, quod incomparabile proinde adjacet ad omnium beneficia diffunditur sine diffidentia qualibet, cum sint dulcissima que per gratiam Sancti Spiritus cujus res agitur benigniter largiuntur. Digne itaque ad me pridem apostolice sanctitatis nuntii viri religiosissimi, virtute morum et gratiarum scientia decorati, videlicet dominus Jacobus Ferentinus et dominus Gaufridus Taurinensis episcopi, et de sacro ordine Predicatorum frater Raynonus prior conventus Viterbii et frater Salvus lector Lucanus magis quam potest exprimi alacriter pervenerunt vestriis piis orationibus prosperati eo potissime, quia mensam dominici convivii et festivam mundis paratibus refectivis ferculis satiatam et amenis odoribus reperientes ornatam nichil omissis de contingentibus in hiis que fore utilia videbantur, prout creator omnium Deus benigne dispensaverat ab excelso, qui finem malis imponens servos quos invenit in caritate manere invitat et preparat eis cibum non solum angelorum panem sed se ipsum, qui ait : qui manducat me ipse vivit, propter me affectatas satis quondam magnifice ac reverentissime summe apostolice sanctitatis predecessoris vestri litteras meis propriis manibus assignarunt, quibus filiali reverentia receptis et devotissime osculatis, ac diligentissime intellectis que ordo narrationis ipsarum detexerat ac hiis que ipsorum nuntiorum grata insinuatio continebat, in illo magno salutis gaudio meus animus fuit repletus, qui pro nobis et salute nostra veram carnem humanitatis assumpsit, genitus Deus homo de utero virginali, et inde multiplicium congaudiorum genere hylaratus, nomen Domini benedixi qui meam indigentiam multis circumventam afflictionibus et suspiriis, quia videbatur quo ad sacrosanctam Romanam ecclesiam prodolor ex subito defectu pastorum unitatis ecclesiarum Dei opus refrigescere quoquo modo, divina gratia subito satiavit et refecit suspiria, et merores ad gaudia infinita convertit, intellecto per ipsos veratius qualiter sanctitas predecessoris vestri disponente Domino conscendat ad pontificalis specula dignitatis, nec minus sinceros affectus quos ad sepe dictum Dei opus de bono in melius promovendum ejusdem sanctitas corde ac animo pure gerebat, quod de benignitate sanctitatis vestre in Domino suscipere confidimus et speramus, effecti Dei vicarii et apostolorum principum successorem. Ego autem tantis Christi donariis ubere ditatus exilaranter in opere spem firmavi in quo jam multa inquisitione ac studio prophetarum, apostolorum ac sanctorum patrum manifestissima documenta sollerter apposueram fundamentum, quod nemo potest ponere aliud nisi Dominus Jhesus Christus qui patrie superne Jerusalem est via, veritas et vita, ut inhabitantes in ea cohabitetur in eodem, quorum efficitur causa mercedis qui per hanc viam ingressi sunt in veritate quibus vita vivere promittitur sine fine. Nimirum ergo si allectus tam dulcissimis repromissionibus ad ipsorum consortium revocem partem meam beatorum exemplo, qui pro eterna patria commutarunt terrena, super quo quid aliud existimare oportet nisi resurrectionem Christi a mortuis, ut vitalis intellectus qui latebat prodiret, et remotis aliis fratrum contentionibus et animarum pressuris, pax vigeret, amor cresceret, et quasi cujusdam floris species scripture monumento prodeuntes, ovile dominicum impleretur in vera fidei unitate, ac una columba scilicet catholica et apostolica ecclesia, rota prima que major apparuit super terram et unus agnus qui peccata mundi absolvit, ejus in terris vicarius pastor gregis universaliter venerentur, propter quod quam bonum est et quam secundum habitare fratres in unum satis os propheticum representat. Ut autem immutatio hujusmodi ex celi dextere sanctitatis vestre piis intercessionibus super angularem lapidem, qui eterne legis dominio cuncta regit, in montibus fundata sanctissimis clareat in eternum, et in sancta sanctorum nove structure Jerusalem que civitas eterne patrie super augeatur et crescat, et in atriis ejus stantes pedes mei reperiantur ab humanis insultibus et pressuris me totaliter absoluto, ut queque grata ipsius divini operis proficerent et in hiis fidei mee sinceritas in caritate vigeret, meus mea in rebus congruis intentior fuit, cura propensior, voluntas pronior, devotio clarior, sed exhibitio operum efficacior, ut studium perfecte consolationis mee in omnibus efficacius haberetur, cum eisdem venerabilibus nuntiis supereminentis apostolice sanctitatis tractatum extitit, et Deo coadjuvante completum quicquid negotii executio postulabat, et eisdem a sanctitate apostolica specialiter fuit injunctum roborans et confirmans diversis litteris et scripturis omnia et singula que de catholica fide sacrosancta Romana ecclesia tenet, docet et predicat, que simili modo etiam per primogenitum meum imperatorem Grecorum et aliarum gentium que subdite sunt imperio meo Constantinopolitano devotum filium vestre apostolice sanctitatis, qui una mecum ad hoc opus viriliter laboravit, instructus benedictione vestra secundum quantitatem sui temporis in divinis operibus et salutaribus animarum et pacis. Venerabilem quidem dominum patriarcham et per ceteros prelatos Orientalis ecclesie qui una nobiscum in unitate Spiritus convenerunt, sancte Romane ecclesia ac ejusdem pontificis recognoscentes primatum et sibi debere debitam reverentiam et honorem, et certa que in ipsis apertius

continentur sunt vallata et etiam roborata propriis subscriptionibus et sigillis, prout misericordia superni judicis qui cuncta in equitate disponit salubriter dispensavit et obturavit ora obloquentium inania et mendacia que odit Dominus et detestatur. Qui non verebantur se timore divino contra tantum bonum opponere nec investigare iniqua, nec etiam in hujusmodi operis segete quam Dominus coluit discordie semina spargere in christianorum contumeliam et eorum animarum dampnationem eternam, cetera vero tam ipsis venerabilibus nuntiis, de ipsorum religiositate ac probitate confisus, ac meis nuntiis quos confidenter cum eisdem transmitto ad presentiam vestre apostolice sanctitatis, videlicet sacratissimo metropolite Kisicensi Ypertimo, et exarcho totius Elisponti Theodoro quartam sedem in concilio obtinenti, honorabilissimo scriniario sancte ecclesie Constantinopolitane, et archidiacono imperialis cleri Constantinopolitani Melitimota et honorabilissimo archidiacono ceteri imperialis cleri et epitendesion ejusdem sancte Constantinopolitane ecclesie Georgio Methocite et de secretis familiaribus et secretis camere nostre Angelo Johanni ac Andronico Masgodo fidelibus imperii nostri verbo suggerenda commisi ac exponenda perspicaciter auribus vestre magnifice sanctitatis, instructis de omnibus plenarie prout ipsi presentialiter pertractarunt et oculis inspexerunt universaliter singula et singulariter universa. Quibus in hiis fidem plenariam dignetur Dei intuitu vestra pia sanctitas adhibere ac inde Deo auctore illa perficere et ad loculentiam divini operis publicationem complere, per que non sub modio ejusdem luminis claritas, suggerentibus forsitan supradictis iniquitatis filiis, qui in unione tante prosperitatis quam divina potentia salutari presidio misericorditer introduxit in contemptum aliquatenus reponatur, sed tanto majora luminaria vestre sanctitatis studio ad universalem notitiam consurgant in mundo, quanto inde major concrescit letitia in corda fidelium qui pura conscientia Deum vident, que attendenda sunt pater sanctissime a vestra pia benignitate omnino, cui oves Christi pascere ab ipso Domino sunt commisse vice beati Petri apostoli cujus vicem geritis, cui ter precepit Dominus pasce oves meas. Reddatur igitur in hiis creatorum omnium ab ympnidicis angelorum choris gloria in excelsis, et ab universis christianis orthodoxis de terra actio gratiarum, quoniam qui retrohactis temporibus multa meroris vulnera pertulerunt nunc universalis consolationis invenerunt fomenta. Unde necesse est omnipotentis Dei misericordiam exorare obnixius, ut cor vestre sanctitatis et vestrorum fratrum sua semper dextera teneat vestrasque cogitationes et actus ad firmitatem divini operis supradicti celestis gratie ope dispenset, quatinus tranquillitas vestra tanto rectius valeat Deo servientes protegere quanto dominatori omnium noverit verius deservire, ac in amore catholice fidei defensores suos faciat, quos fecit ex benignopere (*sic*) imperare, zelum simul et mansuetudinem in mentibus eorum infundat, ut pio semper fervore valeatis quicquid in Deo exciditur emendare. Omnipotentis Dei misericordia largior sanctitati vestre concedat ut quo longius vita vestre sanctitatis extenditur, ipsa orthodoxia fidei et meorum laborum consolatio validius in Domino roborentur. Ceterum me divina potentia imperatorem et eundem karissimum primogenitum meum Dei gratia imperatorem, omnes nostros filios et alios nobis propinquos speciali affinitate, necnon et omnem sortem nobis largitam a Deo vestris sanctis orationibus recomendo, supplicans humiliter quatinus semper mei et ipsorum memores existentes in vestris ad Deum persuasionibus et deprecationibus me ac ipsos paternali gratia protegatis. »

221 Sans date.

Andronicus, Michaelis filius, de negotio unionis pontifici Romano scribit, et zelum suum pro causa Ecclesie unitatis exprimit. (Fol. 64; an I, Curiales, nº 2.)

« *Iste littere fuerunt misse sede vacante per mortem domini Johannis pape XXI.* Sanctissimo et beatissimo primo et summo pontifici apostolice sedis veteris Rome comuni patri omnium christianorum et reverentissimo patri nostro domino .. Andronicus in Christo Deo fidelis imperator et moderator Romeorum Ducas, Angelus, Comnenus, Paleologus, devotus filius vestre sanctitatis convenientem reverentiam cum sincera et pura affectione ac orationum postulationem. Que fides queve devotionis integritas ob honorem et obedientiam sacrosancte Romane ecclesie matris mee ac ejusdem pontificis summe apostolice sanctitatis me sollicitaverit hactenus excellentissimo genitori et donatori meo Dei gratia imperatori Romeorum adesse continue ad exequendum opus divinum unitatis scilicet ecclesiarum et christianorum pacis reformationis ardentibus desideriis et studiis curiosis jam divina misericordia operante patent ex opere nec minus effectus ipsorum meam devotionem et sollicitudinem debitam representat non sub medio sed omnibus qui habitant in domo Domini manifeste. Delectabatur in hiis, novit Altissimus qui est hujusmodi operis stabilitatis perpetue fundamentum, sine quo nil proficiunt operarii et sine ipso factum est nichil, ultra quod potest exprimi mee juventutis affectus, pretermissis omnibus sollicitationibus ad quas multotiens etatis mee conversatio ap-

plausiva conabatur attrahere. Sed zelus domus Domini me adeo comedebat, quod ad cor non descendebat alicujus voluptatis affectus, quam senilis dispositionis providentia et premeditatione matura subpeditans ad ipsum opus totaliter aspirabam et factus sollicitudinis zelator continuus studendo, perquirendo et vigilando et audiendo sanctorum patrum volumina Dei presidio de necessitate virtutem assumpsi, nunc suadens supradictum donatorem et genitorem meum, nunc ostendens secundum cogitationem et gratiam michi concessam a Deo, a quo cognovi operis complementum, quod bona que de perfectione ipsa proveniebant erant sibi principaliter michi et ceteris genitis ejus inexpugnabilis exercitus, gloriosum preconium, vita perpetua, pretiosa hereditas et gloriosa memoria super terram, requies consanguineis et ceteris fidelibus imperii sui pacem et ubertatis tempus que sunt regnantis excellentia et pretiosa commoditas dum propterea cives et populos habet laudantes, preter illa mansura premia que a Creatore omnium eternaliter pollicentur etsi quandoque quod anxie dicimus oportebat me necessario ab opere presentialiter dividere ipsum opus protectioni Altissimi studiis exquisitioribus continuis mei excellentissimi donatoris et genitoris predicti qui ad hoc Dei beneplacito suum involaverat corpus et animam nec ad alia ex aliquorum varietatum incursu temporalium, quantumcumque sua presentia indigeret, suum animum convertebat. Tamen ferebar ad arma consurgere, turmas belli instruere ac armata manu pro defensione christiani generis ad cujus servitium misericordia divina concessit me benigniter imperare potenter insistere, pugnare pro patria, que prohdolor continuis insultibus ab impiis lacessitur et ad reprimendum Turcorum impetum et multimodum presumptionem ipsorum christianorum acies dirigere in eos ac ipsos Dei presidio in propria expugnare ac de eorum confiniis ejicere quibus christianorum imperio minantur, et infra terras ipsorum victoriose glorificans nomen Christi ubi predicti scelerati fatua doctrina blasphemant et vestris piis orationibus prosperatus refecta mea presentia gente utcumque perterrita insultibus paganorum, curam gerebam provincie. Non sic, pater sanctissime, quod a diviniori opere me aliquatenus dividissem, sed in ipsum fundatus anima et corpore meum excellentissimum genitorem et donatorem sedulis litteris et nuntiorum frequentia de statu prospero provincie suum reficiebam affectum, quem ad opus propterea ferventius accedebam a quo grata vicissitudine mea totaliter anima reficiebatur, dictabatur spiritus et mea viscera congaudebant. Super quibus divina providentia dispensante que ille que procurat non deserit, me ad Urbem feliciter redeunte ad mei donatoris et genitoris presentiam, in qua post paucos dies sanctissimi predecessoris vestri nuntiis reverentitissimis et discretis salubriter pervenientibus et invenientibus Dei gratia omnia negotii merita preparata prosperum assumentibus tractatum, invocato Christi nomine finaliter ipsi perfecerunt negotium, prout eis redeuntibus ad archam unde, ut columba, exiverant ferentes ramum viridantis olive, ramum unitatis et pacis, poterit vestra sanctitas informari, et eis a sede apostolica fuit injunctum cujus successores vos Dei misericordia constituti ad specula dignitatis, confido in Deo quod illa restitutionis gratia vestra sanctitas assumere poterit per que vestro patrocinio universalis consolatio benigniter orietur et amplificatio negotii perducatur ad perpetuam firmitatem, contra quod o in quantum laboraverit et laborare non cessat ille humani generis inimicus, qui tot diffusis temporibus super divisione preterita gloriabatur inique, non dimittens seducere debiles et inermes et illaquiare inscios et indoctos et ostendens eis sophisticare caritatem operis et operari opus aranee cujus tela facilis aura dissolvit. Attamen opus tante unitatis ex quo ad gremium sue matris, Deo faciente, constituitur sicut jam ipsius divisio multa meroris vulnera pertulit sic cura et vigilantia vestri dignissimi apostolatus cujus interest non fraudabitur ejus operis indemptitas sed conservabitur integra in eternum, de quo erit nomen benignitatis vestre in secula benedictum et in celis ab angelis eterne glorificatum. Ego autem ex supradictis omnibus assumens materiam de benedictione vestra confisus quas pro cunctis fidelibus exhibetis quodammodo temptavi scribere vestre apostolice sanctitati quod in presumptione non imputetur mihi aliquatenus impartiri, sed acceptum ducatur quod filiali devotione presumpsi et oblata ab offerente ac offerens ab oblationibus placeantur. Nam respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus, et quanquam tantam gratiam consequi sim indignus tamen non frustretur spe qui in vestra devotione persistit, quam sanctitatis vestre supereminens apostolatus qui recompensare merita singulorum et in celo et in terra absolvere ac ligare, benedictionibus, orationibus ac persuasionibus potest ut ad caritatis gloriam et devotis filiis sacrosancte Romane ecclesie aggregare, perducere ac in eis protegere ac fovere, que peto michi benigniter impartiri a vestra piissima sanctitate ac requiri ad omnia que vestra sanctissima paternitas michi suo devoto filio placuerit committere ac mandare, que devote accipiam et alacriter perimplebo. Me nunc et semper vestris sacris orationibus recommendo ac nuntios qui ad vestre sanctitatis presentiam transmittuntur in signum devotionis innate, quibus dignemini credere que pro parte mea sanctitatis

vestre audientie oretenus reserabunt. Vivat sanctitas vestra salutari et perpetua vita in Domino. Amen. »

222 Viterbe, 2 décembre 1277.

Regem Francie de discordia inter ipsum et regem Castelle orta vehementer vituperat, et ei mandat quatinus apostolice sedis nuntios, quos ad pacem reformandam mittit, benigne recipiat et illorum monitis acquiescat. (Fol. 65; an I, Curiales, nº 3; Potthast 21259.)

« *Regi Francorum illustri.* Quanto ex potestate apostolorum principi —. Hinc preter ipsius ecclesie morem secundum quem solent littere apostolice promotionem Romani pontificis nuntiantes, presertim ad principes quascunque alias ipsius pontificis prevenire, nos celsitudini regie patrem prius paternis exhibemus affectibus quam litteratoriis ad hoc conceptis affectibus nuntiemus. Vocati siquidem licet impares meritis ad apostolatus officium, in crastinum vocationis hujusmodi fratribus ipsis convenientibus una nobiscum, post consuetum charitatis alloquium ad eosdem, amaram nobis et eis discordiam, quam inter te ac carissimum in Christo filium nostrum .. regem Castelle ac Legionis illustrem pacis emulus tuus et illius immo potius christianitatis per se potissime ac ipsum contra hostes fidei ampliandis profectibus invidens excitavit, ante omnia obtutibus nostre considerationis expandimus animarum pericula, strages corporum, damna rerum, impedimenta negotiorum Domini tuam singulariter expectantium potentiam promotricem, que nisi eam virtus precedat Altissimi procul dubio eadem discordia comminatur, in multa mentis amaritudine recensentes. Specialiter autem tuam ejusdemque tue regni ob premissam ut intelleximus excitata discordiam considerata commotio eo gravius nos anxiat et perturbat quo eam periculosiorem advertimus, et si veritati non parcitur, multorum judicio a laudabilibus progenitorum tuorum semitis alienam. Num quid enim gallicane potentie gladius in catholice fidei professores vel limari consueverat ut terreret, vel acui ut feriret, aut christianum sitire vel effundere sanguinem, seu catholica regna subvertere vel etiam conculcare, in Christi blasphemos ad ipsius exaltationem fidei et dilationem christiani cultus limatus hucusque potius et acutus? Hec fili karissime quesumus tecum ipse considera, consultius tecum pensa; et salubrius nostris monitis et consiliis ex singularitate caritatis ad te filium predilectum procedentibus acquiesce, ad que magnificentie tue plenius exprimenda et preparanda inter te ac memoratum regem pacis et solide concordie federa per dilectos filios, fratres Johannem magistrum Predicatorum, et Jeronimum ministrum Minorum fratrum ordinum ad hoc apostolice sedis nuntios reformanda pariter et firmanda dilectum filium fratrem Johannem de Viterbio ejusdem Predicatorum ordinis procuratorem religione, prudentia et fidelitate conspicuum, ac grata experientia nobis et fratribus ipsis et acceptum ad tuam presentiam ut affectum, monita et consilia nostra pressius tuis precordiis imprimat, quam litteralis series exprimat, destinamus. Sic enim ad promotionem et conservationem regalis prosperitatis afficimur, ut in iis et litteras nuntii et nuntium litterarum existimemus suffragio indigere, nec contenti sumus alterutro; immo vix nostris desideriis satisfacere posse reputemus utrumque, nisi quod ex eo quem ad dictum genitorem tuum hactenus gessimus et ad te idemque regnum gerimus animo, de tua generositate verisimili conjectura supponimus, quod premissum nostre singularis dilectionis affectum liberali gratitudine compensabis, nec precum nostrarum primitiis repagulum alicujus difficultatis oppones : ex hoc itaque grandi concepta fiducia serenitatem regiam monemus, rogamus et hortamus attente, obsecrantes in Domino Jhesu Christo ac per aspersionem sui pretiosi sanguinis obtestantes, quatinus memorato fratri Johanni de Viterbio in premissis ob reverentiam apostolice sedis et nostram benignam audientiam prebeas et audita sic prompte ad gratiam exauditionis admittas, quod ad occurrendum tantis ipsius christianitatis incomodis et periculis obviandum in hujusmodi reformatione concordia, tua nostris vota conformes, et predictorum nuntiorum sedis ipsius consiliis, suasionibus, commonitionibus aliisque processibus acquiescas : gratum ex hoc creatori tuo cujus proinde negotia et precipue Terre Sancte impedimentis submotis efficatiorem executionem habebunt prestaturus obsequium, et in hac nostra novitate nobis qui multo id desiderio petimus munus acceptabile oblaturus. Ceterum scire te volumus quod ad sepefatum regem super iis que quoad ipsum exigit presentis negotii qualitas et congruere publice utilitati putavimus alium nuncium destinamus. Nec mireris etc. Dat. Viterbii, IIII nonas decembris, anno primo. »

223 Viterbe, 2 décembre 1277.

Regi Castelle ac Legionis de eodem negotio scribit, et ei mandat quatinus monita fratris Benvenuti, quem ipsi destinat ad preparanda cum aliis nuntiis pacis federa, benigne audiat. (Fol. 65 vº; an I, Curiales, nº 4; Potthast 21260.)

« .. *Regi Castelle ac Legionis illustri.* Quanto ex potes-

tate — tanto animus noster ad id faciente pacis auctore directus ab olim nunc plenius inardescit. Verum etsi ad omnium corda in pacis unanimitate servanda nostra suspiret intentio, principes tamen aliosque magnates et te precipue ac carissimum in Christo filium .. regem Francorum illustrem eo magis desideramus esse concordes quo inter vos maxime ceterosque participes regie dignitatis periculosa discordia et pluribus est onusta dispendiis et plures involvit; hujusmodi quippe nostri ferventis desiderii nos sic urget instantia, ut nec nobis nec fratribus nostris —. Propter quod ad precisionem ipsius remedia que presens status Romane curie angustieque temporis patiuntur sine more dispendio prosequentes, dilectum filium fratrem Benvenutum de ordine Minorum virum utique religione, prudentia et fidelitate conspicuum ac grata experientia nobis et fratribus ipsis acceptum, ad effectum suasiones nostraque monita et consilia in premissis magnificentie tue plenius exprimenda, et preparata inter te ac memoratum regem pacis et solide concordie tedera per dilectos filios fratres Johannem magistrum Predicatorum et Jeronimum ministrum eorundem Minorum fratrum ordinum ad hoc apostolice sedis nuntios reformanda pariter et firmanda de ipsorum fratrum consilio ad regalem presentiam destinamus, serenitatem regiam momentes —. Dat. ut supra. »

224 Viterbe, 1er décembre 1277.

S., tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato mandat quatinus fratribus Johanni magistro Predicatorum et Jeronimo ministro Minorum, necnon et fratri Johanni de Viterbio in prosecutione negotii pacis inter reges Francie et Castelle componende cooperet et per se ipsum sollicitam operam impendat. (Fol. 65 vo; an I, Curiales, no 5.)

« *S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Vocatis nobis licet insufficientibus meritis ad apostolatus officium occurrit quasi confestim considerationis nostre conspectui acerbis infesta molestiis periculosa dissensio quam inter carissimum in Christo filium nostrum .. Francie ac .. Castelle reges illustres incentor malorum omnium suscitavit, amaras nobis suas circumstantias quas frequenter, dum nos minor status haberet, infra pectoris claustra revolvimus, representans. Hinc enim nostris se offerebant obtutibus impedimentum proinde facile receptura, pia Dei negotia et precipue Terre Sancte, hinc se animarum pericula christiani sanguinis non quevis effusio gravia rerum dispendia et non solum ipsorum regum suarumque gentium sed et quasi totius christianitatis in ipsorum commotione dampnosa turbatio ingerebant. Hec quidem nostri cordis intima stimulabant acutisque stimulis nostrum interpellabant officium et ad occurrendum per oportuna remedia tanto religionis christiane discrimini exurgeremus otius instantius exigebant, habebat autem in scrutinio considerationis ejusdem hujusmodi exactionis adjectio quod pensata diligenter presentis negotii qualitas et personarum inter quas vertitur altitudo, aliquorum vel alicujus ex nostris fratribus prudentia ministerio et presentia indigebat. Sed quia idem eorundem fratrum paucitas et aliquorum ex eis debilitas urgensque angustia temporis non permisit, ne circa idem negotium quod sic nobis est cordi prosecutionis diligentiam omittere videremur, dilectum filium fratrem Johannem de Viterbio procuratorem ordinis Predicatorum ut apud eundem regem Francorum pro suspensione seu dilatione saltem cujuslibet processus hostilis contra memoratum regem Castelle quo interim nobis facultas detur juxta ingens nostrum desiderium plenius eidem providendi negotio destinamus, tuo dirigendum consilio et auxilio fulciendum. Ideoque circumspectionem tuam monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus hiis que tam dilectis filiis fratribus Johanni magistro Predicatorum et Jeronimo ministro Minorum fratrum ordinis quam memorato fratri Johanni de Viterbio tibi per eos reseranda committimus diligenter inspectis, eos in commissione prosecutionis hujusmodi juxta datam tibi a Deo prudentiam dirigas et informes. In premissis non solummodo cooperaturus eisdem sed et per te ipsum sollicitam operam impensurus ut quod ad utilitatem publicam affectuose petimus tue private sollicitudinis industria efficaciter consequamur. Nec mireris etc. Dat. Viterbii, kalendis decembris, anno primo. »

225 Viterbe, 2 décembre 1277.

Fratribus Johanni magistro Predicatorum et Jeronimo ministro Minorum fratrum ordinum, hoc memorato quod in Lugdunensi concilio in favorem negotii Terre Sancte fuit statutum ut in toto orbe terrarum inter principes precipue ac alios christianos pax generaliter observetur, mandat quatinus reges Francie et Castelle atque gentes ipsorum non tantum ab omni congressu bellico et invasione seu insultu alterutrius in alterum per excommunicationis in personas et interdicti sententias in terras eorum compescant, sed etiam pervigili studio et instantia indefessa pacis et concordie reformande inter reges eosdem cepto vacent tractatui, et causas ac modos, per quos id obtinere efficacius posse putabunt, sibi seriosius rescribant. (Fol. 65 vo; an I, Curiales, no 6; Potthast 21261.)

« *Fratribus Johanni magistro Predicatorum et Jeronimo*

ministro Minorum fratrum ordinum. Vocatis nobis etc. — Dat. Viterbii, IIII nonas decembris, anno primo. »

226 Saint-Pierre, 12 décembre 1277.

Regi Romanorum illustri significat se prosecuturum esse unionem inter ipsum et Carolum Sicilie regem, predecessorum suorum studiis initam; ei mandat quatinus ad tractatus perficiendos nuntios ad sedem apostolicam mittat, et omnia exequatur que toties petita fuerint de exarchatu Ravenne ac Pentapoli. (Fol. 66; an I, Curiales, nº 7; POTTHAST 21261 et 21496.)

« *Regi Romanorum illustri.* Solet nota principum —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II idus decembris suscepti a nobis etc. anno primo. »

227 Saint-Pierre, 21 janvier 1278.

G. priori prioratus hospitalis S. Johannis Jerosolimitani de S. Egidio in Provincia curam et administrationem totius terre Venaysini quo ad temporalia de novo committit. (Fol. 67 vº; an I, Curiales, nº 8.)

« *G. priori prioratus hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani de Sancto Egidio in Provincia.* Felicis recordationis G. papa Xus predecessor noster merita circumspecte tue fidelitatis attendens curam, custodiam, administrationem, regimen ac jurisdictionem totius terre Venaysini que est ecclesie Romane speciale demanium quo ad temporalia tibi commisit usque ad sue beneplacitum voluntatis. Verum quia hujusmodi commissio per obitum predecessoris ejusdem dinoscitur expirasse, nos eidem terre quam prospere dirigi cupimus et salubriter gubernari paterna sollicitudine precavere volentes ne absque gubernatore utili deseratur, ac sperantes sicut hactenus de tuis actibus collegimus quod ea que tue sollicitudini committuntur gerantur sollicite, fideliter et prudenter, curam, custodiam, amministrationem, regimen et jurisdictionem hujusmodi de novo tibi duximus committenda, gerenda per te usque ad nostre beneplacitum voluntatis, devotioni tue per apostolica scripta mandantes quatinus provide, sicut de te confidimus, factam tibi per nos eandem commissionem exercens redditus et proventus inibi debitos ecclesie supradicte nostro et ecclesie prefate nomine integre colligas et fideliter custodias et conserves, faciens tibi eodem nomine ab iilis prestari fidelitatis debite juramenta, que ab olim ea sedis apostolice nuntiis minime prestiterunt. Contradictores districte qua convenit appellatione postposita compescendo. Sic itaque in hac parte sicut vir industrius exercitio circumspecte bonitatis exurgas, quod dignam nobis et eidem ecclesie de premissis reddere valeas rationem, nosque possimus exinde tue promptitudinis studium merito commendare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XII kalendas februarii, anno primo. »

In eundem modum venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis universis ecclesiarum prelatis, baronibus quoque ac aliis nobilibus per terram Venaysini constitutis mandat quatinus in hiis que ad dicte commissionis spectant officium dicto priori devote ac humiliter pareant, ei de redditibus et proventibus eidem ecclesie debitis suo ecclesie predicte nomine integre responsuri. Dat. ut supra.

In e. m. comitibus, universitatibus ac populis civitatum castrorum et quorumcunque locorum per terram Venaysini constitutis.

In e. m. senescalco carissimo in Christo filio nostro .. regis Francorum illustris in Bellicadro et Nemauso.

In e. m. senescalco carissimo in Christo filio nostro .. C. regis Sicilie illustris in Provincia.

228 Constantinople, avril 1277.

Michael Paleologus imperator sedi apostolice litteras mittit, quibus inseruntur professio fidei catholice, cum petitione de ritibus antiquis conservandis, et juramentum, quod apud Lugdunum in presentia Gregorii X pape fecit Georgius Acropolita, atque secundum petitionem Johannis XXI pape novum juramentum ipsius imperatoris. (Fol. 67 vº; an I, Curiales, nº 9.)

« *Iste littere misse fuerunt ex parte Michaelis imperatoris Grecorum domino Johanni XXI summo pontifici et presentate domino Nicolao III successori suo. Similes habentur de greca littera in thesauro.* Sanctissimo et beatissimo primo et summo pontifici apostolice sedis et universali pape et patri communi omnium christianorum et reverentissimo patri imperii mei domino Gregorio, Michael in Christo Deo fidelis imperator et moderator Romeorum, Ducas, Angelus, Comminus, Paleologus, spiritualis filius magne sanctitatis vestre conveniente honorem et reverentiam cum sincera et pura affectione ac orationum postulationem.

Quoniam missi sunt a magnitudine vestra ad imperium nostrum nuntii Deo placentis ordinis Minorum videlicet frater Jeronimus de Esculo, frater Raymundus Berengarius, frater Bonagratia de Sancto Johanne in Perserito et frater Bonaventura de Anicello, et obtulerunt litteras vestre magne sanctitatis in quibus cum aliis et de professione fidei quam docet et predicat et confitere

sancta ecclesia Romana continebatur et oportebat in hiis magis responsionem nos convenienter facere, ecce hoc facit imperium nostrum. Habent autem professio fidei in dictionibus taliter. Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem coeternum et coomnipotentem unius voluntatis, potestatis et majestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia que sunt in celo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singulam quamque in Sancta Trinitate personam unum verum Deum plenum et perfectum. Credimus ipsum Filium Dei Verbum Dei aeternaliter natum de Patre, consubstantialem coomnipotentem et equalem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto et Maria semper virgine cum anima rationali duas habentem nativitates, unam ex Patre eternam, altera ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum neque fantasticum set unum et unicum Filium Dei in duabus et ex duabus divina scilicet et humana naturis scilicet in unius persone singularitate impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum vera carnis passione, mortuum et sepultum et descendisse ad inferos ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne qua resurrexit et anima ascendisse in celum, et sedere ad dexteram Patris inde venturum judicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua sive bona fuerint sive mala. Credimus etiam Spiritum Sanctum plenum et perfectum verumque Deum ex Patre et Filio procedentem coequalem et coesentialem et coomnipotentem et coeternum per omnia Patri et Filio. Credimus hanc Sanctam Trinitatem non tres deos sed unum Deum omnipotentem, eternum, invisibilem et incommutabilem. Credimus sanctam catholicam et apostolicam unam esse ecclesiam veram in qua unum datur baptisma et vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem ejusdem carnis quam nunc gestamus et vitam eternam. Credimus etiam novi et veteris testamenti legis ac prophetarum et apostolorum unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem. Hec est vera fides catholica, et hanc super dictis articulis tenet et predicat sacrosancta Romana ecclesia. Sed et propter diversos errores a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex malitia introductos, dicit et predicat eos qui post baptismum in peccata labuntur non rebaptizandos sed per veram penitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum, quod si vere penitentes in caritate decesserint ante quam dignis penitentie fructibus de commissis satisfecerint et omissis eorum animas penis purgatoriis hoc est catharcerii quemadmodum frater Johannes nobis notificavit post mortem purgari, et ad penas hujusmodi relaxandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et helemosinas et alia pietatis officia que a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum ecclesie instituta. Illorum igitur animas qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino maculam incurrerunt, illas etiam que post contractam peccati maculam vel in suis manentes corporibus vel eisdem exute prout superius dictum est sunt purgate in celum mox recipi. Illorum autem animas qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt mox in infernum descendere, penis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Romana ecclesia credit et predicat et firmiter asseverat et quod nichilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem. Tenet etiam et docet eadem Romana ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta : unum scilicet baptisma de quo dictum est supra. Aliud est sacramentum confirmationis quod per manus impositionem episcopi conferunt crismando renatos. Aliud est penitentie. Aliud est eucharistia. Aliud est sacramentum ordinis. Aliud est matrimonii. Aliud est extrema unctio que secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Eucharistie ex azimo conficit eadem Romana ecclesia tenens et docens quod in ipso sacramento panis vere transubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Jhesu Christi. De matrimonio vero tenet quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum secundas et tertias et deinde nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat. Ipsa quoque sacrosancta Romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universa catholica ecclesia obtinens, quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe seu vertice cujus Romanus pontifex est successor cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit, et sicut pre ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si que de fide suborte fuerint questiones suo debent judicio diffiniri ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare, sed et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri judicium, et eidem omnes ecclesie sunt subjecte, ipsarumque prelati obedientiam et reve-

rentiam sibi debent apud quam sic plenitudo potestatis consistit quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas et patriarchales precipue diversis privilegiis eadem Romana ecclesia honoravit, sua tamen prerogativa tam in generalibus conciliis quam in quibuscumque aliis semper salva. Superius scriptam fidei veritatem, prout plene lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem esse ipsam esse cognoscimus et acceptamus et ore et corde confitemur quod ipsam vere tenet et fideliter docet et predicat sacrosancta Romana ecclesia et inviolabiliter observare ipsam professionem et in ipsam omni tempore perseverare et nullo unquam tempore ab ipsa discedere quoquomodo aut deviare seu discordare promittimus. Primatum quoque ejusdem sancte Romane ecclesie sicut in premisso tenore continetur ad ipsius sancte ecclesie obedientiam spontanei venientes confitemur et recognoscimus et acceptamus et sponte suscipimus; confitentes vero hec et approbantes et acceptantes et promittentes observare ut superius dictum est. Rogamus magnitudinem vestram ut nostra ecclesia dicat secundum symbolum prout dicebat hoc ante sysma et usque ad hodiernum diem, et quod permaneamus in nostris ritibus, quibus utebamur et ante sysma, qui ritus non sunt contra prescriptam fidem nec contra divina mandata nec contra vetus et novum testamentum, nec contra doctrinam sanctorum conciliorum et sanctorum patrum acceptorum per sancta concilia que celebrata sunt spirituali dominatione ecclesie Romane. Hoc igitur non grave est vestre sanctitati et non inconsuetum et nobis nunc difficile propter populi immensam multitudinem. Commisimus super hiis presentibus nuntiis nostris ut dicta per presentes litteras nostras confiteantur et affirment vice imperii nostri coram magna sanctitate vestra. Presens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione et professione propria manu nostra Dei gratia imperiali subscriptione signavimus et sigillum nostre potentie inferius duximus apponendum. Hec quidem perfecta fuerunt tunc. Cum vero cognatus imperii nostri magnus Logotheta, dominus Georgius Acropolita ad affirmationem suprascriptorum ex mandato imperii nostri juravit in presentia beate memorie sanctissimi illius universalis pape domini G. decimi et tunc congregati apud Lugdunum sacrosancti concilii que de verbo ad verbum sic se habent. Ego Georgius Acropolita magnus Logotheta, nuntius domini nostri imperatoris Grecorum Michaelis, Duca, Angeli, Comnini, Paleologi, habens ab eodem sufficiens ad infrascripta mandatum, omne sysma prorsus abjuro et suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est et fideliter exposita in nomine dicti domini mei, veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto et corde et ore profiteor, ipsamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet et predicat sacrosancta Romana ecclesia, ipsum inviolabiliter servaturum nec ab ea ullo unquam tempore recessurum vel quoquomodo deviaturum vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosancte Romane ecclesie prout in premissa serie continetur ad ipsius ecclesie obedientiam nomine ipsius et meo spontaneus veniens, pro ipso et pro me fateor, recognosco, accepto ac sponte suscipio et ipsum omnia premissa tam circa fidei veritatem quam circa ejusdem ecclesie Romane primatum et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam ac perseverantiam servaturum. Prestito in animam ipsius et meam corporaliter juramento, promitto et confirmo sic ipsum et me Deus adjuvet, et hec sancta evangelia cum sic de verbo ad verbum continens juramentum juraverit dictus magnus Logotheta in presentia dicti illius sanctissimi et beatissimi universalis pape domini G. X et dicti apud Lugdunum sacrosancti concilii, et nunc sanctissimus et beatissimus universalis papa et venerabilis pater imperii nostri dominus Johannes XXI^us^ petiit per venerabiles nuntios suos videlicet Jacobum Ferentinum episcopum, Gaufridum Taurinensem episcopum et fratres hoc est Raynonum priorem conventus Viterbiensis et Salvum lectorem Lucanum fratres ordinis Predicatorum ut affirmet, ratificet per corporale sacramentum imperium nostrum ea que dictus magnus Logotheta juravit ut sepius dictum est. Imperium nostrum perficiens petitionem sanctissimi et universalis pape et venerabilis patris imperii nostri domini Johannis XXI consequenter suprascriptis jurat sic. Ego Michael in Christo Deo fidelis imperator et moderator Romeorum, Ducas, Angelus, Comninus, Paleologus omne sysma prorsus abjuro et suprascriptam fidei veritatem prout plene lecta est et fideliter exposita veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto et corde et ore profiteor ipsamque prout veraciter tenet fideliter docet et predicat sacrosancta Romana ecclesia me inviolabiliter servaturum nec ab ea unquam ullo tempore recessurum vel quoquomodo deviaturum vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosancte Romane ecclesie prout in premissa serie continetur ad ipsius ecclesie obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto ac sponte suscipio et omnia promissa tam circa fidei veritatem quam circa ejusdem ecclesie primatum et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam ac perseverantiam servaturum, prestito in animam meam corporaliter juramento promitto et con-

firmo predictum juramentum predicti Logothete nostri approbo et ratifico, sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia. Hec autem omnia suprascripta facit imperium nostrum ad sanctissimum et beatissimum summum pontificem et venerabilem patrem nostri imperii universalem papam dominum Johannem XXI et per ipsum ad omnes successores suos, roborans ipsa per proprie manus Dei gratia imperialem subscriptionem suam et per sigillum potentie sue mensis aprilis quinte indictionis sexto milleno septimo centeno octuagesimo quinto anno. Actum est hoc in urbe nostra Constantinopolitana in sacro nostro Palatio Blakernarum. »

229 Constantinople, avril 1277.

Andronicus, filius Michaelis, patrem sequens, idem juramentum prestat. (Fol. 69; an I, Curiales, n° 10.)

« *Iste littere fuerunt misse eidem J. ex parte Andronici imperatoris filii dicti Michaelis etc. Similes habentur de greca littera in thesauro.* Cum sanctus dominus meus imperator et pater imperii mei transmiserit ad beate memorie sanctissimum illum universalem papam dominum Gregorium decimum litteras imperii sui de verbo ad verbum sic continentes : Sanctissimo et beatissimo etc. ut in proxima superiori usque ad presens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione et professione propria manu nostra Dei gratia imperiali subscriptione signavimus et sigillum nostre potentie inferius appendi fecimus. Et cum ipsa de verbo ad verbum sanctus meus dominus imperator et pater imperii mei transmiserit ad dictum illum sanctissimum universalem papam dominum G. et imperium meum sequens sanctum meum dominum imperatorem et patrem imperii mei transmiserit ad eundem sanctissimum universalem papam litteras suas approbans et acceptans ea que imperium suum significaverat et approbaverat et confirmaverat, que vice imperii sui juravit per corporale juramentum et confirmavit magnus logotheta coram illo sanctissimo universali papa domino G. et coram congregato apud Lugdunum sacrosancto concilio, nunc vero sanctissimus et beatissimus universalis papa et communis pater omnium christianorum et venerabilis pater imperii nostri dominus Johannes XXI^us^ per venerabiles nuntios suos videlicet Jacobum Ferentinatum, Gaufridum Taurinensem episcopos et fratres scilicet Raynonum priorem conventus Viterbiensis et Salvum lectorem Lucanum ordinis Predicatorum petiit ut confirmet etiam per corporale juramentum imperium nostrum ea que dictus magnus Logotheta juravit, et hoc complevit sanctus dominus meus imperator et pater imperii mei secundum petitionem dicti sanctissimi universalis pape et venerabilis patris imperii nostri domini Johannis XXI et roboravit ipsa per corporale juramentum, imperium meum per omnia sequens sanctum meum dominum imperatorem et patrem imperii mei consequenter suprascripta sic jurat. Ego Andronicus in Christo Deo fidelis imperator Constantinopolitanus semper augustus et moderator Romeorum et omnium subjectarum gentium imperio Romano, Ducas, Angelus, Comnenus, Paleologus, omne scisma prorsus abjuro et suprascriptam fidei veritatem prout plene lecta est et fideliter exposita veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto et corde et ore profiteor, ipsamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet et predicat sacrosancta Romana ecclesia me inviolabiliter servaturum nec ab ea ullo unquam tempore recessurum vel quoquomodo deviaturum vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosancte Romane ecclesie prout in premissa serie continetur ad ipsius ecclesie obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto et sponte suscipio et omnia premissa tam circa fidei veritatem quam circa ejusdem ecclesie primatum et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam et perseverantiam servaturum, prestito in anima mea corporaliter juramento promitto et confirmo et dictum juramentum predicti magni Logothete, prout in littera sancti mei domini imperatoris et patris imperii mei continetur, approbo et ratifico, sic Deus me adjuvet et hec sancta Dei evangelia. Hec autem omnia suprascripta facit imperium nostrum ad sanctissimum et beatissimum pontificem et venerabilem patrem imperii mei, universalem papam dominum Johannem XXI et per ipsum ad omnes successores suos roborans ipsa per proprie manus Dei gratia imperialem subscriptionem meam et per sigillum potentie mee ad certitudinem perpetuo duratura. Presens autem sacramentale actum est in felici urbe nostra Constantinopolitana in nostro sacro palatio Blakernarum, mense aprilis, quinte indictionis, sexto milleno septimo centeno octuagesimo quinto feliciter amen. »

230 Constantinople, avril 1277.

Joannes patriarcha cum omni synodo pape Johanni infrascriptam professionem fidei mittit. (Fol. 69 v°; an I, Curiales, n° 11.)

« *Littere patriarche Constantinopolitani et concilii cum professione fidei, et recognitione primatus.* Sanctissimo et

beatissimo summo pontifici apostolice sedis veteris Rome et universali pape domino Johanni, Johannes miseratione divina patriarcha Constantinopolitanus Rome nove cum omni nostra sacrosancta synodo debitam reverentiam nostre obedientie ac inclinationem et orationum postulationem. Principii boni optimum esse finem omnibus absque dubio clare patet. Et quare non, cum omne donum perfectum de sursum sit descendens a patre luminum? Hoc enim concesso, consequens est credi omne principium cujuscunque rei optime inchoate a divino pendere consilio, et propter hoc necessario tale principium in finem desinere gloriosum. Quod enim a Deo bene inchoatum est, quomodo non optime terminabitur auxiliante Deo? quale quid factum est et super hiis de quibus nunc propositum est nobis dicere o divinum et sacrum caput. Nam ecclesiastica unione gloriose incepta tempore felicis memorie beatissimi illius viri, si tamen virum et non angelum vocari oportet felicem illum sanctissimum papam decimum dicimus Gregorium, ad gloriosorem finem, que ad ipsam videlicet unionem sunt Dominus consumavit in diebus, in quibus ad decorem apostolice sedis et illuminationem perspicuam firmamenti universalis ecclesie vos nomine gratie nominatum dictus Dominus eligendo constituit. Quando quidem apostolice sedis nuncii, reverendissimi scilicet fratres nostri et coepiscopi Jacobus Ferentinus et Gaufridus Taurinensis, et de Deo accepto ordine Predicatorum religiosissimi nostri fratres Raynonus prior Viterbiensis et Salvus lector Lucanus, vestre sanctitatis orationibus prosperati, pervenerunt ad sanctos et potentissimos nostros moderatores et ad nostram humilitatem et ad eam que apud nos inventa est sacram et sanctam synodum, relictam ab universitate magne synodi, que apud nos paulo ante fuerat celebrata, dicte ecclesiastice unionis inchoatio, actore Deo, absque defectu fine prospero consumata est. Et quomodo quidem potens et sanctus moderator noster cum divinitus germinato ramo radicis sue potenti et sancto nostro moderatore confirmationem ecclesiastice unionis in fide perfecta et diligenti certitudine fecerunt poterit noscere maxima sanctitas vestra, et ab ipsis qui ad ipsam mittuntur litteris potentie sue et ab instrumento juramentorum factorum per ipsos, et ab hiis que apostolice sedis nuncii oretenus divinis auribus vestre insonuerint sanctitatis. Quomodo quoque nos robur prestamus et finem apponimus glorioso principio hujusmodi operis unionis poterit scire vestra a Deo magnifica sanctitas et a volumine synodicali quod sibi ostendetur, quod humilitas nostra cum toto sacro ipsius conventu firmavit et roboravit subscriptionibus manualibus, que apud nos vigorem obtinent juramenti. Habet insuper noscere et ab hiis que in presenti scripto specialius nos dicemus omnimode prebentes vestre apostolice sanctitati certitudinem nostre ad apostolicam sedem pure perfecteque obedientie. Dicimus enim, sub testibus Deo et angelis verba facientes, quod omne scisma inter ecclesias Dei, veteris Rome scilicet et nove nostre, male introductum in lesionem christianitatis aspernimus et abjicimus, et precordiali affectu et ex tota anima prius ipsum deponentes, per linguam et labia et prolativum nostrum sermonem etiam in presenti scripto ipsum abnegamus; et ecclesiasticam pacem et unitatem, et primatum apostolice sedis (1) confitemur, recognoscimus, acceptamus, et sponte suscipimus, et ad ipsius obedientiam spontanei venientes, ratum habere et conservare immutabile promittimus et asserimus, et eas prerogativas que a principio ante schisma prestabuntur apostolice sedi ab illis, qui pro tempore pontificio in Constantinopoli fungebantur, integra et inviolabilia promittimus conservare. Schisma enim quod in medio intercessit intimo cordis affectu et tota animi voluntate aspernentes, compaginamus et coaptamus nosmetipsos linee pontificum illorum, qui ante schisma apostolice sedis veteris Rome suam obedientiam canonice et legitime conservabant; et nichil omnino imperfectum omittere pollicemur de hiis que ante scisma illi divi et sancti imperatores apostolice sedi prestando roborarunt et affirmarunt insuper etiam et de hiis que in sacris conciliis patres nostri ad ipsius obedientiam demonstrabant, sed conservare rursus ad apostolicam sedem confirmamus inviolabiliter, et integre omnes prerogativas et privilegia que ante schisma reverendi et beati imperatores et deiferi patres nostri doctores ad primatum apostolice sedis in obedientiam ostendebant, videlicet quia ipsa sacrosancta Romana ecclesia summum et perfectum primatum et principatum super universam catholicam ecclesiam obtinet, quem in seipsa ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cujus Romanus pontifex est successor, cum plenitudine potestatis recepisse vere ac humiliter recognoscimus; et quemadmodum pre aliis tenetur fidei veritatem defendere, sic et si que de fide suborte fuerint questiones suo debent judicio diffiniri. Ad hanc potest quilibet gravatus in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri judicium, et eidem omnes ecclesie sunt subjecte, ipsarumque prelati obedientiam et reverentiam sibi debent. Apud hanc autem plenitudo potestatis consistit, quod ea que cetere ecclesie et patriarchales

(1) En marge : « Hic incipit novum forum. »

specialiter diversis temporibus privilegia obtinuerunt, sanctionibus beatorum sanctorum imperatorum illorum et canonicis sanctionibus et reformationibus sacrorum et divinorum conciliorum eadem Romana ecclesia confirmavit et roboravit; et non aliter optinuerunt confirmationem ecclesiarum hujusmodi prerogative nisi eadem ecclesia Romana suum super hiis judicium et sententiam protulisset, sua tamen prerogativa tam in generalibus conciliis quam in quibuscunque aliis semper salva. Et de abnegatione quidem schismatis et recognitione primatus apostolice sedis tanta sint dicta. Quoniam autem multum schismatis tempus opinionem quibusdam vanam et falsam tribuit, quod sit aliqua differentia dogmatum inter utramque ecclesiam, Grecam videlicet et Latinam, propter in symbole factam additionem per Romanam ecclesiam, oportet utique nos libellum fidei exponere, ex quo vestra adeo magnifica altitudo et tota Romana ecclesia cognoscet, quod nulla differentia fidei est hiis qui symbolum primi Niceni concilii legunt et qui symbolum Constantinopolitani secundi concilii predicant et hiis qui hoc symbolum, quod a Romana ecclesia legitur, cum additione venerantur. Credimus enim in unum Deum ingenitum, Patrem omnipotentem, immortalem, invisibilem, impalpabilem, universum implentem, et super omnia existentem, conditorem totius creature visibilis et invisibilis, corporalis et spiritualis. Et in unum Dominum Jhesum Christum, Verbum unigenitum Filium eternum ab eterno Patre, principium de principio, lumen de lumine, Deum de Deo, omnipotentem de omnipotente, equalem incommutabiliter generanti Patri, prout ipse Dominus in evangelio asserunt dicens : qui videt me videt et Patrem, qui ante omnia secula natus ineffabilem et intellectu incomprehensibilem habet nativitatem, generationem ejus quis enarrabit! sacra fatentur eloquia, hoc est nullus. In consumatione seculorum descendit inseparabiliter ex paterno sinu intemeratam et semper virginem Mariam, et nostram ex ipsa assumpsit naturam, carnem videlicet humanam cum anima rationali et intellectuali non secundum fantasiam, sed secundum veritatem; neque supernam et intemporalem nativitatem adoptatus, neque secundum inferiorem temporalem, naturalis enim existens et verus Filius Dei, naturalis et verus et semper virginis Marie ipse idem filius existit, qui carnem accepit ex ipsa visibilem invisibilis, mortalem immortalis, passibilem impassibilis, palpabilem impalpabilis; in qua carne et pro nobis sponte suscepit passionem vera carnis passione, mortuus et sepultus, et descendens ad inferos, et tertia die secundum scripturas resurgens a mortuis vera carnis resurrectione. Post quadraginta a sua resurrectione a mortuis ascendit ad celos cum eadem qua resurrexit carne et anima, et sedet ad dexteram Dei Patris introitum in celeste regnum nobis elargiens, qui venturus est iterum judex vivorum et mortuorum, redditurus unicuique secundum opera sua. Credimus eodem modo et in Spiritum Sanctum, omnia scrutantem et profunda Dei, qui naturaliter inest Deo et Patri et essentialiter insitus est, ut ita dicamus, et indivisibiliter ex ipso procedens; naturaliter inest et Filio, et essentialiter illi insitus est, et indivisibiliter ex ipso procedit, profunditur quod enim idem procedit, quemadmodum a fonte Deo et Patre, profunditur autem et ab ipso Filio quemadmodum a fonte, velut utique et ex ipso Deo Patre; sed licet Pater fons Spiritus sit et Filius fons Spiritus sit, non tamen duo fontes Spiritus sunt Pater et Filius; unum enim fontem Spiritus Patrem et Filium fidelis et pia intelligentia tenet : et propter hoc communem Patris et Filii Spiritum Sanctum ecclesie luminaria et doctores theologizarunt, sicut enim de substantia Patris naturaliter Spiritus est, sic et ex substantia Filii naturaliter Spiritus est : et sicut secundum substantiam existit Dei et Patris, ita et secundum substantiam Filii existit : et ut proprius est essentie Patris, et non extra hanc procedens in esse, ita et essentie Filii proprius est, et non extra hanc procedens in esse; naturalium enim bonorum Dei et Patris essentialiter existens Filius communicator, habet Spiritum sicut unusquisque nostrum proprium in se ipso continens, Spiritum et ex intimis visceribus ad extra profundit ipsum; propter quod et corporaliter ipsum discipulis insufflavit quia inspiratione Filii Spiritum novimus, et sensum Christi Spiritum esse ab apostolo edocti sumus, unde unam esse catholicam et sanctam apostolicam ecclesiam confitentes, in qua unum datur baptisma, et vere remissio omnium peccatorum tribus personis, scilicet Patri et Filio et Spiritui Sancto, in quibus et ad quas personas baptizamur, gloriam referimus, sicut uni Deo, et ipsas tres esse cognoscentes personas, unum Deum omnipotentem ipsas cognoscimus, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coeternam et coomnipotentem, unius dignitatis, unius potentie unius voluntatis, unius operationis, singulam Sancte Trinitatis personam Deum plenum et perfectum predicantes et confitentes. Et ita credentes gloriam offerimus Patri, gloriam offerimus Filio, gloriam offerimus Spiritui Sancto. Credimus veram resurrectionem nostre carnis, quam in presenti vita gestamus, et futuram vitam eternam perpetuam expectamus. Credimus etiam ipsum et unum Deum actorem esse et dominum omnipotentem veteris et novi testamenti, prophetarum et apostolorum in Trinitate unum cognitum Deum benedi-

centes nunc et in secula. Amen. Et hoc quidem usque in tantum. Ex quo autem sancta ecclesia Romana propter diversos errores a quibusdam ex ignorantia, ab aliis ex malitia introductos, dicit et predicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram penitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum, et si vere penitentes in caritate decesserint, antequam dignis penitentie fructibus de commissis satisfecerint et obmisis, eorum animas in igne purgatorii post mortem purgari, et ad penas hujusmodi relevandas prodesse hiis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, elemosinas et alia pietatis officia, que a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum ecclesie instituta; et illorum quidem animas qui post sacrum baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam qui post baptismum maculam peccati contraxerunt, vel in suis manentes corporibus vel eisdem exute, sicut superius dictum est sunt purgate, mox in celeste regnum recipi; illorum autem animas qui cum mortali peccato vel cum solo originali decedunt mox in infernum descendere, penis disparibus puniendas, et quod nichilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, quoniam quidem sancta ecclesia Romana sic dicit et predicat, recipimus hec et confitemur, quoniam sanctorum patrum divine scripture ipsa continent. Cum autem iterum cum suprascriptis sancta apostolica ecclesia Romana dicit et predicat quod septem sunt ecclesiastica sacramenta, baptismum, de quo dictum est supra, sacramentum confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt chrismando renatos, penitentia, eucharistia, sacramentum ordinis, matrimonium et extrema unctio, que secundum doctrinam b. Jacobi infirmantibus exhibetur, dicimus et de hiis hec : baptismum hoc recipimus et confitemur sicut sanctum; confirmationis sacramentum licet apud ecclesiam Romanam per impositionem manuum soli episcopi conferunt chrismando renatos, apud nos autem indifferenter prelati et presbyteri hoc faciunt, tamen nos eam, que hactenus apud nos obtenta fuit consuetudo, in ipsa ordinatione conservantes quod a Romana ecclesia super ipsa fit sanctificativum et perfectivum esse confitemur. Penitentiam et ipsam amplectanter confitemur et recipimus. Eucharistiam et ipsum sacramentum eucharistie per sanctam ecclesiam Romanam ex azimo pane confectum, secundum ipsius antiquam consuetudinem per ipsam hactenus veneratam, similiter illud quod per nos conficitur sanctum dicimus esse indistanter, credentes et nos ipsum azimum panem in ipso sacro officio eucharistie vere transubstantiari in corpus Domini nostri Jhesu Christi, et vinum in sanguinem ejus per suam Sanctissimi Spiritus virtutem et operationem, a nobis iterum ex fermentato confectum pane, sanctum etiam illud cognoscimus quod et conservantes sicut a principio nobis traditum, credimus similiter ipsum panem vere transubstantiari in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Jhesu Christi per Sanctissimi Spiritus, ut dictum est, virtutem et operationem. Sacramentum ordinis et ipsum amplectanter confitemur et recipimus. Matrimonium de quo tenet ipsa ecclesia Romana quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier simul habere permittitur plures viros; soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum, secundas et tertias et deinde nuptias legitime factas successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat, recipimus eodem modo, et de ipso eadem dicimus nos. Extremam unctionem etiam ipsam recipimus. Similiter cum aliis que et a nobis celebrata eptapapadum nominatur. Unum summatim dicamus : cum hec omnia sic veneretur et predicet dicta sancta ecclesia Romana, credimus et dicimus, quod vere fideliter et orthodoxe docet et predicat ipsa sancta ecclesia Romana; tamen et sic debemus nos permanere incommutabiliter in ritibus qui a principio obtenti sunt in ecclesia nostra. Hec omnia suprascripta ad confirmationem plenissimam exponentes abnegationis schismatis, et pure ac vere nostre obedientie ad primatum ecclesie Romane, et representationi et demonstrationi, quod concors sit plenissime et sine defectu nostra ecclesia secundum fidei orthodoxe intellectum sancte apostolice matris omnium ecclesiarum ecclesie Romane, nostra bulla consueta roboravimus, mense aprilis, quinte indictionis, sexti milleni septimi centeni octuagesimi quinti anni, secundo anno pontificatus nostri. »

231 Saint-Pierre, 31 mars 1278.

Episcopo Firmano et comiti de Casate, archidiacono Mediolanensi, capellano suo mandat quatinus ad diversa monasteria, hospitalia, ecclesias et capellas Urbis accedentes, in eis visitationis et inquisitionis officium exerceant. (Fol. 71; an I, Curiales, n° 12.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Firmano et dilecto filio comiti de Casate, archidiacono Mediolanensi, capellano nostro.* Licet cunctarum ecclesiarum orbis ex debito pastoralis officii generalis sollicitudo nobis incumbat, tamen circa monasteria et ecclesias Urbis sedi apostolice

immediate subjecta preter Romanum pontificem non habentia rectorem alium seu etiam defensorem tanto attentius vigilare nos convenit et curam de ipsis gerere potiorem, quanto magis nostra interesse dinoscitur ut de ipsorum statu prospero sollicite cogitemus, eorum quantum nobis ex alto permittitur precavendo dispendiis et utilitatibus providendo. Cum itaque sicut accepimus nonnulla dicte Urbis monasteria et ecclesie, videlicet Sancti Johannis Lateranensis et Sancte Marie Majoris ecclesie, Sancti Pauli et Sancti Laurentii extra muros Urbis monasteria et alia tam monachorum quam monialium diversorum ordinum ac alie ecclesie archipresbiterales seu capelle papales vulgariter nominate et alie ecclesie ipsius Urbis Romane ecclesie immediate subjecte, hospitalia quoque cujuscunque ordinis conditionis aut status existant que ad Romanam ecclesiam nullo pertinent mediante et consueverint tantum auctoritate apostolica visitari, hospitali Sancti Spiritus in Saxia cujus cura dilecto filio nostro .. Sancte Marie in Porticu diacono cardinali ab eadem sede specialiter est commissa duntaxat excepto, necnon et alie ecclesie consuete per cardinales ipsius ecclesie Romane pro tempore gubernari ad presens ipsorum cardinalium regimine destitute pro eo quod olim fuisse noscuntur debite visitationis ministerio per non modicum temporis spatium destituta in spirituali et temporali sint collapsa et enorme in utrisque sustineantur detrimentum, nos cupientes ut eadem monasteria, hospitalia, ecclesie ac capelle per nostre provisionis auxilium eripiantur a noxiis et ad prospera Deo propitio dirigantur, gerentes quoque de vestra circumspectione pleniorem fiduciam in Domino, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus ad predicta monasteria, hospitalia, ecclesias et capellas personaliter accedentes et habentes pre oculis solum Deum, ibidem tam in capitibus quam in membris exerceatis visitationis et inquisitionis officium vice nostra corrigendo et reformando, ordinando ac statuendo in eis que correctione, ordinatione ac reformatione noveritis indigere. Contradictores etc. Non obstantibus quibuslibet —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas aprilis, anno primo.»

232 Saint-Pierre, 31 mars 1278.

Principi Abaghe regi Tartarorum orientalium, quorum littere predecessori suo presentate tantum zelum pro Christiano nomine manifestaverunt, novos nuntios mittit pro salute procuranda Tartarorum; ei mandat quatinus illos nuntios benigne recipiat, eis fidem adhibeat, eosque cum securo conductu ad magnum Cham transmittat. (Fol. 71 : an I, Curiales, nº 13; Potthast 21291.)

« *Nicolaus etc. Excellenti et magnifico principi Abaghe regi orientalium Tartarorum illustri viam agnoscere veritatis.* Exultavit et exultat in Domino Romana mater ecclesia in hiis que grata felicis recordationis Johanni pape predecessori nostro et ejus fratribus accepta quamplurimum Johannes Vassalli miles, et Jacobus Vassalli magnificentie tue nuncii eisdem predecessori et fratribus ex parte tua quedam contenta litteris et quedam expressa vive vocis oraculo portaverunt. Sub tuo namque nomine presentate per eosdem nuncios eidem predecessori littere, sicut asseritur, continebant, quod si christianum exercitum in Terram Sanctam transfretare contigerit, tu terram tuam et provisionem victualium ipsius exercitus christiani, necnon et personam tuam ac potentiam tui exercitus contra inimicos christiane fidei, videlicet Sarracenos, devota promptitudine offerebas. In fine vero continebatur earum quod eisdem nuntiis in omnibus, que pro parte tua dicerent, crederetur, sub qua credulitate rem Deo placitam eisdem predecessori et fratribus, inter quos nos tunc officium habebat, amabilem retulerunt. Etsi quidem res ipsa digna letitia, plena jubilo, tota divine laudis extollenda preconiis, que si factis dicta frequentibus confirmentur, salutem tantarum continet animarum, videlicet quod voluntas et desiderium sit karissimi in Christo filii nostri Quolibey magni Chami imperatoris et moderatoris omnium Tartarorum illustris avunculi tui, qui jamdudum fuisse asseritur baptizatus et tuis inheret affectibus, personas aliquas ad vos per Romanam ecclesiam destinari, per quas christiana fide vos filii populique vestri instrui valeatis, et ab eisdem predicti filii vestri et alii de utriusque populo seu exercitu baptizari. Letetur ergo mater ecclesia, si sponso suo Jhesu Christo misericordi operante clementia tot posset filios per baptismi lavacrum generare. Letetur et pastor ecclesie, si christiana plebs suis temporibus tanti populi quasi infinito numero augeatur. Quid mirum si vetus exultet angelicus in tantarum perditarum ovium obtenta salute, cui secundum evangelicam veritatem unius peccatoris penitentia super nonaginta novem justis predicatur acceptior? O nostra beata tempora, si diebus nostris tale ac tantum gaudium possemus illi celesti curie presentare! Sane que per easdem litteras tua obtulit prompta devotio gratanter eorundem predecessoris et fratrum non immerito sensibus adheserunt. Grandia enim sunt, immo maxima reputamus, que sic devote porrigit et sic prompte promittit tue celsitudinis magnitudo, nec est verisimile quin digitus Dei circa

hoc operetur in te, quod tantus zelus ad negotium Christi cor tuum videtur accendere, ut te ipsum, populi tui robur, terram ac victualia contra inimicos Christi deliberaveris exponenda. Super eo vero quod de prefatis personis per eandem ecclesiam transmittendis predicti nuncii sub predicta credentia retulerunt, dictus predecessor grata sibi quamplurimum tua per eosdem nuntios facta inquisitione commotus certos nuncios propter hoc ad partes illas decreverat destinare, quos ad id diligenter accinctos superveniens obitus predecessoris ejusdem ab imposito eis itinere non indigne retraxit. Unde nos post alicujus decursum temporis ipsius Christi vicarius et beati Petri, disponente Domino, licet immeriti successores effecti super omnia que nobis ex injuncto incumbunt apostolatus officio ad tuam omniumque salutem nostre intentionis dirigimus aciem, ad hanc precipue mentis nostre firmamus affectum, circa eam diligenti studio et studiosa diligentia vigilantes, ut errantes ad viam veritatis reducere omnesque Deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Unde tibi de oblato succursu actiones referimus gratiarum, et quod super premissis expediat, cum tempus adfuerit, prout rerum et temporum exegerit qualitas, salubriter dante Domino disponemus. Pro sua quoque predicti Cham, filiorum populique sui, tua populique tui procuranda salute servitutis nostre debitum exolventes, fratres Gerardum de Prato, Antonium de Parma, Johannem de Sancta Agatha, Andream de Florentia et Matheum de Aretio ordinis Minorum latores presentium, viros religione conspicuos, honestate vita pudicos, morum claritate decoros et sacre scripture scientia preditos, et tu, filii populusque tui ipsum Dominum Jhesum Christum salvatorem nostrum salutaribus eorum eruditionibus agnoscendo, ac ab eis illi ex vobis, qui nullum baptismum hactenus vel non in forma debita receperunt in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen, auctoritate nostra secundum ritum, quem in hoc eadem servat ecclesia Christi baptismate baptizati, nomen suum gloriosum, quod est super omne nomen, christiane fidei observatione colatis, de fratrum nostrorum consilio duximus destinandos. Quibus etiam per nostras litteras et oraculo vive vocis injunximus ut oportuno tempore juxta prudentie tue motum ad prefatum Cham se personaliter conferant, ut et ibi circa salutem animarum procurent juxta datam ipsis divinitus gratiam, ac Deo miserente perficiant quod eorundem asseruit relatio nunciorum, et Christi operante clementia, devota mente cupimus et speramus. Ideoque magnificentiam tuam monemus, rogamus et hortamur attente, quatinus eosdem fratres Minores, seu illos ex eis, quos ad te pervenire contigerit, si forsan eorum aliquem mors vel casus aliquis a prosecutione injuncti eis per nos itineris impediret, immo potius nos in ipsis pro divina et nostra reverentia benigne recipiens et honeste pertractans super hiis que tibi ex parte nostra de susceptione baptismi et instructione christiane fidei ac ipsius observantia et aliis, que salutem respiciant animarum, retulerint, fidem indubitatam adhibere procures, eos cum securo conductu ad prefatum Cham cum expensarum et aliorum necessariorum provisione matura deliberatione transmittens. Et nichilominus cum nos propter viarum pericula, longitudinem itineris et incertitudinem temporis, per quod eosdem in partibus illis oporteat immorari, nequiverimus eisdem indeterminata et certa necessariorum sufficientia providere, quamdiu ipsos in partibus illis morari contigerit, provideas diligenter ac sufficienter eisdem ineundo, morando ac redeundo ad nos de securo conductu et necessariis oportunis, ut ipsi ad presentiam nostram et predictorum fratrum nostrorum cum optato fructu tanti populi sperate salutis leti de suis laboriosis operibus tute valeant remeare. Christianos autem confluentes ad loca tue ditioni subjecta vel morantes in eis tue munificentie commendamus, et ut ipsos favorabiliter prosequens protectione tue potentis dextere munias et defendas, ut per hoc et alia que, ut speramus, exercebis opera charitatis, et gloriam in presenti et eterne retributionis premium recipias in futuro. Nos enim et fratres nostri divinam clementiam suppliciter exoramus ut sic tibi et filiis eisdem dies prosperitatis adaugeat et actus nostros dirigat ad salutem, quod vobis, populo exercituque predictis cum catholicis in lucis ambulantibus claritate in felicibus vestris successibus eterni Patris oculi delectentur. Dat. ut supra. »

233 Saint-Pierre, 4 avril 1278.

Quobley magno Caano, imperatori et moderatori omnium Tartarorum significat Romanam ecclesiam in eo exultare quod baptismum Christi recepit, cultum diligit christianum et ipsos christianos sub ditionis sue degentes imperio benigne pertractet; pro ipsius filiorum populorumque procuranda salute fratres Gerardum de Prato, Antonium de Parma, Joannem de Sancta Agatha, Andream de Florentia, et Matheum de Aretio ordinis Minorum mittit; ei mandat quatinus illos benigne recipiat. (Fol. 72; an I, Curiales, nº 14; Potthast 21293.)

« *Carissimo in Christo filio Quobley magno Caano imperatori et moderatori omnium Tartarorum, salutem et apostolicam benedictionem.* Plasmator hominis Deus —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

234 Saint-Pierre, 1er avril 1278.

Infrascriptis, ad partes Tartarorum destinatis, mandat quatinus Abagham, filios, populos et alios de exercitibus supradictis ad receptionem sacri baptismatis et cognitionem vere fidei generaliter et singulariter inducant; eos diversis facultatibus et privilegiis munit. (Fol. 72 v°; an I, Curiales, n° 15; Potthast 21292.)

« *Fratribus Gerardo de Prato, Antonio di Parma, Johanni de Sancta Agatha et Andree de Florentia et Matheo de Aretio ordinis Minorum in terras Tartarorum proficiscentibus nuntiis nostris, salutem et apostolicam benedictionem.* Eterni pastoris licet —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis aprilis, anno primo. »

235 Saint-Pierre, 4 avril 1278.

Eisdem concedit facultatem ad ordinem suum duodecim personas recipiendi et ad professionem admittendi, atque novos famulos deficientibus necessariis, assumendi. (Fol. 73 v°; an I, Curiales, n° 16.)

« *Eisdem.* Cum vos ad partes Tartarorum pro commisso vobis negotio fidei cum apostolicis litteris destinemus, nos tanti negotii qualitatem et ea que possunt ipsum contingere propter sui precellentiam attendentes, devotioni vestre recipiendi ad ordinem vestrum duodecim personas ydoneas ad illum convolare volentes cujuscunque conditionis extiterint ac eas ad professionem et alia instituta ejusdem ordinis admittendi vosque ad invicem ab excommunicationum sententiis et vobiscum etiam super irregularitatibus si quas vos vel aliquem vestrum incurrere contigerit, si necessitatis articulus id exquirat, dispensandi ac distrahendi res vestris usibus deputatas et alias ipsas eisdem usibus in prosecutione dicti negotii prout expedire videritis applicandi, deficientibus insuper famulis vobis necessariis substituendi, alios etiam si signo crucis assumpto sint Terre Sancte itineri obligati et voluerint votum emissum in laborem hujusmodi commutare, ac cum eis super communicatione hujusmodi dispensandi, dummodo non sint talis conditionis aut status quod per hoc eidem Terre grave prejudicium generetur, et eis seu quibuslibet aliis christianam fidem profitentibus, quos ad id per vos assumi permittimus, vobiscum laborem ipsum gerentibus illam suorum peccatorum veniam indulgendi que concessa est transfretantibus in dicte Terre subsidium liberam vobis concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

236 Saint-Pierre, 4 avril 1278.

Eisdem concedit facultatem assumendi aliquem vel aliquos ex fratribus sui ordinis, quos ydoneos esse noverint, et eos ad id si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam compescendi, ac illi vel illis semel vel pluries, quoties et quantum expedire viderint, committendi quod promotionem dicti negotii et illud contingentia ex aliqua causa respexerit. (Fol. 73 v°; an I, Curiales, n° 17.)

« *Eisdem.* Cum vos ad —. Dat. ut supra. »

237 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Eisdem concedit facultatem reconciliandi aliquem ex archiepiscopis vel episcopis in partibus eisdem degentibus, qui tamen rite fuerint et in forma ecclesie ordinati, aut assumendi unum de catholicis archiepiscopis vel episcopis gratiam et communionem apostolice sedis habentibus, cujus ministerio possint liberius exequi circa negotium supradictum que pontificale requirant officium, ac illa per eum quem reconciliari per ipsos vel assumi contigerit in necessariis casibus prout expedire viderint exercere. (Fol. 73 v°; an I, Curiales, n° 18.)

« *Eisdem.* Cum vos etc. —. Dat. Rome, nonis aprilis, anno primo. »

238 Saint-Pierre, 22 avril 1278.

Universis Christi fidelibus mandat quatinus fratres eosdem ad partes Tartarorum destinatos favorabilibus auxiliis confoventes de securo conductu eisdem provideant. (Fol. 73 v°; an I, Curiales, n° 19; Potthast 21308.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Cum dilectos filios —. Dat. Rome, x kalendas maii, anno primo. »

239 Saint-Pierre, 4 avril 1278.

Infrascriptis, qui non censuerunt novum processum juxta pontificis mandatum contra reges Francie et Castelle attemptandum, mandat quatinus eosdem reges, gentes ipsorum et adherentes eisdem a bello et invasione diligentes compescant. (Fol. 74; an I, Curiales, n° 20; Potthast 21294.)

« *Jeronimo quondam Minorum fratrum ordinis generali ministro sancte Romane ecclesie presbitero cardinali et fratri Johanni magistro ordinis Predicatorum.* Felicis recordationis Johannis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

240 Saint-Pierre, 4 avril 1278.

Eisdem mandat quatinus ad ea que commisit ipsis Joannes papa XXI, pro sopienda dissensione inter eosdem reges, procedant. (Fol. 74; an I, Curiales, nº 21; Potthast 21295.)

« *Eisdem*. Inter cetera que —. Dat. ut supra. »

241 Saint-Pierre, 24 avril 1278.

Eisdem, quorum litteras recepit, commemorat ex quibus argumentis solide inter eosdem reges concordie spes concipi potest, et eis mandat quatinus pacis prosecutioni acrius insistant; qua recte disposita, ad alia se conferant. (Fol. 74; an I, Curiales, nº 22; Potthast 21310.)

« *Eisdem*. Littere vestre circumspectionis et cedule quas nobis dilectus filius frater Johannes de Viterbio ordinis fratrum Predicatorum ipsius ordinis predicator ad nos deferendas a vobis sibi commissa sollicitudine laudanda premisit ea que circa commissum industrie vestre ab apostolica Sede negotium acta sunt, post reditum nuntii per vos ad carissimi in Christo filii nostri Regis Castelle ac Legionis illustris presentiam destinati, necnon et causas ac modum per quos inter carissimum in Christo filium nostrum .. regem Francorum illustrem et ipsum regem Castelle possent pacis federa efficacius reformari plene ac sollicite descripserunt, super quo diligentiam vestram et studium multipliciter acceptantes in Domino commendamus. Sane dum dampna et pericula gravia que religioni christiane ingerit periculosa inter eosdem reges excitata discordia meditamur, dum utilitates et comoda que inter ipsos Deo auspice reformanda concordia repromittit attente pensamus, adeo affectus accenditur, adeo cor nostrum in meditationis sanctimonio concalescit ut ullo modo coscientia patiatur nos in incepti tractatus reconciliande inter dictos reges pacis prosecutione tepescere, assumptum remittere qualitercumque propositum vel nostris aut vestris in hoc oportunis laboribus indulgere. Verum nostis quod memoratus rex Francorum tanquam devotus princeps et benedictionis filius nostris persuasionibus acquiescens et primitias nostrarum precum per litteras nostras et memoratum fratrem Johannem sibi porrectarum effectu carere non sinens terminum de recolligendis aciebus suis a kalendis instantis usque ad kalendas subsequentis maji prorogavit, nichil interim, ut suis verbis utamur, aggressurus acerbum ad quod impellente ipsum inimicorum atrocitate non fuerit provocatus. Nec latere vos volumus quod sicut per litteras dilecti filii fratris Benevenuti ordinis Minorum, quem ad prefatum regem Castelle super eodem negotio duximus destinandum accepimus, idem rex Castelle multe in hoc devotionis exhibens argumenta nostris se offert in sepefato negotio acquiescere monitis ac parere mandatis. Et ad hoc plenius explicandum venerabilem fratrem nostrum episcopum Ovetensem cito nostris se presentaturum conspectibus ad nostram decrevit presentiam destinare, sicut hec per eundem fratrem B. qui se ad nos per Franciam rediturum in predictis litteris suis asseruit ad notitiam vestram pervenient, vel jam forsitan pervenerunt. Ex hiis itaque spe de clementia divina concepta quod auctor pacis et salutis amator opus imperfectionis ignorans qui jam regnum ipsorum animos ad talia inclinavit, quod cepit ipse perficiet et usque ad perfectum non solum preparatoria concordie inchoata inter reges eosdem sed et veram solidamque concordiam sua pietate perducet, a ceteris non putavimus desistendum presertim cum ante predictorum fratrum Johannis et Benevenuti ad nos reditum plene de hujus negotii circumstantiis instari non possumus et nos sicut scripsistis ad sepefatum regem Castelle nuntium miseritis iterato cujus responsionem secundum premissam ipsius fratris B. assertionem potestis cum meliori fiducia et omnino expedit expectare. Ideoque presentium vobis auctoritate mandamus quatinus nullo modo vos prosecutioni ejusdem negotii vos subtrahatis sed insistatis instanter donec denuo receperitis de beneplacito nostro mandatum. Si tamen negotium sepefatum vel per adventum memorati fratris B. vel per reditum predicti vestri nuntii ad eundem regem Castelle ulterius destinati seu alias ad eum statum sit forte reductum quod nullum in ipso periculum nullave disperationis conjectura possit ex absentia vestra timeri, volumus quod tu fili cardinalis ad Sedem Apostolicam redeas, tu vero fili magister sicut memoratus frater Johannes petiit ad generale capitulum dicti tui ordinis quod instat accedas, nostram finito eodem capitulo presentiam celeriter aditurus. Hoc autem conscientiis vestris committimus et eas exinde honeramus sperantes quod propter aliquam privatam occasionem nequaquam alicui discrimini tantum negotium exponetis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas maii, anno primo. »

242 Saint-Pierre, 4 avril 1278.

R. quondam Cantuariensi archiepiscopo ministerium cardinalis conferit, et eum Portuensi ecclesie in episcopum preficit. (Fol. 75; an I, Curiales, nº 23.)

« *Venerabili fratri R. quondam Cantuariensi archiepiscopo episcopo Portuensi*. Summus omnium magister et opi-

fex ore prophetico inquiens suscitabo tabernaculum David quod cecidit ac post pauca subjungens et ea que corruerant instaurabo, vicarios suos pro tempore futuros instruxit in ecclesia Dei reparare que decidunt, et ut necessarios ministros ipsius quos sortis humane fragilitas frequentius subtrahit et diutius manere non sunt remedio vicissitudinarie substitutionis instaurent, et hinc nos non sine multa mentis amaritudine recensentes sollempnes a paucis retro temporibus in sacrosancta Romana ecclesia cecidisse columpnas et multiplicatas in ipsa ex multorum cardinalem subtractione ruinas, illas pretactam secuti doctrinam cum fratribus nostris frequenti et propensa deliberatione prehabita implere studuimus in subtractorum vices aliis dilectis ut credimus et electis a Domino de ipsorum fratrum consilio subrogatis, ut eidem pie matri ecclesie pro patribus filii nascerentur quorum consilio dirigi possit in dubiis et fulciri suffragiis in adversis. Inter quos ad personam tuam quam virtutum Dominus multis virtutibus insignivit considerationis convertentes intuitum te ad onus hujusmodi ministerii duximus eligendum, et te a vinculo quo Cantuariensi tenebaris ecclesie absolventes de persona tua Portuensi ecclesie tunc vacanti duximus providendum, te in episcopum preficientes eidem, fraternitati tue non solum libere transeundi ad illam licentiam concedentes sed et presentium auctoritate mandantes quatinus onus dispositione apostolica humeris tuis impositum devote suscipiens hujusmodi provisioni nostre in humilitate spiritus sine cujusquam difficultatis obice acquiescas et ad presentiam nostram absque dispendio morose tarditatis accedas una nobiscum divinis obsequiis et universalis ecclesie servitiis vacaturus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas aprilis, anno primo. »

243 Saint-Pierre, 23 avril 1278.

Jeronimo quondam fratrum Minorum ordinis generali ministro nunciat se eum in presbyterum cardinalem ecclesie Romane assumendum duxisse; monet eum ut nichilominus negotium sibi et magistro Joanni ordinis fratrum Predicatorum commissam prosequatur. (Fol. 75; an I, Curiales, n° 24; Potthast 21309.)

« *Jeronimo quondam fratrum Minorum ordinis generali ministro sancte Romane Ecclesie presbitero cardinali.* Summus omnium magister —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIIII kalendas maii, anno primo. »

244 Saint-Pierre, 23 avril 1278.

Eidem committit ut procurationes, provisiones ac subventiones de securo conductu pro se et socio suo archiepiscopis et aliis imponat et exigat, cum ad altiorem statum vocatus ampliori familia et majoribus sumptibus indigeat. (Fol. 75, an I, Curiales, n° 25; Potthast 21311.)

« *Eidem.* Cum olim felicis —. Dat. ut supra. »

245 Saint-Pierre, 23 avril 1278.

Infrascriptis mandat quatinus, cum ex parte Jeronimi cardinalis vel eorum quibus id duxerit committendum fuerint requisiti, tam in procurationibus quam de securo conductu et equitaturis juxta mandatum ipsius eis liberaliter provideant. (Fol. 75 v°; an I, Curiales, n° 26.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis abbatibus etc. ut in alia usque Calatravensis et Velensis ad quos littere iste pervenerint.* Salutem, etc. Cum olim felicis recordationis Johannes papa predecessor noster dilectum filium nostrum Jeronimum quondam Minorum fratrum ordinis generalem ministrum sancte Romane ecclesie presbiterum cardinalem ac fratrem Johannem magistrum ordinis Predicatorum pro quibusdam ipsius ecclesie negotiis destinasset ipsosque per suas sub certa forma litteras mandavisset a vobis in eundo, morando et redeundo in vestris domibus honore condigno suscipi et pro suis ac suorum necessariis certam quantitatem pecunie die quolibet exhiberi, ac nichilominus provideri eis de securo conductu cum ex parte ipsorum requisiti essetis et de equitaturis etiam subveniri, nosque postmodum predictis cardinali tunc predicti ordinis Minorum generali ministro et magistro nostras litteras duxerimus dirigendas, ut executioni dictorum negotiorum insisterent, juxta formam ipsis a predecessore traditam memorato, et demum considerantes quod cum memoratum cardinalem ecclesia eadem ad statum provexerit altiorem, ampliori familia et majoribus sumptibus indigebit, ac de circumspectione sua gerentes fiduciam in Domino pleniorem, tibi per alias nostras litteras duxerimus committendum ut procurationes sibi et predicto magistro pro premissis necessariis necnon et provisionem ac subventionem de securo conductu et equitaturis exhibendas a vobis per se vel per alium seu alios vobis imponat et exigat ac imponi et exigi faciat, prout sua discretio viderit expedire, committendo in premissis, si magistrum eundem ab ipso separari contingat, alicui persone ydonee vices suas que eidem magistro sueque familie de necessariis conductu et subventione predictis studeat providere. Non obstantibus etc. usque mentionem. Universitatem vestram rogamus, monemus et hor-

tamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus cum ex parte dicti cardinalis vel eorum quibus id duxerit committendum fueritis requisiti, tam in procurationibus quam de securo conductu et equitaturis hujusmodi juxta mandatum ipsius cardinalis vel illius seu illorum quibus id commiserit eis curetis liberaliter providere. Alioquin sententias quas idem cardinalis per se vel per alium seu alios tulerit in rebelles ratas habebimus et faciemus etc. usque observari. Dat. ut supra. »

246 Saint-Pierre, 29 avril 1278.

Petro dicto Sarraceno capellano sue rectoriam Masse Trabarie, que est sedis apostolice specialis, in spiritualibus et temporalibus committit. (Fol. 75 v°; an I, Curiales, n° 27.)

« *Petro dicto Sarraceno capellano nostro Masse Trabarie rectori.* Tradite tibi virtutes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III kalendas maii, anno primo. »

In eundem modum clero et populo Masse Trebarie mandat quatinus eundem devote recipientes et honeste tractantes, ei tanquam rectori suo humiliter et efficaciter intendant, eidem de procurationibus et aliis ecclesie Romane juribus prout responderi aliis rectoribus ejusdem Masse consuevit hactenus integraliter responsuri. Dat. ut supra.

247 Saint-Pierre, 28 avril 1278.

Potestati, consilio et communi castri Sancti Sepulcri mandat quatinus castra, jura et possessiones ecclesie Romane ab eis occupata Petro dicto Sarraceno, rectori Masse Trabarie obsoluta et libera dimittentes, lignamina que in Massa Trabaria basilice principis apostolorum de Urbe debentur succidi et asportari non faciant. (Fol. 76; an I, Curiales, n° 28; Potthast 21312.)

« *.. potestati, consilio et communi castri Sancti Sepulcri.* Commissi nobis officii —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum IIII kalendas maii, anno primo. »

248 Saint-Pierre, 28 avril 1278.

Petro dicto Sarraceno rectori Masse Trabarie mandat quatinus predicta bona, legitimis rectorum Masse habitis in hac parte servatis processibus, ad jus et proprietatem ecclesie Romane legitime revocare procuret. (Fol. 76; an I, Curiales, n° 29; Potthast 21313.)

« *Petro dicto Sarraceno capellano nostro rectori Masse Trabarie.* Ad audientiam nostram —. Dat. ut supra. »

249 Saint-Pierre, 28 avril 1278.

Eidem mandat quatinus infrascripta castra, si ipsi constiterit ea ad ecclesiam Romanam pertinere, ad manus suas recipiat et faciat fideliter custodire. (Fol. 76; an I, Curiales, n° 30; Potthast 21314.)

« *Eidem.* Cum abbatis de Tedaldis, Cucholi, Sancti Paterniani, Roffelle, Montis Botulmi, Frisciani, Caprelis, Arsici, Vallis Candeliani, Gufane, Catesti, Palatii Bencolini, Palatii Cazanimici, Vallis Bonone, Penne Scalochke, Riparum Tuimis, abbatie Pelli, Sancti Angeli in Vadi, Paganici, Pyaniani, Gatarie, Billi, Penne Scaulini, Scanni, Autici, Sancti Laurentii, Laudeti, Libiani, Torcelli, Maxani, Ugnumi et Sancte Agathes castra ad ecclesiam Romanam spectantia a nonnulla occupata —. Dat. ut supra. »

250 Latran, « in die Cene Domini », 14 avril 1278.

Omnes sententias in Papienses, Veronenses, marchionem Montis Ferrati et Astenses ob eorum excessus et contumacias a predecessoribus suis latas confirmat et innovat, eis pro peremptorio termino assignans dominicam festum Ascensionis Domini primo venturum proxime procedentem, ut satifactionem plenariam impendant. (Fol. 76; an I, Curiales, n° 31.)

« *Processus habitus in die Cene Domini contra Papienses, Veronenses, marchionem Montisferrati et Astenses ad perpetuam rei memoriam.* In potestates, capitaneos, consiliarios, cives et communia Papiensis et Veronensis civitatum primo felicis recordationis Clemens et postmodum recolende memorie Gregorius decimus, Innocentius quintus et Johannes vigesimus unus Romani pontifices predecessores nostri suis videlicet quibuscunque temporibus tam in illos quam in nobilem virum Guillelmum marchionem Montisferrati, potestatem, consiliarios, officiales, cives et commune civitatis Astensis propter eorundem graves excessus et contumacias diversas excommunicationis et interdicti sententias protulerunt. Variis insuper penis adjectis et processibus habitis contra eos et demum memoratus predecessor Johannes in festo Ascensionis Domini transacto novissime quia tractatus cum nuntiis et procuratoribus nobilis, potestatum, capitaneorum, consiliariorum, officialium, civium et communium predictorum tunc temporis habitus de ipsorum reditu ad ecclesie gremium et de satisfactione per eos super eisdem excessibus et contumaciis exhibenda necnon et de parendo mandatis ipsius predecessoris Johannis et ecclesie super illis sic jam videbatur esse dispositus, ut finem celerem et acceptabilem promittere videretur, idem

predecessor Johannes cum suis deliberavit fratribus circa processus eosdem non esse in festo predicto aliquid immutandum. De ipsorum fratrum consilio statuens ut eisdem processibus nichilominus in sua firmitate manentibus nisi supradicti nobilis, potestates, capitanei, consiliarii, officiales, cives et communia super memoratis contumaciis et excessibus ad eorundem predecessoris et ecclesie mandata redirent et beneplacitis suis precise parerent, contra eos quandocunque videret expediens perinde absque nove citationis edicto posset procedere sicut nullo super premissis tractatu habito potuisset, prout hec omnia in predictis eorundem predecessorum processibus plenius continentur. Licet itaque prout eorundem processuum qualitas indicat contra memoratos nobilem, potestates, capitaneos, consiliarios, officiales, cives et communia propter premissos eorum excessus et contumatias alius videretur processus habendus pro eo quod nondum efficaciter ad ejusdem ecclesie mandata redire ipsiusve beneplacitis parere curarunt, quanquam aliqui pro eis verba facientes se hiis diebus in Romana curia presentarunt, nos tamen a mansuetudine processuum nostrorum sumentes initium et experiri volentes an eos superveniens mansuetudo corripiat, non novas ipsis penas inferimus vel in ipsos sententias promulgamus, sed eos ad salutem ne in tam antiquatis offensis et contumaciis in animarum suarum torpentes dispendium in morte obdormiant excitantes, prefatos eorundem predecessorum processus et sententias approbamus, dictosque nobilem, potestates, capitaneos, consiliarios, officiales, cives et communia denuntiamus statutis per eosdem predecessores penis et prolatis contra eos sententiis subjacere; ipsosque presente hac fidelium multitudine copiosa monemus ut infra dominicam festum Ascentionis Domini primo venturum proxime procedentem, quam eis pro peremptorio termino assignamus, ad nostra et ejusdem ecclesie mandata humiliter redeant et super dictis excessibus et contumaciis beneplacitis nostris precise pareant, ac de illis plenariam satisfactionem impendant. Alioquin extunc contra eos non solum premissos eorundem predecessorum processus exequi Domino favente curabimus, sed et alias gravius, spiritualiter et temporaliter, prout expediens fore putabimus procedemus. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem in Lateranensis basilice appendi vel affigi hostiis, seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt. Ita quod hii quos processus ipse contingit nullam postea possint excusationem pretendere quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum in palatio nostro Lateranensi in die Cene Domini, pontificatus nostri anno primo. »

251 Latran, « in festo Ascensionis Domini, » 26 mai 1278.

Nuntiis eorundem, qui apostolice sedis se conspectui presentarunt, cum de negotiis ipsorum intendere nondum nequiverit, mandat ut sine licentia sedis apostolice de curia non recedant; decernit predictos predecessorum processus et suum, ac omnia contenta in eis, in suo robore permanere. (Fol. 76 v°; an I, Curiales, n° 32.)

« *Processus habitus contra eosdem in festo Ascensionis Domini ad perpetuam rei memoriam.* Nuper in die Cene Domini transacto novissime diversas excommunicationis et interdicti sententias in potestates, capitaneos, consiliarios, officiales, cives et communia Papiensis et Veronensis civitatum, primo per felicis recordationis Clementem et postmodum per recolende memorie Gregorium, Innocentium et Johannem Romanos pontifices predecessores nostros, tam in illos quam in nobilem virum Guillelmum marchionem Montisferrati, potestatem, consiliarios, officiales, cives et commune civitatis Astensis, exigentibus eorundem gravibus excessibus et contumaciis, promulgatas, et processus alios per predecessores ipsos contra eos habitos approbantes, memoratos nobilem, potestates, capitaneos, consiliarios, officiales, cives et communia denuntiavimus prolatis per dictos predecessores contra eos sententiis subjacere; ipsosque presente tunc fidelium multitudine copiosa monuimus ut infra diem dominicum proximo preteritum, quem eis pro peremptorio termino duximus assignandum, humiliter ad nostra et ecclesie mandata redirent, super dictis excessibus et contumaciis precise nostris parituri beneplacitis et de illis satisfactionem plenariam impensuri. Alioquin extunc contra ipsos non solum eorundem predecessorum processus exequi, sed et alias gravius spiritualiter et temporaliter, prout fore putaremus expediens, procedere curaremus, sicut hec omnia in processibus per eosdem predecessores et nos super premissis habitis plenius continetur. Sane quidam eorum nuntii ante predictum diem dominicum cum mandatis ut dicunt ad ea que offerunt sufficientibus sedis apostolice se conspectui presentarunt, offerentes ex parte ipsorum illos et se illorum nomine paratos satisfacere de predictis excessibus ac super illis nostris et ejusdem ecclesie mandatis humiliter et devote parere. Sed quia nos hiis intendere nequivimus, multis

et arduis occupati, cum fratribus nostris deliberatione prehabita de ipsorum consilio contra ipsos ad presens licet incertus sit premisse oblationis exitus non putavimus procedendum. Quia vero cum id facultas indulxerit intendimus efficaciter eorum expeditioni vacare, ipsis nuntiis hac multitudine fidelium presente districte mandamus ut a nobis licentia non obtenta de nostra curia non recedant. Nos enim de fratrum eorundem consilio decernimus per hoc predictis processibus dictorum predecessorum et nostro in nullo penitus derogari, sed ipsos ac omnia et singla contenta in eis in suo prorsus robore permanere, ut prefatis nuntiis implentibus ea que offerunt, nos illis redeuntibus ad sinum ejusdem matris ecclesie ocurramus apertis paterne caritatis brachiis in amplexum. Alioquin sive a nobis licentia non obtenta recedant sive alias oblata non impleant, cum per hoc eventus doceat ipsos nobis voluisse potius illudere quam parere absque nova citatione quandocunque viderimus expedire contra predictos nobilem, potestates, capitaneos, consiliarios, officiales, cives et communia perinde procedere valeamus, sicut et nunc procedi nullis precedentibus oblationibus sed illis in sua contumacia persistentibus potuisset. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in presentis basilice principis Apostolorum appendi vel affigi hostiis sive superliminaribus faciemus, que processum ipsum sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ita quod hii quos processus ipse contingit nullam postea possint excusationem pretendere quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quod ad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum in predicta basilica in festo Ascensionis Domini, anno primo. »

252 Monterosi, 15 juin 1278.

Fratri Laurentio de Tuderto ordinis fratrum Predicatorum mandat quatinus comitem Guidonem de Montefeltro, cives Forolivienses ac extrinsecos Bononienses eorumque complices ab invasione et molestatione civitatis Ravennatensis ejusque districtus per censuram ecclesiasticam coerceat. (Fol. 77; an I, Curiales, nº 33; Potthast 21336.)

« *Fratri Laurentio de Tuderto ordinis fratrum Predicatorum.* Sicut nuper ad —. Dat. apud Montemrosulum, XVII kalendas julii, anno primo. »

253 Viterbe, 20 juin 1278.

Giffrido de Anagnia et fratri Johanni de Viterbio mandat quatinus cives Bononienses et alios incolas partium Romaniole ab hostilibus congressibus retrahant atque ad pacis consilia inducant. (Fol. 77; an I, Curiales, nº 34; Potthast 21339.)

« *Giffrido de Anagnia decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis capellano nostro et fratri Johanni de Viterbio ordinis fratrum Predicatorum.* Cum vos ad civitatem —. Dat. Viterbii, XII kalendas julii, anno primo. »

254 Viterbe, 20 juin 1278.

Eisdem mandat quatinus cives et incolas predictos, qui se a recognitione dominii ecclesie Romane subtraxerint, per censuram ecclesiasticam compellant quod ab hostilibus congressibus conquiescant. (Fol. 77; an I, Curiales, nº 35.)

« *Eisdem.* Sicut nuper ad nostrum pervenit auditum, in civitate Bononiensi et partibus Romaniole nondum preteritarum turbationum cicatricibus solidatis inibi animorum rancores excrescunt, et ne cives Bononienses, comites, barones, nobiles et communitates civitatum et locorum partium earundem vel eorum aliquis ad hostilem congressum prosiliant verisimiliter dubitatur. Unde cum vos ad informandum cives ipsos ac incolas partium predictarum ad recognoscendum dominium Romane matris ecclesie destinemus et cupiamus plenis affectibus quod ibidem pacis vigeant ubertates, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus si aliquis ex predictis civibus et incolis ad recognitionem ipsius dominii vestris instructionibus se duxerint conformandos, reliquos qui se a predicta recognitione subtraxerint, et quoscunque in hoc complices et adjutores eorum aut assistentes eisdem, quod ab hujusmodi congressibus atque impugnationibus penitus conquiescant per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Dat. ut supra. »

255 Viterbe, 20 juin 1278.

Eisdem mandat quatinus cives et incolas predictos, quos informare debent ad recognoscendum dominium Romane ecclesie, et quoscumque complices et adjutores eorum ab hostilibus congressibus retrahant. (Fol. 77 vº; an I, Curiales, nº 36.)

« *Eisdem.* Sicut etc. ut in proxima superiori usque mandamus quatinus eos et quoscunque in hoc complices et adjutores eorum aut assistentes eisdem, juxta datam

vobis a Domino gratiam placetis eorum animis, ab hujusmodi congressibus atque impugnationibus retrahatis. Contradictores etc. usque compescendo. Sic itaque in premissis vos gerere studeatis quod exinde diligentie vestre studium possimus non immerito commendare. Dat. ut supra. »

256 Viterbe, 22 juin 1278.

Fratri Johanni de Viterbio mandat quatinus ad partes Romaniole personaliter se conferat, ejusque incolas ad recognitionem dominii Romane ecclesie reducat. (Fol. 77 v°; an I, Curiales, n° 37; Potthast 21543.

« *Fratri Johanni de Viterbio ordinis Predicatorum nuntio nostro*. Ad partes Romaniole —. Intendentes igitur ut iidem incole abjectis quibuslibet hesitationibus infra brachia ejusdem ecclesie sub ejus vero dominio quod ad eandem ecclesiam pertinet prosperentur, volumus quod illi ex eisdem incolis quos requirendos in hac parte cognoveris tibi recognitione ipsius dominii pro nobis et ecclesia predicta et aliis que circa premissa eisdem ex parte nostra retuleris acquiescant, ut nos in hoc digne letati de statu ipsorum in posterum sicut ad nos principaliter pertinet salubrius dante Domino disponamus. Tu vero ad partes easdem personaliter conferens sic eosdem incolas ad recognitionem dicti dominii clara monitione reducas et ad premissa circumspectione provida diligenter intendas quod possis exinde merito commendari, que de hiis inveneris nobis in tuo reditu fideliter relaturus. Dat. Viterbii, x kalendas julii, anno primo. »

In eundem modum Giffrido de Anagnia decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis, capellano et nuntio nostro.

257 Viterbe, 22 juin 1278.

Potestati, capitaneo, consilio et communi Foroliviensibus mandat quatinus fratris Johannis de Viterbio monitis et informationibus adherentes se promptos exhibeant ad recognoscendum ecclesie Romane dominium. (Fol. 77 v°; an I, Curiales, n° 38; Potthast 21342.

« Iste littere sunt quas portavit frater Johannes de Viterbio.

» *Potestati, .. capitaneo, consilio et communi Foroliviensibus*. Levantes in circuitu oculos nostros ad singulas que nostris incumbunt humeris ex debito commissi nobis officii tenemur in quantum patitur humana conditio aciem nostre mentis extendere, sed circa conservationem jurium Romane matris Ecclesie cui licet immeriti presidemus intendere, ac ad filios nobis prerogatam specialitatis adjunctos precordia nostra convertere nos precingit cura sollicita invitat affectus et viget instantius debitum apostolice servitutis ut eadem jura refloreant, devotorum mentes quietis ubertate succrescant, devotione fecundent et in eis eadem ecclesia delectetur, profecto civitatem vestram et nonnulla alia terras et loca partium Romaniole que sub propriis et specialibus ad presens non duximus exprimenda nominibus cum generali vocabulo Romaniola hoc tempore nuncupentur ac eorum incolas ipsi ecclesia immediate subesse ipsorumque dominium ad eandem ecclesiam pertinere longa Romanorum imperatorum declaravit antiquitas, continuavit ipsorum providentia principum et carissimus in Christo filius noster R. rex Romanorum illustris, predictorum imperatorum super hiis acta recognoscens et recognoscendo confirmans ea omnia ipsi Romane ecclesie de novo concessit atque donavit prout in nonnullis eorundem principum et regis scripturis autenticis, idem confectis plenius continetur. Et licet sicut accepimus cancellarius regis ejusdem seu quivis alius a vobis et predictorum terrarum ac locorum incolis certa intrata sine dicti regis, prout a nonnullis asseritur, conscientia vel mandato sibi ejusdem regis nomine vel ipsi regi fecerint exhiberi, dictus tamen rex quidquid contra predictas declarationes, recognitiones, concessiones atque donationes seu aliqua predictorum per ipsum regem seu ejus nuntios vel officiales suo mandato vel nomine seu quemcumque alium vel alios quocumque modo, quacumque via factum esset vel promissum sive juratum revocavit, cassavit, anullavit, irritavit et omnibus viribus vacuavit, volens et expresse consentiens quod tam circa possessionem quam circa proprietatem per hoc nullum sibi jus in predictis accresceret, vel in aliquo predictorum ipsi ecclesie deperiret, concessit insuper atque consensit quod eadem ecclesia per se ac alios accipiat, nanciscatur, intret et apprehendat absque ulla ipsius regis requisitione, auctoritate vel mandato, obtentis sive petitis possessionem et omnium predictorum et eorum que pertinent ad predicta, promittens quod ipse per se vel per alium seu alios non impediet prefatam ecclesiam in predictis sed etiam in omnibus prefatis tam adipiscendis quam tenendis et habendis suo posse perpetuo adjuvabit ac nichilominus per procuratorem suum plenum ad hoc exhibentem mandatum predicta omnia et singula in nostra et fratrum nostrorum presentia et aliorum multitudine copiosa publice et sollempniter innovavit, sicut apparet publicis et authenticis documentis. Digne igitur ad vos et alios par-

tium earundem nostros et ipsius ecclesie filios speciales nostra studia convertentes, vos et ipsius ecclesie jura favoribus conservare proponimus, favere presidiis et a dispendiis preservare ut vobis et aliis incolis predictis in gremio recumbentibus ecclesie memorate dicta letetur ecclesia, jura ipsa fructificent, devotio vestra concrescat et exclusis animorum hesitationibus quibus languisse percipimus vos et incolas supradictos vobis et illis obtate tranquillitates adveniant ac fugatis omnibus que nubilo premissa contexerant ea jura et devotio perfecta reluceant claritate. Cupientes quoque quod in hac parte nostris desideriis divina cooperante clementia satisfiat, dilectum filium fratrem Johannem de Viterbio, ordinis fratrum Predicatorum, latorem presentium, de cujus fidelitate ac circumspectione confidimus, duximus destinandum, devotionem vestram paternis monitis excitantes ac vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes quatinus informationibus dicti fratris vestros animos in plena quiete spirituum applicantes sic actus et sensus vestros ac aliorum earundem partium quantum in vobis extiterit ad recognoscendum ejusdem ecclesie dominium promptis spiritibus accingatis quod ipsa vestre promptitudinis exhibitio grata nobis auspicia de vestra devotione ministrat vosque in pectore nostri filios devotionis ascribat paternis benedictionibus confovendos nec patiamini dissentibili varietate convinci, nam si quod absit contrarium sentiremus, compelleremus et merito per alias vias quibus expedire viderimus manum apostolice provisionis extendere ad prosecutionem et conservationem jurium eorundem, cum ad id ex incumbente nobis officio teneamur. Dat. Viterbii, x kalendas julii, anno primo. »

Viterbe, 20 juin 1278.

In eundem modum .. potestati, .. capitaneo, consilio et communi Foropopuliensibus. Dat. XII kalendas Julii.

Viterbe, 22 juin 1278.

In eundem modum potestati, consilio et communi Cesanatensium.

In e. m. .. potestati, consilio et communi Faventie.

In e. m. .. potestati, consilio et communi castri Brittenorum.

In e. m. .. potestati, consilio et communi Ariminensibus.

In e. m. .. potestati, consilio et communi Cerviensibus.

In e. m. .. Bononiensibus extrinsecis. Dat. Viterbii, X kalendas Julii.

Viterbe, 20 juin 1278.

« Istas litteras inferius positas portavit Giffridus decanus ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis.

In e. m. .. potestati, .. capitaneo, consilio et communi Bononiensibus. Dat. XII kalendas Julii.

In e. m. .. potestati, .. consilio et communi Ravenne.

In e. m. Faventinis, Foroliviensibus et Cesanatensibus extrinsecis.

In e. m. .. potestati, .. capitaneo, consilio et communi Bagnacavalli. »

258 Viterbe, 22 juin 1278.

Giffrido, de Anagnia capellano et nuntio suo mandat quatinus civitatis Bononiensis incolas ad recognoscendum ecclesie Romane dominium sollicitis studiis dirigat et instruat efficaciter. (Fol. 78; an I, Curiales, n° 39; Potthast 21344.)

« *Goffrido de Anagnia decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis capellano et nuntio nostro.* Levantes etc. —. Dat. Viterbii, x kalendas julii, anno primo. »

In eundem modum fratri Johanni de Viterbio, ordinis Predicatorum, nuntio nostro.

259 Viterbe, 4 juillet 1278.

Giffrido de Anagnia et fratri Johanni de Viterbio mandat quatinus, si Guido de Monteforte velit indebite regimini Bononiensis civitatis preesse, ordinare procurent quod nullus de gente C. regis cum ipso Guidone tractatum aliquem partiatur. (Fol. 78; an I, Curiales, n° 40.)

« *Giffrido de Anagnia decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis capellano nostro et fratri Johanni de Viterbio ordinis fratrum Predicatorum.* Pridem in egressu nostro de Urbe, postquam carissimus in Christo filius noster C. rex Sicilie illustris se a nostra presentia separarat, per dilectum filium nobilem virum Bertoldum de filiis Ursi civem Romanum nobis sicut bene recolimus intimavit quod nobilis vir Johannes de Monteforti erat in capitaneum Bononiensis civitatis assumptus nec in hoc de Guidonis de Monteforti capitania, ducatu, comitiva vel assistentia tractabatur. Super quo idem rex nostrum beneplacitum requisivit, ad quod per eundem Bertoldum sibi respondimus quod cum ad recuperationem jurium que in eadem civitate ac aliis partibus Romaniole nobis et ecclesie Romane competunt plenis studiis vacaremus, illaque nancisci apprehendere ac recuperare divina cooperante clementia curaremus et disposuissemus propter hoc ad partes illas speciales nuntios destinare, dictus rex cum solite circumspectionis industria provideret, quod nichil fieret quod intentioni nostre in premissis posset obsistere vel scrupulum alicujus hesitationis afferre, hoc providentie regis ejusdem

velut zelatori honoris ipsius ecclesie fiducialiter committentes. Digne itaque miramur nec indigne turbamur, quod sicut nuper ad nostrum pervenit auditum predictus Johannes vocaliter capitanie nomen gerere a Bononiensibus dolose confingitur, cum re vera prefatus Guido in via cujusdam presumpte assistentie predictis Bononiensibus dicatur esse prefectus, quod ex eo dicitur apparere, quia idem Guido qui suis nephandis notis excessibus gravissime dudum ipsius ecclesie viscera concitavit et per eamdem talium honorum ac similium suis culpis exigentibus sententialiter redditus est indignus sub simulato velamine societati dicti Johannis ingeritur, ut hujusmodi preficiatur vel presit regimini aut una cum dicto Johanne idem regimen prosequatur. Unde cum hoc si fieret non absque predicti regis multo dedecore in nostram et ipsius ecclesie injuriam et contemptum multipliciter redundaret nobisque merito displiceret nec id prosecutioni eorundem jurium expediret nec etiam deceat quod nos tali pretextu aliquibus anfractibus involvamur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, si dictus Guido hujusmodi societati se vellet ingerere vel eidem preesse regimini aut alias circa premissa per ejus astutiam machinari quod sua presentia in illis partibus haberetur, per vos vel per alium seu alios ordinare sollicite procuretis quod nullus de gente predicti regis eundem Guidonem associet, nec secum super hiis vel horum occasione tractatum aliquem partiatur, sed eum ad hec forsan admissum abjiciant et penitus ipso dimisso vel eo quomodolibet in illis partibus remanente ad prefatum regem gens ipsa ut melius dictus Guido excludi valeat revertatur, ad dictum Guidonem vel ad partes ipsas cum eo vel ipso inibi remanente nullatenus reversura seu etiam moratura, in transgressores si qui fuerint excommunicationis sententiam promulgando et si opus extiterit predictam Bononiensem seu quascumque alias civitates, terras, et loca in quibus Guidonem et transgressores eosdem morari vel ad que ipsos pervenire contigerit subjiciendo nichilominus ecclesiastico interdicto, rescripturi nobis fideliter quicquid in premissis duxeritis faciendum. Dat. Viterbii, IIII nonas julii, anno primo. »

260 Viterbe, 8 juillet 1278.

Jeronimo presbitero cardinali mandat quatinus, donec circa id aliter provisum extiterit officio ministri generalis ordinis fratrum Minorum semper vacet « et illud ac ea que ad ipsum pertinent plene ac libere et specialiter circa dispositionem loci et temporis celebrandi capituli generalis prout ad laudem Dei et quietem dicti ordinis expedire » cognoverit, exequatur. (Fol. 78; an I, Curiales, n° 41; Potthast 21356.)

« *Dilecto filio Jeronimo presbytero cardinali.* Prudentie tue circumspectam —. Dat. Viterbii, VIII idus julii, anno primo. »

261 Viterbe, 15 juillet 1278.

Regi Francie significat se pro pace inter eum et regem Castelle firmanda Gerardum basilice duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem ad civitatem Tholosanam destinare, ita quod circa festum beati Luce inibi presentiam suam exhibeat, ac Jeronimus presbiter cardinalis et Joannes electus Jerosolimitanus nuncii apostolici cum eodem conveniant, ut comparentibus solemnibus nunciis utriusque regis pacis negotium prosequantur; eundem obsecrat quatinus nuncios, super toto negotio, specialiter super treugua et vista super quibus aliquis tractatus est habitus plene instructos, et ad omnia in eodem negotio necessaria sive utilia plenum a sua celsitudine mandatum habentes mittere non omittat. (Fol. 78 v°; an I, Curiales, n° 42; Potthast 21359.)

« .. *regi Francie illustri.* Jacta per inimicum —. Dat. Viterbii, idibus julii, anno primo. »

262 Viterbe, 15 juillet 1278.

Eadem regi Castelle ac Legionis significat. (Fol. 79; an I, Curiales, n° 43.)

« .. *regi Castelle ac Legionis illustri.* Jacta per inimicum —. Et quia non sine amaritudine paterne compassionis audivimus te infirmitate gravari, cupientes hujusmodi negotio in omnem eventum prout possumus providere, iterate adicimus exhortationis et persuasionis instantiam ut si te forsan in hujusmodi nuntiis destinandis impediri contingat, dilectus filius nobilis vir Sanctius natus tuus ipsos in forma simili studeat destinare. Nos enim in predictis —. Dat. ut supra. »

263 Viterbe, 15 juillet 1278.

Jeronimo cardinali et Johanni electo Jerosolimitano mandat quatinus civitatem Tholosanam tempore competenti adeuntes prosecutioni pacis diligenter vacent. (Fol. 79; an I, Curiales, n° 44.)

« *Dilectis filiis Jeronimo quondam fratrum ordinis Minorum generali ministro, sancte Romane ecclesie presbitero*

cardinali et Johanni olim fratrum ordinis Predicatorum magistro electo Jerosolimitano. Jacta per inimicum —. Volumus et presentium vobis auctoritate mandamus quatinus civitatem eandem tempore competenti ista quod in festo predicto ibi personaliter intersitis, adire curetis, una cum memorato cardinali, prosecutioni ejusdem negotii cum quanto poteritis diligentia et sollicitudine vacaturi. Dat. ut supra. »

264 Viterbe, 3 août 1278.

S. tituli Sancte Cecilie, presbitero cardinali apostolice sedis legato mandat quatinus ad concordiam reformandam inter reges Francie et Castelle diligentem operam intendat et eundem regem Francie in pacis semitas dirigat, directumque consecret, specialiter persuasurus ei, ut hujusmodi nuncios juxta prescriptam formam mittere non omittat. (Fol. 79, an I, Curiales, nº 45; POTTHAST 21381.)

« *S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Superseminata per inimicum —. Dat. Viterbii, in nonas augusti, anno primo. »

265 Sans date (1).

Giffrido de Anagnia et fratri Johanni de Viterbio mandat quatinus procurent quod potestas, capitaneus, consilium et commune Bononienses omnes promissiones per syndicos suos in Urbe solemniter factas publice ratificent. (Fol. 79 vº; an I, Curiales, nº 46.)

« *Giffrido de Anagnia decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis capellano nostro et fratri Johanni de Viterbio ordinis fratrum Predicatorum.* Expedit vestram non latere notitiam quod omnipotens Dominus ecclesiam suam oculo benigno respitiens et filiis suis intellectum exhibens veritatis, nuper dilecti filii .. potestas, .. capitaneus, consilium et commune Bononienses, nostri et ecclesie Romane fideles speciales syndicos ad nostram presentiam destinarunt, qui coram nobis et fratribus nostris presentialiter constituti vice ac nomine potestatis, capitanei, consilii et communis eorundem pro ipsa civitate, territorio ac districtu ipsius et pro universis et singulis predictorum civitatis, territorii ac districtus nostrum et ejusdem ecclesie recognoverunt dominium et nobis juramentum fidelitatis debite prestiterunt, promittentes expressius quod iidem potestas, capitaneus, consilium et commune ac universi et singuli supradicti perpetuis temporibus nos ac successores nostros et predictam ecclesiam veros dominos recognoscent et confessi sunt nichilominus civitatem Bononiensem et totale territorium ac districtum eadem (*sic*) ad beatum Petrum celestis regni clavigerum et ad nos et successores et ecclesiam eosdem pleno jure ac integre in temporalibus in solidum pertinere ac nostri successorum et ecclesie predictorum pleni dominii, ditionis, juris, jurisdictionis, potestatis ac principatus existere, premissa omnia in perpetuum servaturi. Quocirca mandamus quatinus vos vel alter vestrum sollicitis studiis procuretis quod iidem potestas, capitaneus, consilium et commune ac universi et singuli supradicti predicta omnia facta per syndicos memoratos juxta formam quam per dilectum filium magistrum Guillelmum Durandi capellanum nostrum et fratrem Laurentium de Tuderto ordinis fratrum Predicatorum vobis transmittimus in eadem civitate in contione publica ad sonum campane vel vocem preconis more solito congregata per syndicum tunc presentem ibidem legitime ac publice propter hoc specialiter ordinatum et singulariter omnes in eadem civitate ac aliis locis territorii et districtus eorundem cum hoc specialiter inter nos et syndicos eosdem actus extiterit publice ratificent et acceptent ea nichilominus tam per syndicos quam per singulos innovando et in personis propriis de novo simpliciter et absolute per omnia faciendo, eaque se plenarie impleturos et inviolabiliter servaturos vobis vel alteri vestrum nostro et ecclesie prefate nomine sollempni stipulatione promittant ita quod devotionem ipsorum erga nos et eandem ecclesiam succrescere cognoscamus vosque possitis exinde merito commendari. Quicquid autem super hiis duxeritis faciendum una cum tenore presentium redigi faciatis in publica documenta eadem ad nostram delaturi presentiam vel nobis per fidelem nuntium transmissuri. Dat. (*sic*). »

266 Sans date.

Idem mandat eisdem pro potestatibus, capitaneis, consiliariis, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et locorum partium Romaniole, ecclesie Romane fidelibus, quorum speciales syndicos nuper recepit. (Fol. 80; an I, Curiales, nº 47.)

« *Eisdem.* Expedit etc. Dat. ut supra. »

267 Sans date.

Idem mandat pro Bononiensibus Giffrido de Anagnia et Gui-

(1) Les bulles 265 à 272 ne sont pas datées. Elles doivent être, comme les bulles voisines, des premiers jours d'août 1278.

lielmo Duranti capellanis suis ac fratribus Johanni de Viterbio et Laurentio de Tuderto. (Fol. 80; an I, Curiales, nº 48.)

« *Dilectis filiis Giffrido de Anagnia, decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis et Guillielmo Duranti capellanis nostris ac fratribus Johanni de Viterbio et Laurentio de Tuderto ordinis fratrum Predicatorum.* Expedit etc. sicut in prima usque mandamus quatinus vos vel tres aut duo seu unus vestrum etc. usque juxta formam quam vobis filii Guillelme et Laurenti dedimus in eadem civitate etc. »

Idem mandat eisdem pro aliis civitatibus partium Romaniole.

« *Eisdem.* Expedit etc. sicut in secunda usque mandamus quatinus vos vel tres aut duo seu unus vestrum etc. usque in finem. »

268 Sans date.

Potestati, capitaneo, consilio et communi Bononiensibus significat se ad partes ipsorum L. Ostiensem et Velletrensem episcopum, apostolice sedis legatum, Giffridum de Anagnia et Guillelmum Duranti capellanos suos, fratres Johannem de Viterbio et Laurentium de Tuderto destinasse; eis mandat quatinus monitis ipsorum diligenter pareant. (Fol. 80; an I, Curiales, nº 49.)

« *Dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo, consilio et communi Bononiensibus ac universis per territorium et districtum Bononiense constitutis, nostris et ecclesie Romane fidelibus.* Omnipotens Dominus ecclesiam suam oculo benigno respitiens et vobis intellectum exhibens veritatis nos dirigit per suorum semitam mandatorum ut in ipsius ecclesie gremio predilecti filii recumbatis sicut ex eo nuper aperte collegimus quod speciales syndicos ad nostram presentiam destinastis qui coram nobis et fratribus nostris presentialiter constituti vice ac nomine vestro et pro vobis ejusdem ecclesie recognoverunt dominium et nobis juramentum etc. sicut in prima verbis competenter mutatis usque servaturi. Nos autem ad vos et alios illarum partium specialis affectionis animum convertentes ac cupientes statum vestrum in prosperitate quietis et pacis juxta nostra desideria solidari, venerabilem fratrem nostrum L. Ostiensem et Velletrensem episcopum, apostolice sedis legatum, ipsius ecclesie nobile membrum illuc providimus propter premissa specialiter de fratrum nostrorum consilio destinandum, dilectum filium Giffridum de Anagnia, decanum ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis et Guillelmum Duranti capellanos nostros, ac fratres Johannem de Viterbio et Laurentium de Tuderto ordinis fratrum Predicatorum, veluti ejusdem cardinalis precursores industrios, ut predicta omnia majori claritate procedant, nichilominus premittendo, quibus per alias litteras nostras injungimus ut ipsi vel tres seu duo aut unus eorum sollicite procurent et faciant quod vos prefata omnia per syndicos memoratos etc. usque promittatis. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus in devotione ipsius ecclesie animos vestros sicut devoti filii promptis spiritibus confirmantes monitis et mandatis eorundem capellanorum et fratrum, immo potius nostris circa ratificationem, acceptationem ac innovationem, et alia supradicta per syndicum et singulos supradictos in personis propriis de novo simpliciter et absolute per omnia facienda sic efficaciter pareatis quod devotione vestra de bono in melius succrescente nostram et ejusdem ecclesie gratiam vobis tanquam benedictionis filii merito vendicetis. Dat. »

In eundem modum dilectis filiis potestatibus, capitaneis, consiliariis, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et locorum, ac comitibus, baronibus et nobilibus per Romaniolam constitutis nostris et ecclesie Romane fidelibus verbis competenter mutatis.

269 Sans date.

Giffrido de Anagnia et fratri Johanni de Viterbio mandat quatinus procurent quod durante compromisso inter intrinsecos et extrinsecos partium Romaniole, nichil inter eos quomodolibet innovetur. (Fol. 80; an I, Curiales, nº 50.)

« *Dilectis filiis Giffrido de Anagnia decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis et fratri Johanni de Viterbio ordinis fratrum Predicatorum.* De variis innumerisque discordiis quibus partes Romaniole longis retroactis temporibus fluctuarunt grata nobis reformando pacis presagia presentantur, nam intrinseci et extrinseci partium earundem super hoc in nos compromittere inspirante Domino studuerunt. Verum quia sicut audivimus extrinseci Bononienses per diruptiones domorum et Cesanates per impositiones gravium collectarum ab eorum intrinsecis et alias intrinseci et extrinseci partium predictarum inter se hinc et inde gravibus molestiis aggravantur, nos omnia que possent bonum tante concordie verisimiliter impedire plenis studiis evitari volentes, mandamus quatinus procurare sollicite studeatis quod



saltem durante hujusmodi compromisso nichil inter eos quomodolibet innovetur, ita quod negotium ipsum facilius valeat in vestris manibus prosperari nosque diligentiam vestram exinde commendare merito valeamus. Dat. »

In eundum modum eisdem magistro Guillelmo et fratri Laurentio.

270 Sans date.

Eisdem scribit de extrinsecis, quos exilii tedium afficit. (Fol. 80 v°; an I, Curiales, n° 51.)

« *Eisdem.* De variis etc. usque studuerunt. Nos autem extrinsecorum partium earundem quos sicut audivimus exilii tedium afficit dispendia temperari compassionis gratia quantum cum Deo possumus cupientes, mandamus quatinus procurare sollicite studeatis quod fructus et proventus bonorum extrinsecorum eorundem libere dimittantur eisdem donec per nos aliud extiterit ordinatum. »

In eundem modum eisdem Guillelmo et fratri Laurentio.

271 Viterbe, sans date.

Eisdem scribit ad complementum litterarum precedentium. (Fol. 80 v°; an I, Curiales, n° 52.)

« *Eisdem.* Licet expresse vobis per alias nostras litteras intimemus ut procuretis sollicite quod durante compromisso in nos facto super concordia in partibus Romaniole dante Domino reformanda nichil inter eos quomodolibet innovetur, et quod extrinsecis fructus bonorum suorum interim libere dimittantur, intendimus tamen quod in hoc caute ac provide intendentes sic emergentia gravamina hinc et inde quotiens et quando expediet circumspectionis industria pallietis quod hac occasione inter dissidentes odia non succrescant, sed tepescant potius suscitate nec ea que vobis circa recognitionem dominii et alias per nostras litteras committuntur valeant aliquatenus impediri. Dat. Viterbii. »

272 Viterbe, sans date.

Eisdem mandat quatinus instrumenta pro predictis omnibus facienda per certos et notos tabelliones publicos per se specialiter deputandos fideliter conscribi faciant. (Fol. 80 v°; an I, Curiales, n° 53.)

« *Dilecto filio Giffrido de Anagnia, decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis et Guillelmo Duranti capellanis nostris ac fratribus Johanni de Viterbio et Laurentio de Tuderto ordinis fratrum Predicatorum.* Cum vos ad civitatem Bononiensem et alias partes Romaniole pro ratificatione, innovatione ac acceptatione eorum que circa recognitionem dominii et exhibitionem juramenti fidelitatis debite per syndicos civitatis et partium earundem facta sunt coram nobis et pro aliis per potestates, capitaneos, consiliarios, communitates, universitates et alios partium predictarum generaliter ac singulariter circa recognitionem juramenti, exhibitionem, innovationem, ratificationem et acceptationem predictas faciendis specialiter destinemus, intendentes quod quicquid fieri contigerit in premissis absque involutione qualibet in omni soliditate procedat, mandamus quatinus instrumenta et alias scripturas pro predictis omnibus et singlis facienda per certos et notos tabelliones publicos per vos ad hoc specialiter deputandos conscribi fideliter faciatis, districtius inhibentes ne aliquis alter instrumenta ipsa vel aliquod ipsorum conficere vel scripturas conscribere quoquomodo presumat, in contrarium presumentes excommunicationis, suspensionis a tabellionatus officio ac privationis sententias vos vel tres seu duo aut unus vestrum auctoritate apostolica promulgando aut nuntiando, instrumenta et scripturas hujusmodi si ea quomodolibet contra inhibitionem ipsam apparere contigerit non tenere. Dat. Viterbii. »

273 Viterbe, 5 août 1278.

G. basilice XII Apostolorum presbitero cardinali mandat quatinus ad civitatem Tholosanam circa festum b. Luce accedat, ut cum Jeronimo cardinali et electo Jerosolimitano simul negotium pacis inter Francie ac Castelle reges sollicite prosequantur. (Fol. 80 v°; an I, Curiales, n° 54.)

« *Dilecto filio G. basilice duodecim Apostolorum presbitero cardinali.* Superseminata per inimicum hominum inter carissimos in Christo filios nostros .. Francie et .. Castelle ac Legionis reges illustres zizaniorum semina et intensum nostrum desiderium ad eadem ne pernitiosam coalescant in segetem radicitus extirpanda nobis patenter ostendunt in experientie libro quod legitur nil satis sitienti anime festinatur, sed moram ipsa ei celeritas representat. Anxia et enim mens presertim quam zelus vere caritatis accendit ad optatum cogitationibus

estuat, curis effluit, meditationibus immoratur, querit remedia, quesitis adicit, quesita et adjecta prosequitur. Nec solers inquisitio vel adaucta prosecutio efficit quominus in quaerendo et prosequendo crescat anxietas donec quod avide sequitur efficaciter assequatur. Caritas namque torporis otium et otii torporem ignorat. Nescit otiosa subsistere sed adeo profectibus inhiat ut defectum existimet substitisse, hiis profecto stimulis angimur, hiis instigamur aculeis ad desideratam nobis et quasi toti mundo votivam sedationem inter reges eosdem exorte discordie divina favente clementia celeriter obtinendam. Verum mater ecclesia felicis recordationis Johannis pape predecessoris nostri temporibus dilectum filium Jeronimum sancte Romane ecclesie presbiterum cardinalem tunc fratrum Minorum generalem ministrum, et Johannem Jerosolimitanum electum tunc magistrum fratrum Predicatorum ordinum ad hoc per ydoneos ministros elegit, injuncto eisdem ut predictorum regum presentiam adeuntes ipsos ad pacem et concordiam juxta datam eis ex alto prudentiam sollicitis monitis et efficacibus exhortationibus inducere procurarent. Et ut omnis impedimenti vel obstaculi seu turbationis hujusmodi tolleretur occasio, idem predecessor dissolvendi, revocandi, vacuandi et irritandi omnes pactiones, obligationes, confederationes et colligationes juramento vel quacumque alia firmitate vallatas necnon et relaxandi hujusmodi et alia juramenta quelibet a quibuscunque prestita per que inter eosdem reges nutriri discordia et bonum pacis posset quoquomodo impediri vel etiam retardari prout ea secundum Deum dissolvenda, revocanda, vacuanda seu insuper irritanda viderent, predictis cardinali et electo plenam concessit et liberam facultatem, nichilominus mandans eisdem quod si expedire viderent reges ipsos, vel eorum utrumlibet ac ipsorum exercitus sive gentes, ne alter invaderet alterum vel quoquomodo inter se congrederentur hostiliter per censuram ecclesiasticam coartarent, non obstante si predictis regibus vel eorum alteri, seu quibuslibet aliis cujuscunque preminentie, conditionis aut status sub quacunque forma vel expressione verborum a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari quavis auctoritate non possint, seu terre ipsorum ecclesiastico interdicto supponi, et qualibet alia predicta sedis indulgentia generali vel speciali cujuscunque tenoris vel expressionis existat, per quam apostolicis litteris non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri quomodolibet valeat vel differri. Nos quoque post ejusdem predecessoris obitum prout Domino placuit ad officium apostolatus assumpti, hujusmodi negotium eorundem cardinalis et electi ad hoc per eundem predecessorem electo ministerio sollicite prosequentes, ad ipsos reges litteris et nuntiis destinatis inter cetera que ad utilem prosecutionem ejusdem negotii pervigili cura providimus commissionem eisdem cardinali et electo ab eodem predecessore factam, adjectionibus utilibus ampliantes ipsis per nostras sub certa forma litteras primo mandavimus, ut reges eosdem non solum ab omni congressu bellico seu insultu alterutrius in alterum aut in terras vel bona cujuslibet eorundem sive ad ipsorum quemvis spectantia quoquo jure, immo etiam a preparatione seu dispositione qualibet ad premissa et innovatione quavis circa illa occasione quorum est exorta dissensio inter eos per excommunicationis in personas et interdicti sententias in terras eorum quantum et prout secundum Deum expedire viderent per se vel per alios seu alium compescere procurarent, deinde nichilominus ipsis cardinali et electo in virtute obedientie per iteratas nostras litteras certi tenoris districte precipiendo mandantes ut ad compescendos sepefatos reges, gentes ipsorum ac insuper adherentes eisdem a congressu, invasione, insultu, preparatione, dispositione ac innovatione premissis, juxta formam procederent suprascriptam. Licet itaque dum eorundem cardinalis et electi consideramus industriam, dum alias in ubertate datas eis a domino virtutes attendimus, non ignoremus de ipsis prosecutioni ejusdem negotii plene provisum, nichilominus tamen affectu paterno ferimur aliquid jam provisis adjicere illaque insuper ratione que arguit ubi multa consilia ibi salus necnon et consideratione aliquarum facti circumstantiarum inducimur ut per nostram sollicitudinem adjectionem recipiat provisionis hujusmodi plenitudo. Ideoque cum fratribus nostris deliberatione prehabita te virum laudande virtutis, scientia et innata prudentia preditum, cultorem justitie sedulum, pacis amicum et concordie zelatorem quanquam tua presentia nobis et apud nos ecclesie universali perutili careamus inviti ad feliciorem negotii prosecutionem ipsius decrevimus destinandum, ita quod in civitate Tholosana quam quo ad ea que ad presens iminent locum satis communem partibus et aptum eidem prosequendo negotio existimavimus circa festum beati Luce Deo preduce presentiam tuam exhibeas, et tecum conveniant iidem cardinalis Jeronimus et electus, ut eorundem regum sollempnibus nuntiis coram te ac ipsis competentibus tu et ipsi communi consilio et mutuo auxilio juxta datam vobis a Deo prudentiam sepefati tam utilis tam necessarii negotii promotioni vacetis. Cum itaque predictis cardinali et electo nuper nostris litteris dederimus in mandatis ut civitatem eandem competenti tempore adeant, ita quod ibi personaliter intersint in festo predicto, dic-

tosque reges per alias diversas litteras singulis eorum singlariter destinatas exhortatos duxerimus et rogandos, eis nichilominus suadentes ut animis suis habilitatis ad pacem quilibet ipsorum hujusmodi sollempnes nuntios quibus eorundem regum sit cordi concordia super toto negotio et specialiter super treuga et vista super quibus aliquis tractatus est habitus plene instructos et ad omnia in ipso negotio necessaria sive utilia plenum ab eis mandatum habentes, qui coram te ac ipsis cardinali et electo in loco et festo predictis, eorum nomine se presentent ac tuis et eorum salubribus monitis et persuasionibus acquiescant, destinare procurent. Volumus et apostolica tibi auctoritate mandamus quatinus sic congruo tempore ad civitatem predictam accedere studeas quod in eodem festo ibi personaliter cum sepefatis cardinali et electo conveniens una cum illis idem negotium sollicite prosequaris eandem cum ipsis in predictis et aliis super eodem negotio commissis eisdem potestatem et facultatem quam tibi presentium tenore committimus et prosecutionis necessitatem, quam tibi similiter imponimus habiturus. Dat. Viterbii, nonis augusti, anno primo. »

274 Viterbe, 3 août 1278.

Universis infrascriptis mandat quatinus cardinalem Gerardum honeste tractantes in executione predicti negotii quoties ipsos duxerit requirendos ejus super hoc mandatis efficaciter intendant; alioquin sententias quas tulerit in rebelles ratas habebit. (Fol. 81; an I, Curiales, nº 55.)

« *Universis archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis et aliis ecclesiarum prelatis ad quos presentes littere pervenerint* etc. Superseminata —. Dat. Viterbii, III nonas Augusti, anno primo. »

275 Viterbe, 9 août 1278.

Infrascriptis mandat quatinus in negotio pacis inter Francie et Castelle reges reformande duo cardinales si tertius vel alter ex ipsis cardinalibus si reliqui duo impediti fuerint vel absentes libere procedant (Fol. 81 vº; an I, Curiales, nº 56; Potthast 21389.)

« *Dilectis filiis G. basilice duodecim Apostolorum, Jeronimo sacrosancte Romane ecclesie presbiteris cardinalibus et Johanni Jerosolimitano electo.* Ad tollendam inter —. Dat. Viterbii, V idus augusti, anno primo. »

276 Viterbe, 5 août 1278.

G. basilice duodecim Apostolorum presbitero cardinali ad transmontanas partes fiducialiter destinato plenam concedit potestatem ad se vocandi quoscunque Predicatorum, Minorum et aliorum quorumlibet ordinum fratres, necnon retinendi secum quot voluerit ex eisdem ac dandi eis, dum secum fuerint, licentiam equitandi et vescendi carnibus. (Fol. 81 vº; an I, Curiales, nº 56; Potthast 21386.)

« *G. basilice duodecim Apostolorum presbitero cardinali.* Magna tue circumspectionis —. Dat. Viterbii, nonis augusti, anno primo. »

277 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem, dum prosecutioni negotiorum eorundem sustiterit, animadvertendi in quoslibet archiepiscopos, episcopos et alios ecclesiarum prelatos, seu personas regulares sive seculares ecclesiasticas, cujuscunque ordinis, conditionis et status, qui vocati pro dictis negotiis ad ipsum venire neglexerint, dummodo prepeditione canonica detenti non fuerint. (Fol. 81 vº; an I, Curiales, nº 57.)

« *Eidem.* Magna tue circumspectionis —. Dat ut supra. »

278 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem per se vel alium aut alios censuram ecclesiasticam promulgare in omnes suorum nuntiorum injuriatores sive molestatores necnon temere impedientes eosdem, non obstantibus quibuscunque privilegiis aut indulgentiis apostolicis per que se possent in hac parte tueri. (Fol. 82; an I, Curiales, nº 58.)

« *Eidem.* Magna, etc. —. Dat. ut supra. »

279 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem in monasteriis monachorum et monialium cujuscunque ordinis illarum civitatum et diocesum per quas se transire contigerit, personis monasteriorum ipsorum predicandi easque inducendi ad honestatis amplexum et observantiam regularem, ea vero que sibi corrigenda videbuntur in eis vel in aliquo eorundem sedi apostolice per suas litteras intimandi. (Fol. 82; an I, Curiales, nº 59.)

« *Eidem.* Magna, etc. —. Dat. ut supra. »

280 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem concedendi licentiam tam clericis suis quod a quibuscunque archiepiscopis vel episcopis gratiam et communionem sedis apostolice obtinentibus ad suam presentationem possint ad minores et omnes sacros ordines promoveri, quam eisdem archiepiscopis et episcopis quod prefatis clericis ordines ipsos statutis temporibus rite valeant impertiri. (Fol. 82 ; an I, Curiales, n° 60.)

« *Eidem*. Magna, etc. —. Dat. ut supra. »

281 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem et commensalibus ipsius clericis literam concedit facultatem condendi testamentum in casu necessitatis tam de bonis ecclesiasticis quam aliis, per suam et illorum industriam acquisitis, que sibi et eis supererunt, ita tamen quod alieno ere deducto erga ecclesias a quibus bona hujusmodi perceperunt precipue liberales se exhibere curent. (Fol. 82; an I, Curiales, n° 61.)

« *Eidem*. Magna etc. —. Dat. ut supra. »

282 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem absolvendi per se vel penitentiarium omnes tam clericos quam laicos de sua familia a peccatis de quibus ore confessi et corde contriti fuerint, necnon juxta formam ecclesie a sententia excommunicationis, si quam pro injectione manuum in personas religiosas seu clericos seculares incurrerunt hactenus vel medio tempore incurrerint, dummodo passis injuriam satisfecerint competenter et eorum non sit adeo gravis et enormis excessus quam merito sint ad sedem apostolicam remittendi, dispensandi quoque cum eisdem clericis super irregularitate si quam sic ligati celebrarunt divina vel se immiscuerint eisdem, injuncta eis omnibus penitentia salutari prout secundum Deum viderit expedire. (Fol. 82; an I, Curiales, n° 62.)

« *Eidem*. Magna etc. —. Dat. ut supra. »

283 Viterbe, 9 août 1278.

Eidem licentiam elargitur redeundi ad sedem apostolicam, commissis sibi negotiis terminatis « si aperte ac in bonam partem juxta mittentis intentionem premissa negotia sint Deo auspice consumata. » (Fol. 82; an I, Curiales, n° 63.)

« *Eidem*. Laudanda tue circumspectionis —. Dat. Viterbii, v idus augusti, anno primo. »

284 Viterbe, 9 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem cum octoginta clericis religiosis seu secularibus, ad se, dum prosecutioni dictorum negotiorum institerit, undecunque recurrentibus, dispensandi super irregularitate quam ipsi, cum excommunicati vel suspensi aut interdicti fuerint, recipiendo quoscunque ordines aut celebrando divina vel se immiscendo eisdem, non tamen in contemptum clavium contraxisse noscuntur, postquam ab hujusmodi sententiis rite fuerint absoluti, imposita eis penitentia salutari. (Fol. 82; an I, Curiales, n° 64.)

« *Eidem*. Laudanda etc. Dat. ut supra. »

285 Viterbe, 9 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem dandi signum crucis omnibus fidelibus de civitatibus et diocesibus ad quas pro supradictis negotiis prosequendis eundo, morando et redeundo devenerit, volentibus illud assumere. (Fol. 82 ; an I, Curiales, n° 65.)

« *Eidem*. Magna tue circumspectionis —. Dat. ut supra. »

286 Viterbe, 9 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem clericis, qui secum fuerint aut in predictis negotiis sibi astiterint, faciendi integre ministrari proventus suos ecclesiasticos, distributionibus que in horis canonicis dantur duntaxat exceptis. (Fol. 82 v°; an I, Curiales, n° 66.)

« *Eidem*. Magna etc. —. Dat. ut supra. »

287 Viterbe, 9 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem decem clericos suos ydoneos in totidem cathedralibus vel collegiatis, aut aliis ecclesiis illarum partium ad quas devenerit, singulos in singulis, faciendi recipi in canonicos seu clericos et in fratres, cum consensu prelatorum, seu capitulorum vel patronorum, ad quos collatio prebendarum vel presentatio beneficiorum in ecclesiis ipsis pertinet, necnon cuilibet eorum ibidem providendi de prebenda seu beneficio, si vacat ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas. (Fol 82 v°; an I, Curiales, n° 67.)

« *Eidem*. Magna etc. —. Volumus autem quod quilibet de predictis clericis tuis, qui alias beneficiatus existit postquam de prebenda vel beneficio auctoritate presentum fuerit sibi provisum et pacificam possessionem illius habuerit, beneficium vel beneficia que prius habebat et

que nos extunc eo ipso vacare decernimus omnino dimittat. Dat. ut supra. »

288 Viterbe, 9 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem conferendi beneficia clericorum suorum, quos dum eundo et morando pro dictis negotiis prosequendis ad loca sibi decreta devenerit et redeundo etiam cedere seu decedere contigerit, per cessionem liberam vel obitum eorum vacantia personis ydoneis, singulis tamen singula, easque faciendi recipi ad illa, postquam ea taliter vacantia ipsis contulerit, si in ecclesiis cathedralibus collegiatis fuerint. (Fol. 82 v°; an I, Curiales, n° 68.)

« *Eidem*. Magna etc. Dat. ut supra. »

289 Viterbe, 9 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem compellendi prelatos cujuscunque dignitatis necnon personas quaslibet regulares, tam Cisterciensis, Premonstracensis, Cluniacensis, Cartusiensis et aliorum ordinum, magistros quoque priores seu preceptores et fratres hospitalis Jerosolimitani, domus militie Templi, militie Sancti Jacobi, et quorumcunque hospitalium sive domorum quam alias personas ecclesiasticas per censuram ecclesiasticam ad providendum in necessariis nuntiis suis, quos pro predictis sibi commissis negotiis destinabit. (Fol. 82 v°; an I, Curiales, n° 69.)

« *Eidem*. Magna etc. Dat. ut supra. »

290 Viterbe, 9 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem omnibus ad sua colloquia, predicationes sive sermones singulos accedentibus, vere penitentibus et confessis, centum dierum, in die vero magne sollempnitatis, cum ratione personarum sive negotii hoc sibi expedire videbitur, ducentorum dierum indulgentiam concedendi. (Fol. 82 v°; an I, Curiales, n° 70.)

« *Eidem*. Magna etc. — Dat. ut supra. »

291 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem absolvendi clericos et laicos utriusque sexus qui pro violenta injectione manuum in personas religiosas seu clericos seculares excommunicationis sententiam incurrentes ad ipsum undecunque duxerint recurrendum, dummodo passis injuriam satisfecerint competenter, et eorum non sit adeo gravis et enormis excessus, quod merito sint ad sedem apostolicam remittendi. (Fol. 83, an I, Curiales, n° 71.)

« *Eidem*. Magna etc. —. Dat. Viterbii, nonis augusti, anno primo. »

292 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit facultatem in omnibus locis ad que devenerit, ecclesiastico suppositis interdicto, apertis januis, pulsatis campanis, excommunicatis et interdictis exclusis, ac alta voce divina officia celebrandi, ea quoque nichilominus clausis januis, non pulsatis campanis, interdictis et excommunicatis exclusis, alta tamen voce si voluerit faciendi sibi celebrari. (Fol. 83; an I, Curiales, n° 72.)

« *Eidem*. Magna etc. —. Dat. ut supra. »

293 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem dispensandi cum quinquaginta defectum natalium patientibus, de civitatibus et diocesibus, ad quas devenerit, quod ad omnes ordines promoveri, aut in susceptis ministrare, ac obtinere beneficium ecclesiasticum sine cura, cum viginti vero defectum hujusmodi sustinentibus, de dictis civitatibus et diocesibus ad se interim recurrentibus, quod promoveri similiter ad premissos ordines et in receptis ministrare, necnon beneficium ecclesiasticum etiam curam animarum habens obtinere possint, dummodo illi non sint paterne incontinentie sectatores neque de incestu, seu regularibus, vel adulterio procreati, sed bone conversationis et vite, aliasque sibi merita suffragentur. (Fol. 83; an I, Curiales, n° 73.)

« *Eidem*. Magna etc. —. Dat. ut supra. »

294 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem audiendi confessiones omnium ad se recurrentium de civitatibus et diocesibus ad quas devenerit, tam per se quam per penitentiarium qui secum venerit, cuique id commiserit, necnon injungendi talibus penitentias salutares et illos absolvendi. (Fol. 83; an I, Curiales, n° 74.)

« *Eidem*. Magna etc. —. Dat. ut supra. »

295 Viterbe, 5 août 1278.

Eidem plenam concedit potestatem vocandi ad se, postquam

ad loca sibi decreta pro predictis prosequendi negotiis devenerit, quoslibet prelatos et personas ecclesiasticas, regulares sive seculares, exemptos et non exemptos quos sibi viderit oportunos, et si necesse fuerit eorum ministerio uti, necnon compellendi illos vel singulos eorum, prout sibi videbitur expedire. (Fol. 83; an I, Curiales, n° 75.)

« *Eidem*. Magna etc. —. Dat. ut supra. »

296 Viterbe, 18 juillet 1278.

Constitutionem super electione senatoris Urbis facienda sancit. (Fol. 83; an I, Curiales, n° 76; Potthast 21362.)

« *Constitutio facta per dominum Nicolaum papam tertium super electione Senatorie Urbis facienda ad perpetuam rei memoriam.* Fundamenta militantis ecclesie in montibus sanctis propheta rememorans, per montes apostolos et predicatores patenter insinuat, quibus tota hujus edificii fabrica confidenter innititur, qui firme bases ecclesie super fundamento, preter quod nemo aliud ponere potest quod est Christus Jhesus, veluti summo angulari lapide solidantur, ut veritas, que antea legis et prophetarum preconio vehebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terre verba eorum. Hujusmodi autem muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum voluit officium pertinere, ut in beato Petro apostolorum omnium summo principaliter collocaretur, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hunc enim in consortium individue unitatis assumptum, id quod ipse erat, Dominus voluit nominari dicendo : Tu es Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam; ut eterni templi structura, Deo edificante, constructa mirabili munere gratie Dei in Petri consisteret firmitate. Cui salvatoris nostri miranda provisio beatum Paulum in apostolatu gentium per dextras societatis adjunxit. Isti sunt, per quos evangelium Rome resplendit : isti sunt ejus patres verique pastores. Isti sunt qui una die pro merito, uno loco pro gloria, sub uno persecutore pro parili virtute compassi, urbem ipsam glorioso cruore martirii Christo Domino consecrarunt. Isti sunt qui illam in hanc gloriam provexerunt, ut sit gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput totius orbis effecta. Ne autem ipsa mater ecclesia in congregatione ac pastura fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipsis adjuta spiritualibus semper proficeret incrementis, non absque miraculo factum esse concipitur, ut occasionaliter Constantini monarche a Deo previsa, sed curata baptismalibus fomentis infirmitas, quandam quasi adiceret ipsi ecclesie firmitatem, qui quarto die sui baptismatis una cum omnibus satrapis et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo in persona beati Silvestri sibi Romanam urbem concedendo relinquens, ab eo et successoribus ejus per pragmaticum constitutum disponendam esse decernens, in ipsa urbe utriusque potestatis monarchiam Romanis pontificibus declararet, non justum arbitrans, ut ubi sacerdotii principatum et christiane religionis caput imperator celestis instituit, illic imperator terrenus habeat potestatem : quin magis ipsa Petri sedes in Romano jam proprio solio collocata libertate plena in suis agendis per omnia potiretur, nec ulli subesset homini, que ore divino cunctis dinoscitur esse prelata. Decet namque ipsi Romano pontifici per fratres suos sacrosancte Romane ecclesie cardinales, qui sibi in executione officii sacerdotalis coadjutores assistunt, libera provenire consilia. Decet ipsius nullo modo vacillare judicia, ut fratres ipsos nullus secularis potestatis metus exterreat, nullus temporalis furor absorbeat, nullus eis terror immineat, nichil eos a veri consilii soliditate removeat; quin cum per ipsum Romanum pontificem in quibuscunque negotiis contingeret eorum peti consilia, in consulendo per omnia liberi eidem Romano pontifici in omnibus, que pro tempore imminent, libere consulant et assistant, ipsaque Romani pontificis vicarii Dei que suis temporibus occurret electio et eorundem cardinalium cum expediet facienda promotio in omni libertate procedant. Digne itaque ad Urbem ipsam ejusque regimen aciem nostre considerationis extendimus, ut felici ducta regimine preservetur a noxiis et optatis semper proficiat incrementis. Numquid obduxit oblivio, que Urbi, que incolis nota dispendia intulerunt hactenus peregrina regimina? Numquid non hec destructio menium, deformatio proveniens ex ruinis luce clarius manifestant? Numquid non hec fidelium contrectata deposita? Numquid non hec ipsa veneranda Dei templa presidentis manu sacrilega diebus nostris nepharie violata proclamant? Quid plura? Nonne ipsius Urbis retroactis temporibus incorrupta constantia sub regentis eo tempore nephando subversi regimine ipsam Urbem speculum fidei tanta respersit infamia, ut a matre sua Romana ecclesia filia predilecta deviare compulsa quondam Corradinum, qui de venenosa radice Frederici quondam Romanorum imperatoris, colubri tertuosi justo ipsius ecclesie judicio reprobati, prodiisse videbatur in regulum, quique ad exterminium Romane matris ecclesie manifestis judiciis una cum suis fautoribus aspirabat, in contemptum Dei, sue matris ac ipsius Urbis opprobrium

patenter exciperet, recepto faceret, constituens se per hoc tam potentis hostis sue matris ecclesie filiam adjutricem? Hec ipsi Rome prestiterunt senatores incogniti, hec presides improvisi, ut gloriosa civitas redderetur in gloria, sua stabilitas vocaretur instabilis, sueque constantie antiquata soliditas linguis hominum notaretur infirma. Proinde officii nostri debitum circa hujusmodi tam periculosos eventus ad libram moderaminis erigentes, tante subversionis occasiones ita salubris remedii appositione precidimus, ne illorum, qui ipsam rem publicam laudabiliter hactenus gubernarunt, videamur gloriam suggillare vel merita, que illis apud infallibilem et scientem omnia retributorem de jam perlatis quesita laboribus salva persistunt.

» Ut igitur circa regimen ipsum talis adhibeatur in omnibus cum discretione sollertia, per quam ipsi Romane ecclesie plena libertas, que in omnibus et per omnia sibi debetur optata proveniat, vitentur jam experta pericula, et Romanorum populus ab opprimentium protectus incursibus sedeat, sedendo quiescat in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducie et temporalium requie opulenta, de fratrum nostrorum consilio hac irrefragabili et in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut quandocunque et quotienscunque senatoris electio vel alterius quocunque nomine censeatur, qui quocunque modo, quocunque titulo ipsius Urbis debeat preesse regimini in posterum imminebit nullus imperator seu rex Romanorum aut alius imperator vel rex, princeps, marchio, dux, comes aut baro, vel qui alterius notabilis preminentie, potentie seu potestatis, excellentie vel dignitatis existat, frater, filius vel nepos eorum ad tempus vel in perpetuum, seu quivis alius ultra annuale spatium quovis modo, colore vel causa per se, vel per aliam personam quomodolibet submittendam in senatorem, capitaneum, patricium aut rectorem, vel ad ejusdem Urbis regimen seu officium nominetur, eligatur seu alias etiam assumatur absque licentia sedis apostolice speciali, per ipsius sedis litteras concessionem licentie hujusmodi specialiter exprimentes. Quod si secus factum fuerit, nominationem, electionem et assumptionem hujusmodi decernimus esse nullas ac carere omni robore firmitatis, et non solum nominatores, electores et assumptores, verum etiam ipsi nominati, electi aut assumpti, si hujusmodi nominationi, electioni seu assumptioni consenserint aut se de ipsis quomodolibet intromiserint, intendentes et obedientes eisdem, et omnes dantes in hoc ipsis nominatoribus, electoribus, assumptoribus aut nominatis, electis vel assumptis auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, cujuscunque dignitatis, preminentie, conditionis aut status extiterint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant : ac nichilominus ipsos nominatos, electos seu assumptos, si contra presentem constitutionem predictis nominationi, electioni vel assumptioni consenserint, aut se quoquo modo illis ingesserint et eorum posteros in perpetuum omnibus feudis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis et honoribus, que a predicta seu aliis tenent ecclesiis, censemus esse privatis ita quod illi, ad quos eorum collatio, concessio seu dispositio pertinet, resumendi ea, retinendi, concedendi seu conferendi aliis, aut de ipsis etiam disponendi, prout ad eos pertinet, liberam habeant potestatem. Et ne taliter nominati, electi vel assumpti de sua pertinatia vel contemptu valeant gloriari, nos quelibet mandata, precepta, ordinationes et statuta que fecerint, omnes sententias, quas tulerint et quicquid penitus in contractibus et obligationibus, sive in quibuscunque aliis Urbis nomine, vel tamquam senatores, capitanei, patricii aut rectores vel officiales ipsius egerint, irrita prorsus exnunc et vacua nuntiamus.

» Judices vero et tabelliones, qui super hiis aut eorum aliquibus contra presentis constitutionis edictum patrocinari vel instrumenta conficere forte presumpserint, judicatus et tabellionatus officiis se noverint esse privatos.

» Contemptores quoque seu violatores premissorum vel aliquorum vel alicujus eorum ab hujusmodi excommunicationis sententia, preter quam in mortis articulo, absolvi non possint nisi per Romanum pontificem, vel de ipsis petita et obtenta licentia speciali. Non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis, concessionibus, constitutionibus, consuetudinibus et statutis quacunque firmitate vallatis, que in premissis omnibus nolumus aliquibus vel alicui suffragari, sed omnia quo ad illa decernimus non tenere.

» Ut autem cives Romani, qui ex ipsa Urbe naturalem duxisse noscuntur originem, aut quivis alii, qui in ipsa ejusve territorio non advene sed continui habitatores extiterint, quo ad honores ipsius Urbis aut regimen gratiosis functionibus potiantur, non intendimus quod presens constitutio tales excludat, quin ad unum annum dumtaxat vel aliud tempus brevius nominari, ad ipsius regimen et officium eligi valeant ac assumi, etiam si predictorum principum et aliorum fratres, filii vel nepotes existant, aut etiam si extra Urbem et ipsius territorium sub nomine comitatus, baronie seu cujuscunque alterius tituli in hominibus vel locis aliquibus jurisdictionem seu potestatem aliquam temporalem vel perpetuam obtinerent, dummodo predicta jurisdictio vel potestas extra Urbem et territorium prefata consistens non tante preminentie vel notabilis potentatus existat, quid eam obti-

nentes ejus occasione vel causa unus aliis exclusis a dicto Urbis regimine, ut premittitur, presentis constitutionis oraculo rationabiliter includantur. Nulli ergo etc. nostre constitutionis et privationis infringere etc. Si quis autem etc. Dat. Viterbii, xv kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo. »

297 Viterbe, 23 août 1278.

S. tituli S. Cecilie cardinali mandat quatinus, post reditum nuntiorum regis Francie, qui de canonici Laudunensis, capellani pontificis inconsulta temeritate retulerunt, eundem regem inducat ut sibi ad educendum de regno dictum capellanum regie potentie favorem impendat; ipsum capellanum ad civitatem Pisanam transmittat. (Fol. 83; an I, Curiales, nº 77.)

« *S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Super amaritudine carissimi in Christo filii nostri .. regis Francie illustris quam, sicut nobis sui nuntii retulerunt, ejus ingessit precordiis vicedomini capellani nostri, canonici Laudunensis nimis inconsulta temeritas, ipsi regi nostras litteras per ipsos nuntios destinamus, illam accomodis suasionibus lenientes ac suadentes eidem quod honori suo expedit ut dictus capellanus de regno Francie ad tollendum de regno ipso sui maledicti memoriam, quod per castigationem ipsius inibi prout iidem petebant nuntii faciendam posset diffundi latius et amplius dilatari, exinde maledicus emittatur, remittendus ad partes istas, non tamen ad Romanam curiam sed ad locum alium quem ei deliberavimus deputandum, et ibi taliter prout eisdem aperuimus nuntiis a sua insolentia compescendus, quod commemorandi maledicti hujusmodi nulla supersit occasio, sed ipsius memoria totaliter extinguatur. Eidem insuper regi sincero consilio suademus ut tibi ad educendum de regno ipso capellanum eundem sine offense alicujus injuria que forsan plures ad recensendum sui excessus seriem excitaret regie potentie favorem impendat nec impediat, vel quantum in eo fuerit impediri permittat quominus ad partes ipsas idem capellanus ut premittitur remittatur, per hoc etenim submurmuratio predictorum opprimetur facilius et integritati fame sue plenius consuletur. Ideoque volumus et presentium tibi auctoritate mandamus quatinus in eorundem nuntiorum adventum horum revelatione dilata post ipsorum reditum dictis nostris eidem regi litteris presentatis ipsum ad premissa juxta datam tibi a Deo prudentiam sollerter inducas. Et deinde memorato capellano sub pena excommunicationis et privationis omnium beneficiorum suorum, quam si secus fuerit eum incurrere volumus ipso facto districte precipiens, corporali super hoc ab eo juramento recepto, et suis preterea patentibus litteris exhibendis quod de hujusmodi materia nunquam alicui scripto verbo vel nutu publice vel occulte loquatur, quodque ad civitatem Pisanam, non divertendo ad alia loca dictis continuandis, prout possibilitas patietur accedet, de illa nunquam sine nostra licentia exiturus, ipsum ad eandem civitatem procurata sibi prout cautius fieri poterit veniendi ad eam securitate transmittas. Quicquid super hiis factum fuerit et si quid amplius videris faciendum nobis celeriter rescripturus. Ceterum conversum illum de ordine Saccatorum, cujus blasphemiam non repetitione dignam sed arte potius castigatione subdendam tuis nobis litteris intimasti, volumus in aliquo monasterio quod ad id eligendum et exinde minus onerandum putaveris carceri sic status suis pensatis circumstantiis moderando quod ejus insania propterea incrementum non suscipiat deputari donec evidentia penitentie sua signa suaserint de ipso aliter ordinandum. Dat. Viterbii, x kalendas septembris, anno primo. »

298 Viterbe, 23 août 1278.

Novam collationem a rege Francie factam de prebenda quam habebat in ecclesia Laudunensi tempore vocationis sue ad apostolatus officium irritam et inanem decernit; ipsum rogat quatinus sedi apostolice de tali proposito fideliter attendat. (Fol. 84 vº; an I, Curiales, nº 78; Potthast 21401.)

« *Carissimo in Christo filio .. regi Francie illustri.* Presentate nobis regie celsitudinis littere continebant quod in ecclesia Laudunensi vacante ad te pertinet vacantium etiam in Romana curia collatio, quodque post vocationem nostram ad apostolatus officium, prebendam quam in eadem ecclesia ipsius vocationis tempore habebamus cuidam quem eedem littere de moribus et scientia commendabant pietatis intuitu contulisti, ante datam litterarum quas super collationem ipsius prebende dilecto filio nostro S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, legato sedis apostolice miseramus. Et deinde in earundem litterarum tuarum serie deprecatio sequebatur, ut cum felicis recordationis Innocentii quarti, Alexandri, Urbani et Clementis predecessorum nostrorum temporibus fuerit observatum quod per collationes ipsorum factas de beneficiis vacantium ecclesiarum ad regiam collationem spectantibus collatio clare memorie tui progenitoris et tua nunquam extitit viribus vacuata, nos qui ad tuam magnificentiam affectu majoris caritatis affici regia gratitudine recognosci gratum et acceptum quod per te de memorata prebenda factum extiterat haberemus. Sane,

fili karissime, si tue innotuisset excellentie processus nostri circa eandem prebendam habiti tempus et qualitas, nec tibi juris veritas celaretur nequaquam sicut verisimiliter creditur predicta tua deprecatio processisset siquidem ab ipsis ejusdem nostre vocationis auspitiis in attente considerationis scrutinium deducentes, quod in ecclesiis in quibus prebendas habuimus in minori officio constituti non potuimus propter status nostri exigentiam personaliter residere, licet cum se casus obtulit dando consilium, prestando illis auxilium, non studuerimus inibi exhibere presentes, deliberavimus nostram absentiam saltem quoquomodo substituendorum nobis in eis continuanda recompensare presentia et illarum singulas singulis sic ydoneis sic conferre personis ad sacerdotium jam promotis vel successuris immediate temporibus promovendis quod ipsarum probitas plus ecclesiis providetur quam ex prebendarum collatione providetur eisdem. Et ut hec nostra deliberatio impedimenti alicujus obicem non haberet, sexto die post promotionem nostram canonicatus et prebendas quos in Eboracensi, dicta Laudinensi et Suessionensi habueramus ecclesiis donationi apostolice reservavimus, inhibentes universis et singulis ad quos ipsorum canonicatuum et prebendarum collatio, electio, provisio, presentatio aut quecumque alia dispositio pertineret ne post mensem etiam contentum in moderatione felicis recordationis Gregorii pape X^mi predecessoris nostri super beneficiis apud Sedem Apostolicam vacantibus edita in concilio Lugdunensi de illis vel illorum aliquo disponere aut eos conferre alicui presumerit quoquomodo. Et insuper ex tunc decrevimus irritum et inane, si secus super eis per quoscunque scientes vel ignorantes apostolica vel quavis auctoritate alia jam attemptatum existeret vel in posterum contingeret attemptari sicut hec omnia in litteris apostolicis confectis exinde plenius continentur. Hiis itaque tibi seriosius reseratis diligenter quesumus processus hujusmodi tempus pensa, vim et potestatem prudenter observa, et patebit aperte que et qualis de jure sequatur illatio ex premissis. Nam cum canonicatus et prebende collatio spirituale jus indubitanter existat et per eam spiritualia utpote jus eligendi prelatum et alia similia conferantur nec pro eo quod personis secularibus forsan ex privilegio sit concessa vel in eis per patientiam tolerata desinat spirituale jus esse, non est dubium quando laici ad se illam asserunt pertinere non esse a plenitudine apostolice potestatis exempta nec ab ejusdem libera in omnibus spiritualibus administrationem subtractam. Ex quibus procul dubio necessario sequitur quod per premissam nostram prohibitionem et decretum prebenda eadem Laudinensis una cum predictis aliis sic affecta quod collatis post et contra eandem prohibitionem et decretum per te facta de ipsa nullas vires potuit optinere, maxime cum tempore quo inhibitio et decretum eadem sic generaliter processerunt nos ejusdem Laudunensis ecclesie vocatio quidque tu in ea vacante collationem prebendarum ad te spectare asseris non lateret. Attende igitur, princeps inclite, premissi nostri processus causam, vim considera, effectum adverte nec attentionis tue discussio pium propositum procedentis omittat. Quid enim ad sic procedendum induxit nisi ut predicte deliberationis divino beneplacito congruo grata Deo executio sequeretur. Quid ad hec procedentis animum excitavit nisi ut conscientie habundantius pacate sollicitudo quiesceret dum precedentem nostram absentiam provisa substituendorum presentia alia conjunctione conjunctim per deliberationis ejusdem executionem quam commisimus aliorum arbitrio providere profecto nec ad hoc personas elegimus, nec earum electionem nobis duximus reservandam, sed illis eam injuncximus quod necessitatum et status ipsarum ecclesiarum conscii earundem utilitatibus de personis eis congruentibus salubrius providerent. Ideoque serenitatem regiam confidentia paterna rogamus et obsecramus in Domino quatinus moleste non feras sed equanimiter patiaris preces tuas in hac parte ad exauditionis gratiam non admitti, quin potius spirituali patri de tali proposito, de tali providentia attendas, nullum exinde prejudicium verearis nec de casus premissi frequentia concipi possit probabilis conjectura, multumque deceret excellentiam regiam etiam de munificentia sue curialitatis annuere ut de successore nobis eligendo in dicta prebenda nostrum desiderium impleatur. Dat. Viterbii, x kalendas septembris, anno primo. »

299 Viterbe, 23 août 1278.

S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali mandat quatinus ad collationem dicte prebende juxta formam alias sibi traditam absque dilatione procedat. (Fol. 85; an I, Curiales, n° 79.)

« *S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Carissimus in Christo filius noster .. rex Francorum illustris nobis suis directis litteris intimavit quod in ecclesia Laudunensi vacante ad eum pertinet collatio vacantium etiam in Romana curia prebendarum, quodque audita nostra vocatione ad apostolatus officium prebendam quam in ecclesia ipsa olim tempore minoris officii habebamus alii quem de moribus et scientia eidem littere commendabant ante datam litterarum, quas tibi super collatione ipsius prebende misimus, contulit

intuitu pietatis, rogans ut ratum et acceptum quod per eum circa hoc factum fuerat haberemus. Nos autem facti seriem repetentes et veritatem juris preterea non celantes, per nostras litteras quas tibi mittimus per te ipsi regi presentandas et diligenter etiam exponendas regi respondemus eidem quod —. Cum itaque non ignoremus tue liquido constare prudentie collationem ab eodem rege prefato modo factam de dicta prebenda nullius sicut ex premissis apparet fuisse momenti quanto familiarius te virum conscientie novimus et notam plenius industriam tue circonspectionis habemus, tanto miramur amplius executionem mandati nostri super ejusdem prebende collatione directi tanti temporis spatio retardatam. Miramur si non pungat et stimulet tue conscientie puritatem ipsius prebende tam prolixa vacatio et ex omissione tua ne dixerimus negligentia tam diu subtractum legitimum cultui divino ministrum. Quocirca discretionem tuam quo frequentius eo monemus, rogamus et hortamur attentius, iterato tibi per apostolica scripta mandantes quatinus ad collationem dicte prebende juxta formam alias tibi traditam absque cunctatione aliqua et dilatione procedas, illum cui dictus rex eam contulit a quolibet ejus cui tu ipsam duxeris conferendam molestia per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante quod —. Dat. ut supra. »

300 Viterbe, 23 août 1278.

Eidem mandat quatinus tam predicto clerico, cui rex Francie prebendam predictam in ecclesia Laudunensi contulit, ne se de dicta prebenda quomodolibet intromittat vel pro canonico Laudunensi se gerat, quam episcopo et capitulo Laudunensibus ne ipsum ut Laudunensem canonicum ad dictam prebendam admittere, seu in aliquo habere pro canonico Laudunensi presumant districtius inhibere procuret, memoratos episcopum et capitulum per censuram ecclesiasticam, clericum vero etiam per privationem obtentorum beneficiorum ac reddendo eum inhabilem ad alia obtinenda, necnon et aliis modis de quibus expedire viderit compellendo. (Fol. 85 v°; an I, Curiales, n° 80.)

« *Eidem.* Licet per alias —. Dat. ut supra. »

301 Viterbe, 23 août 1278.

Eidem mandat quatinus torneamenta, que negotium Terre Sancte impediunt, distincte prohibeat, et si opus fuerit, per dominos seculares inhiberi procuret. (Fol. 85 v°; an I, Curiales, n° 81.)

« *Eidem.* Ita nobis est cordi negotium Terre Sancte quod remediis quibus possumus libenter occurrimus ad impedimenta illius quelibet submovenda ut idem negotium submotis obstaculis procedat Domino annuente facilius et felicius dirigatur. Cum itaque torneamentorum exercitia multipliciter idem negotium impedire soleant, dum nonnunquam sic illud prosecuturos exauriunt quod ad prosecutionem hujusmodi efficiunt impotentes, interdum quod plures a crucis assumptione retrahunt dum confunduntur propter hec ab illis aliis ea exercentibus abstinere, nos attendentes quod torneamenta hujusmodi non solum a nonnullis nostris predecessoribus Romanis pontificibus sed etiam in Lateranensi ac demum in generali quod nuper in Lugdunensi extitit conciliis celebratum ex causis variis ac evidentibus sunt certis nichilominus penis appositis interdicta, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus quatinus tam in partibus tue legationis quam in aliis convicinis de quibus videris predicto negotio expedire per te ac alios sub pena excommunicationis in quam contra venientes incidant ipso facto districte prohibeas, et si opus fuerit per dominos seculares partium earundem sub penis temporalibus de quibus tibi videbitur inhiberi procures eos ad id si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo ne quis cujuscunque sit conditionis aut status presertim usque ad tempus generalis passagii torneamenta procuret aut ire ad procurata presumat, vel in terris suis sive jurisdictioni subjectis fieri patiatur, ita quod dictum negotium nullum deinceps ex hujusmodi torneamentis impedimenti obicem sentiat, sed prospere absque hujusmodi prepeditione procedat. Non obstante si aliquibus a sede apostolica etc. ut in superioribus. Dat. ut supra. »

302 Saint-Pierre, 24 mai 1278.

Homagium et fidelitatis juramentum, per Carolum Sicilie regem factum, quorum tenor infra datur, acceptat, regique exinde ad ipsius cautelam easdem litteras concedit. (Fol. 85; an I, Curiales, n° 82.)

« *Homagium et Sacramentum factum per Carolum regem Sycilie domino Nicolao pape tertio ejusque successoribus. Nicolaus et cetera carissimo in Christo filio regi Sycilie illustri.* Ne imposterum rei geste memoriam diuturnitas temporis forsan oblitteret litterarum nostrarum presentium insinuatione testamur te ligium homagium et fidelitatis juramentum ratione regni Sicilie ac terre citra farum tibi a Romana ecclesia concessorum nobis fecisse ac prestitisse in forma subsequenti super hoc litteris formam eandem exprimentibus bullatis aurea tua bulla

concessis. Quarum tenor talis est. In nomine Domini amen. Ego Carolus Dei gratia rex Jerosolimorum, Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Ad honorem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti et beate ac gloriose Virginis Marie, beatorum quoque apostolorum Petri et Pauli et ecclesie Romane ligium homagium facio tibi domino meo Nicolao pape III tuisque successoribus canonice intrantibus, et ipsi ecclesie pro regno Sicilie et tota terra que est citra farum usque ad confinia terrarum ejusdem ecclesie, que utique regnum et terram, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis suis michi et heredibus meis predicta ecclesia Romana concessit. Ego Carolus Dei gratia rex Jerosolimorum et Sicilie plenum et ligium vassallagium faciens ecclesie Romane pro regno Sicilie et tota terra que est citra farum usque ad confinia terrarum ipsarum ipsius ecclesie excepta civitate Beneventana cum toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum et districtus civitatis ejusdem per Romanum pontificem distinctos vel in posterum distinguendos, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro et tibi domino meo Nicolao pape III tuisque successoribus canonice intrantibus sancteque apostolice Romane ecclesie non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam predatis aut membrum aut capiamini mala captione. Consilium quod mei crediturí estis per vos aut nuntios vestros sive per litteras ad vestrum dampnum me sciente nemini pandam et si scivero fieri vel procurari seu tractari aliquid quod sit in vestrum dampnum illud pro posse impediam, et si impedire non possem illud vobis significare curabo. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri tam in regno Sicilie et terra predictis quam alibi existentia adjutor ero vobis ad retinendum et defendendum, ac recuperandum et recuperata manutenendum contra omnem hominem. Item juro me ad hoc specialiter obligans quod ego seu mei in regno et terra predictis heredes nunquam per nos vel alios seu quocunque modo procurabimus ut eligamur vel nominemur in regem vel imperatorem Romanum, vel regem Theotanie, seu dominum Lombardie aut Tuscie vel majoris partis earundem Lombardie vel Tuscie, et si electionem vel nominationem ad imperium vel ad regnum Romanum, seu ad regnum Theotonie aut ad dominium Lombardie vel Tuscie seu majoris partis earum de me vel ipsis heredibus celebrari contigerit, nullam hujusmodi electioni vel nominationi assensum prestabimus nec intromittemus nos ullo modo de regimine ipsius imperii vel regni Romani, seu regni Theotonie aut Lombardie seu Tuscie vel majoris partis earum ad quodcunque horum nominati fuerimus vel electi. Quod si ego vel aliquis in regno heredum meorum studentibus et procurantibus me aut eis ad imperium ipsum sive ad dictum regnum Romanum sive regnum Theotonie aut dominium Lombardie seu Tuscie, vel majoris earum partis electi seu nominati fuerimus, si hoc verum et manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de imperii vel regni Romani seu regni Theotonie, aut Lombardie seu Tuscie vel majoris ipsarum partis regimine ego vel ipsi nos manifeste intromiserimus eo ipso a jure predictorum regni Sicilie et terre cadamus ex lato ipsaque prorsus ammittamus et eadem regnum et terra ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Si autem ego vel aliqui ex dictis heredibus electioni vel nominationi facte non procurantibus me vel eis aut procurantibus consenserimus et ut huic electioni seu nominationi vel juri ego vel ipsi omnino renuntiemus et quod de imperio seu aliquo premissorum ad quod electi seu nominati ego vel ipsi fuerimus nos nullatenus intromittamus moniti infra quatuor mensium spatium post monitionem hujusmodi tali electioni seu nominationi vel juri non renuntiaverimus vel de ipso imperio, seu aliquo premissorum ad quod electi vel nominati fuerimus nos intromiserimus quoquomodo, ex hoc simus ego et ipsi eisdem regno Sicilie et terra, ac omni prorsus eorum jure privati, et ut dictum est eadem regnum et terra ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad me vel ipsos meos in eodem regno heredes non poterit comode talis monitio pervenire, super quo utique impedimento videlicet quod moneri comode ego vel ipsi nequeamus, credetur et stabitur assertioni vestre seu successorum vestrorum sive dicto sufficiet pro ea super hoc vestra seu ipsorum successorum vestrorum monitio publica et sollempnis, ita quod si infra sex menses post illam non renuntiaverimus aut de imperio seu aliquo alio predictorum, ad quod ego vel dicti heredes electi seu nominati fuerimus nos quomodolibet intromiserimus, cadamus ex hoc ab omni jure ipsorum regni et terre, et regnum et terra ipsa ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Ceterum si contigerit aliquem de dictis meis heredibus qui debent in predictis regno Sicilie et terra succedere in regem vel imperatorem Romanum seu regem Theotonie vel dominum Lombardie aut Tuscie, seu majoris partis earum nominari seu eligi vel assumi nullatenus possessionem eorundem regni et terre nanciscatur vel habeat, nec se de illorum cura seu domino et regimine per se vel alios aliquatenus intromittat, nisi prius imperio vel regno Romano seu regno Theotonie aut dominio Lombardie vel Tuscie, seu majoris earum partis ad quodcunque horum electus nominatus fuerit vel assumptus et omni juri sibi compe-

tenti in illis omnino renuntiet, et illorum regimen nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens omnino dimittat, ipsum nullo unquam tempore resumpturus, alioquin cadat ab omni successione et jure que in regno Sicilie ac terra predictis sibi competerent ipso facto ita quod eadem regnum Sicilie et terra ad Romanam ecclesiam ejusque dispositionem plene ac libere devolvantur. Quod si non extantibus masculis femina in eisdem regno et terra successerit, illa regi vel imperatori Romano seu in regem vel imperatorem Romanum electo aut regi vel electo in regem Theotonie seu domino Lombardie vel Tuscie aut majoris partis earum seu electo ad earum dominium nunquam matrimonialiter copuletur, et si contrarium fecerit eo ipso cadat a Sicilie regno et terra predictis maneatque prorsus ipsorum jure privata, ipsis regno et terra ad eandem ecclesiam devolutis. Si autem ego vel aliquis dictorum in regno meorum heredum contra hec venerimus, ex ipso excomunicati prout secundum conditiones sub quibus regnum et terra predicta mihi et heredibus meis concessa sunt per sedem apostolicam extitit ordinatum, et insuper labe et reatu perjurii respersi et notati existamus. In hujusmodi quoque juramento addo et per eosdem in dicto regno heredes addetur expresse quod nullo unquam tempore regnum seu imperium Romanum aut regnum Theotonie, vel dominium Lombardie seu Tuscie aut majoris earum partis, aut easdem Lombardiam vel Tusciam vel majorem partem ipsarum per nos vel per alios seu alium occupabimus, capiemus vel acquiremus aut nobis alias quomodolibet vendicabimus, et si secus fecerimus secundum prescriptam formam penas similes incurramus. Quod autem dicitur de majori parte dominii Lombardie vel Tuscie intelligitur scienter. Si vero ignoranter eam ad mandatum ecclesie dimittere teneamur et si eam ecclesia mandante dimittamus non incidamus in penam in isto articulo et consimilibus constitutam. Si vero moniti non dimittamus remaneat pena prout est in hoc articlo et aliis consimilibus constituta. Quod si forte imposterum regem Sicilie contingat in imperatorem eligi, postquam regni fuerit possessionem adeptus non transeat ad imperium. Alioquin in penas incidat in hoc articulo et aliis consimilibus comprehensas. Quod si regni possessione predicti nondum agnita seu obtenta, in imperatorem electus transire voluerit ad imperium, in manu prius Romani pontificis vel illius quem ad hoc idem pontifex duxerit destinandum filium suum successurum in regno cujuscunque fuerit etatis emancipet et regno renuntiet nichil juris in eo retinens, clam vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis nec ipsum filium ad servitium vel subsidium aliquod faciendum juramento vel voto stipulatione vel pacto sibi vel successoribus suis astringat sicque factus filius sui juris ab eodem Romano pontifice vel ab alio destinato ab ipso protinus investiatur de regno ad cujus regis successionem si forte decederet sine liberis nullo unquam tempore pater veniat imperator existens sed si imperio et omnibus que ad imperium pertinent idem pater renuntiare voluerit et regno tantum esse contentus post renuntiationem hujusmodi ad illius successionem libere admittatur et tunc ab ipso Romano pontifice vel ab alio destinato ab ipso investituram recipiat regni ejusdem. Quod si dictus filius sic ad regnum assumptus major annis decem et octo fuerit libere administret sed quandiu minor extiterit, tam ipse quam regnum ipsius in custodia Romane ecclesie maneat, donec rex ipse impleverit supradictam etatem, fructibus et obventionibus regni ex quibus sumptus necessarii faciendi pro ejusdem regni custodia deducantur regi conservandis eidem et lucro alterius ratione ipsius custodie non cessuris. Que vero de filio dicuntur ut ei videlicet regnum possit sub observatione premissa a patre ad imperium transeunte dimitti de filia etiam est concessum. Et si rex non habens filios in imperatorem electus ad imperium transire voluerit, et de personis que in conditionibus contentis in instrumento, seu litteris vestri tunc Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi et bone memorie Anibaldi basilice duodecim Apostolorum presbiteri, Riccardi Sancti Angeli et venerabilis patris Jacobi Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalium super concessione predictorum regni et terre mihi facta contentis dicuntur liberis non extantibus in regno posse succedere aliqui superstites fuerint, que de filio et filia predicta sunt conserventur in illis excepto emancipationis articulo, que in solis illis procedere poterit que capaces emancipationis existent ratione patrie potestatis. Quod si regi Sicilie sine filio decedenti superstes sit filia vel mulier alia, que juxta formam in predictis conditionibus contentam debeat ad hujusmodi successionem admitti que imperatori dum ipse rex viveret fuerat desponsata vel nupta non succedat in regno et si regno tibi delato imperatori nupserat cadat protinus ab eadem, nisi vir ejus imperio prorsus renuntians regno solummodo sit contentus. In primo autem casu repulsis filia et alia predicta ad personas illas servatis gradibus regnum proveniat, quas in regno posse succedere in ipsis conditionibus continetur, si regi premortuo liberi non supersint. In secundo autem casu regnum ipsum ad Romanam ecclesiam devolvatur. Regnum quoque Sicilie et terra predicta imperio nullo modo subdentur nec sibi ullo unquam tempore in eadem persona quomodolibet unientur, et precise super hoc articulo tam per penas

spirituales quam per alias cautiones cavebo, juxta ecclesie voluntatem, quandocunque tu vel dicti successores tui hoc duxeritis requirendum, cum prorsus intentionis sit Romane ecclesie ut regnum et terra predicta nullo unquam tempore imperio uniantur, ut scilicet unus Romanus imperator et Sicilie rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum regni et terre cum imperio dictum est, hoc ipsum circa unionem eorundem regni et terre cum regno Romano aut regno Theotonie, seu cum Lombardia vel Tuscia sive cum majori parte ipsarum Lombardie vel Tuscie volo et intelligo esse dictum. Universas et singulas conditiones contentas in dictis instrumento seu litteris vestri tunc Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi et bone memorie Anibaldi basilice duodecim Apostolorum presbiteri, Riccardi Sancti Angeli et venerabilis patris Jacobi Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalium super ipsorum regni et terre concessione mihi ab eis facta confectis et omnia que continentur in eisdem instrumento seu litteris plenarie adimplebo et inviolabiliter observabo nec nullo unquam tempore veniam contra illa, sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia. In hujus autem rei testimonium perpetuamque memoriam presens scriptum exinde confici jussi et aurea bulla regie majestatis impressa typario communiri. Omnia que lecta sunt plene intellexi et ea sicut ipsa sane dominus meus summus Pontifex intelligit plenarie adimplebo et inviolabiliter observabo, sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia. Actum Rome apud Sanctum Petrum in papali palatio, anno millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, mense maii vigesimo quarto ejusdem, sexte indictionis, regnorum meorum Jerosolime anno secundo, Sicilie vero tertiodecimo. Nos itaque hujusmodi homagium et fidelitatis juramentum de fratrum nostrorum consilio acceptamus, tibi exinde ad tuam heredumque suorum cautelam easdem nostras litteras concedentes. Dat. Rome apud Sanctum Petrum VIIII kalendas junii, anno primo. »

303 Viterbe, 16 septembre 1278.

Cum rex Sicilie a vigesimo quarto die presentis mensis septembris proximo futuro vicariam Tuscie absolute dimittendo, vicario suo in Tuscia injunxerit ut eodem die omnia castra que facit in Tuscia custodiri in manibus nuncii apostolici dimittat, L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato mandat quatinus eadem castra ab eisdem vicario et castellanis sibi faciat assignari et sic assignata cum summa diligentia custodiri. (Fol. 87; an I, Curiales, nº 83; POTTHAST 21408.)

« *Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato.* Carissimus in Christo —. Dat. Viterbii, XVI kalendas octobris, anno primo. »

304 Viterbe, 16 septembre 1278.

Raymundo de Poncellis regio in Tuscia vicario mandat quatinus castra Tuscie a rege Sicilie dimissa et nichilominus obsides, quos pro Romana ecclesia ejus nomine vel mandato retinet, L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, in illis partibus apostolice sedis legato, tradat. (Fol. 87; an I, Curiales, nº 84; POTTHAST 21409.)

« *Nobili viro Raymundo de Poncellis regio in Tuscia vicario.* Carissimus in Christo —. Dat. ut supra. »

305 Viterbe, 24 septembre 1278.

Bertoldum de filiis Ursi in partibus provincie Romaniole, civitatis Bononiensis, comitatus Brettenorii et pertinentiarum eorundem generalem rectorem in temporalibus constituit. (Fol. 87 vº; an I, Curiales, nº 85; POTTHAST 21451.)

« *Dilecto filio nobili viro Bertoldo de filiis Ursi civi Romano totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis, comitatus Brettenorii et pertinentiarum eorundem rectori.* Dum ad singulas —. Dat. Viterbii, VIII kalendas octobris, anno primo. »

In eundem modum dilectis filiis universis comitibus, baronibus et nobilibus ac potestatibus, capitaneis et rectoribus, consiliis, communibus et universitatibus civitatum, castrorum, terrarum et locorum per totam provinciam Romaniole, civitatem Bononiensem, comitatum Brettenorii et pertinentias eorundem constitutis. Dat. ut supra.

306 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem Bertoldo mandat quatinus nichil in temporalibus infeudare, ratificare vel quomodolibet confirmare procuret, sed que invenerit, personas infeudationes postulantes, res que petuntur et omnes circumstantias premissorum fideliter sedi apostolice scribat. (Fol. 87 vº; an I, Curiales, nº 86; POTTHAST 21456.)

« *Eidem Bertoldo.* Cum te ad provincie —. Dat. Viterbii, VII kalendas octobris, anno primo. »

307 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem mandat quatinus dum L. Ostiensis episcopus, apos-

tolice sedis legatus ad partes Romaniole adveniet, reformationem pacis ferventer prosequatur. (Fol. 88; an I, Curiales, nº 87.)

« *Eidem.* Cum te ad provincie Romaniole, civitatis Bononiensis, comitatus Brettenorii et pertinentiarum eorundem partes, commisso tibi rectorie officio in temporalibus, destinemus et venerabilis frater noster L. Ostiensis et Velletrensis episcopus, apostolice sedis legatus, cui reformationem concordiarum partium earundem inter alia specialiter duximus committendam, quadam diebus istis sui corporis debilitate detentus, iter suum ad partes easdem per dies aliquos retardare cogatur, nos reformationem hujusmodi plenis desideriis affectantes ac nolentes quod bonum tante concordie quomodolibet differatur, devotioni tue de qua plene confidimus per apostolica scripta mandamus quatinus interim, dum idem legatus adveniet, ad reformationem ipsam et ea que pacis sint ferventer intendens ea sollicitis studiis prosequaris, reformationem eandem et quod circa perfectionem pacis ejusdem provenire contigerit roborando sicut expediet cautionibus et securitatibus oportunis; ita quod tute procedant, illibata permaneant, nullam dante Domino scisuram ulterius perceptura. Dat. Viterbii ut supra. »

In eundem modum universis comitibus, baronibus et nobilibus ac potestatibus, capitaneis, rectoribus, consiliis, communibus et universitatibus civitatum, castrorum, terrarum et locorum per totam provinciam Romaniole, civitatem Bononiensem, comitatum Brectenorii et pertinentias eorundem constitutis mandat quatinus eidem rectori super hiis que circa reformationem et roborationem pacis predicte ordinaverit efficaciter pareant.

308 Viterbe, 24 septembre 1278.

Guillelmo Estandardo ac universis militibus, a rege Sicilie ad requisitionem suam pro suis et ecclesie Romane servitiis destinatis mandat quatinus Bertoldo de filiis Ursi, provincie Romaniole rectori, prompte ac fideliter obediant. (Fol. 88; an I, Curiales, nº 88; Potthast 21452.)

« *Dilecto filio Guillelmio Estandardo ac universis militibus et stipendiariis regiis nuper ad nostra et ecclesie Romane servitia deputatis.* Cum carissimus in Christo —. Dat. Viterbii, VIII kalendas octobris, anno primo. »

309 Viterbe, 1er octobre 1278.

J. electi Jerosolimitani, quondam ordinis fratrum Predicatorum magistri renuntiationem non admittit, sed ei mandat quatinus impositum onus regiminis ecclesie Jerosolimitane devote recipiat, et administrationem ejusdem ecclesie diligentius prosequatur. (Fol. 88; an I, Curiales, nº 89; Potthast 21462.)

« *Dilecto filio J. electo Jerosolimitano, quondam ordinis fratrum Predicatorum magistro.* Litterarum tuarum series —. Dat. Viterbii, kalendis octobris, anno primo. »

310 Viterbe, 30 septembre 1278.

Magistro Nicolino de Camilla mandat quatinus ad ecclesiam Narniensem accedens, de gestis episcopi et sceleribus, super quibus diffamatur, veritatem diligenter inquirat. (Fol. 88 vº; an I, Curiales, nº 90.)

« *Magistro Nicolino de Camilla capellano nostro.* Ad audientiam vestram insinuatio clamosa perduxit quod venerabilis frater noster O. episcopus Narniensis luride dissolutionis dilapsus in lubricam vitam non erubescens variis feditatis maculis denigrare, non solum proh pudor carnis vacat illecebris coinquinando debite honestatis pudicitiam actu fedo cum mulieribus impudicis, set corruptus etiam vitio symoniace pravitatis manu avaricie gravibus extorsionibus subditos suos gravat et torquet nimium extorquendo, a se omnino pontificalis honoris et religionis pudore propulso, aliaque committit que Deum offendunt, homines scandalizant et limam apostolice correctionis exposcunt. Volentes igitur descendere et videre utrum dictus episcopus hec impleverit actione, ne decor domus Domini ministri polluti ministerio nephario polluatur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus ad ecclesiam Narniensem personaliter accedens et habens pre oculis solum Deum, auctoritate nostra inquiras super predictis expressis omnino et super aliis etiam super quibus eum inveneris diffamatum diligentius veritatem et que inveneris nobis sub tuo sigillo inclusa fideliter deferre vel per fidelem nuntium destinare procures. Dat. Viterbii, II kalendas octobris, anno primo. »

311 Viterbe, 9 octobre 1278.

Matheo de filiis Ursi senatori Urbis scribit de sigillo Urbis, quod ipsi transmitti fecit; ei mandat quatinus illud fideli persone committat. (Fol. 88 vº; an I (*le nº manque*).

« *Dilecto filio nobili viro Matheo de filiis Ursi senatori Urbis.* Dilecto filio nobili viro .. cancellario Urbis nuper ad nostram presentiam accedente ac ipsius Urbis sigillum nobis exhibere parato, illud ex certa cautela voluimus recipere consignatum, et cum dictus nobilis sigillum suum proprium penes se diceret non habere, tandem

predictum Urbis sigillum dilecti filii nobilis viri Cinthii nepotis cancellarii ejusdem sigillo signatum recepimus, et illud taliter consignatum tibi per dilectum filium nostrum J. Sancti Eustachii diaconum cardinalem duximus transmittendum. Tu vero predicto Urbis sigillo recepto et vocatis aliquibus quos ad hoc vocandos esse cognoveris, illud prudenter aperias et ejus curam tali vel talibus personis habita plena et diligenti deliberatione committas, que hujusmodi ministerium fideliter et provide prosequatur, nec exinde possit de dicte Urbis dispendiis quomodolibet dubitari vel alias ejus negotiis aliquatenus deperire. Intendimus tamen quod per hoc quod sigillum ipsum et ejus curam alii vel aliis committi mandamus, eidem cancellario circa retentionem ipsius sigilli prefate Urbis vel jus aut proprietatem seu possessionem officii cancellarie quod ad eum pertinere asserit nullum in posterum prejudicium generetur, cum ipse per quoddam statutum Urbis prefate super hoc editum esse dicens contra justitiam fore gravatum, causam hujusmodi gravaminis intendat, ut asserit, prosequi coram nobis. Dat. Viterbii, VII idus octobris, anno primo. »

312 Viterbe, 22 septembre 1278.

Philippo episcopo Firmano legationis officium committit in regno Ungarie, ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rascie, Servie, Lodomerie, Galatie et Cumanie partibus illi conterminis, ut pacem in ipsis plene restituat. (Fol. 88 v°; an I, Curiales, n° 91; POTTHAST 21412.)

Ungarie. « *Philippo episcopo Firmano apostolice sedis legato.* In eminenti sedis —. Nunc tamen nobilis regni Ungarie necessitates apostolice sedi frequenter expositas precordialiter intuemur, auditas recolimus et non sine cordis amaritudine sepius contemplamur. Condolemus enim tumultuosis moribus et seditiosis tumultibus illius, qui vel per dissidia simulctarum (1) alterutrum dissident, vel congressus mutuos, et bella plus quam civilia immaniter colliduntur, ex quibus inter alia dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii graviter solium regale deprimitur ejusque depresso regimine non solum in regno ipso vastantur bona fidelium sed jura ecclesiarum et aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, et libertas ecclesiastica dampnabiliter conculcatur, animarum quoque subsecuntur deploranda pericula, nefanda personarum excidia et alia fere innumera detrimenta —. Nos itaque tam ingenti et periculosa necessitate premissorum attente pensata, te de cujus claris meritis et probata industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad regnum ipsum tibi legationis officio plene commisso in eodem regno ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rascie, Servie, Lodomerie, Galatie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellas et destruas, dissipes et dispendas, edifices et plantes in nomine Domini sicut videris expedire, de fratrum nostrorum consilio velut pacis angelum destinamus, injuncto tibi nichilominus ut in regno ipso inter eundem regem et regni personas, necnon tam ibidem quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros, et universos alios cujuscunque conditionis, preminentie sive status agere studeas et tractare, que ad cultum Dei apostolice sedis honorem, observantiam canonice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur status regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum ac animarum salutem et tranquillitatem corporum pertinebunt, et ut circa legationis officium quod in eodem regno Ungarie tibi duximus committendum eo possis prosperari facilius quo solitis legatorum qui missi de latere mare transeunt adornatus insigniis personam nostram quodammodo presentabis, de speciali gratia apostolica tibi auctoritate concedimus, quod eisdem insigniis infra predictum Ungarie regnum duntaxat et terras dominio ejusdem regis subjectas uti libere valeas, predicte legationis officium prosequendo —. Dat. Viterbii, X kalendas octobris, anno primo. »

In eundem modum venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis sive rectoribus, earumque conventibus et collegiis per regnum Ungarie ac partes Polonie, Dalmatie, Croatie, Rascie, Servie, Lodomerie, Galatie, ac Cumanie constitutis salutem. In eminenti sedis —. Dat. ut supra.

313 Viterbe, 22 septembre 1278.

Regi Ungarie mandat quatinus eundem episcopum benigne recipiens et honeste pertractans ipsi tanquam apostolice sedis legato se constituat verbo benivolum et vultu serenum, ejus salubribus monitis et consiliis efficaciter intendendo. (Fol. 89 v°; an I, Curiales, n° 92; POTTHAST 21414.)

« *Carissimo in Christo filio .. regi Ungarie illustri.* In eminenti sedis —. Dat. ut supra. »

In eundem modum regi Servie illustri. Dat. ut supra.

In e. m. dilectis filiis nobilibus viris, universis comitibus, baronibus et militibus ac populis sive comunitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per regnum Ungarie ac

(1) Pour simulctatum.

partes Polonie, Dalmatie, Croatie, Rascie, Servie, Lodomerie, Galatie ac Cumanie constitutis salutem etc. Dat. ut supra.

In e. m. carissime in Christo filie .. regine Ungarie illustri.

In e. m. nobilibus viris ducibus Polonie.

In e. m. nobili viro .. duci Sclavonie. Dat. ut supra.

314 Viterbe, 22 septembre 1278.

R. regi Romanorum illustri mandat quatinus eidem legato in hiis pro quibus se duxerit requirendum clementer assistat. (Fol. 90; an I, Curiales, n° 93; Potthast 21413.)

« *Carissimo in Christo filio R. regi Romanorum illustri.* Respicimus personam cujus —. Dat. Viterbii, x kalendas octobris, anno primo. »

In eundem modum carissime in Christo filie .. regine Romanorum illustri.

315 Viterbe, 22 septembre 1278.

Philippo episcopo Firmano, apostolice sedis legato indulget ut clerici qui cum ipso moram traxerint hujusmodi legatione durante vel alibi de mandato ipsius laboraverint pro negotiis ipsi commissis, proventus beneficiorum, dignitatum et personatuum suorum, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum ea integritate percipere valeant cum qua illos perciperent si personaliter in ecclesiis in quibus dignitates, personatus et beneficia ipsa obtinent residerent. (Fol. 90; an I, Curiales, n° 94; Potthast 21420.)

« *Philippo episcopo Firmano apostolice sedis legato.* Cum te ad —. Dat. ut supra. »

De eadem concessione scribit Jacobo Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali et ei mandat quatinus juxta concessionis tenorem proventus hujusmodi dictis clericis faciat integre ministrari.

In e. m. dilecto filio Jacobo Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali. Cum venerabilis frater —. Dat. ut supra.

316 Viterbe, 22 septembre 1278.

Cum velit ut officii episcopo Firmano commissi executio sit ipsi libera et submotis difficultatibus ac impedimentis quibuslibet expedita, tenore presentium declarat quod sue intentionis et voluntatis existit quod per predicta que ipsi specialiter sunt commissa hiis que ipsi ratione legationis competunt in nullo penitus derogetur. (Fol. 90; an I, Curiales, n° 95; Potthast 21422.)

« *Philippo episcopo Firmano apostolice sedis legato.* Prosperum statum carissimi —. Dat. ut supra. »

317 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem exercendi libere per se vel per alium seu alios censuram ecclesiasticam in archiepiscopos et episcopos, ac in cathedralium et aliarum ecclesiasticarum domorum et monasteriorum tam exemptorum quam non exemptorum prelatos et clericos, conventus et capitula, necnon reges, comites, barones et nobiles, potestates, rectores, ballivos, consilia, communia, universitates et populos locorum illarum partium et quascunque personas ecclesiasticas et seculares publicas et privatas cujuscunque ordinis, conditionis vel dignitatis existant, et terras eorum legationis ejusdem, cum viderit expedire. (Fol. 90 v°; an I, Curiales, n° 96; Potthast 21424.)

« *Eidem.* Prosperum statum etc. Dat. ut supra. »

318 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem indulget ut quandocunque et quotiescunque voluerit, aliquem discretum presbiterum secularem vel religiosum in confessorem suum possit eligere. (Fol. 90 v°; an I, Curiales, n° 97; Potthast 21423.)

« *Eidem.* Ut favorem quo —. Dat. ut supra. »

319 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem concedendi licentiam nobilibus mulieribus quod earum quelibet cum decenti comitiva mulierum semel in anno durante sua legatione possint monasteria quorumcunque ordinum ejusdem legationis causa devotionis intrare, ita tamen quod eedem in eisdem monasteriis cum personis monasteriorum non comedant in conventu et in dictis monasteriis non pernoctent. (Fol. 90 v°; an I, Curiales, n° 98; Potthast 21425.)

« *Eidem.* Consuevit interdum apostolica —. Dat. ut supra. »

320 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem plenam et liberam concedit facultatem testandi, ordinandi et disponendi de libris et aliis bonis suis mobilibus. (Fol. 90 v°; an I, Curiales, n° 99; Potthast 21426.)

« *Eidem.* Quia fragilitatis humane —. Dat. ut supra. »

321 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem per se vel per alium aut alios absolvendi nonnullos per judices a sede apostolica dele-

gatos et subdelegatos excommunicationum sententiis innodatos, a quibus comode non possunt absolvi, pro eo quod aliqui judicum quibus in hoc alii non succedunt viam sunt universe carnis ingressi, aliquorum etiam jurisdictio expiravit. (Fol. 90 v°; an I, Curiales, n° 100; Potthast 21427.)

« *Eidem*. Ad audientiam nostram —. Dat. ut supra. »

322 Viterbe, 21 septembre 1278.

Eidam plenam potestatem concedit ad se vocandi pro expediendis negotiis sibi commissis quoscunque et quotcunque Predicatorum, Minorum et aliorum quorumlibet ordinum fratres sue legationis, necnon dandi illis licentiam ingrediendi cum ipso monasteria monialium, equitandi et vescendi carnibus, dummodo eis ad id voti emissio non obsistat. (Fol. 90 v°; an I, Curiales, n° 101; Potthast 21428.)

« *Eidem*. Ut in commissis —. Dat. Viterbii, XI kalendas octobris, anno primo. »

323 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem faciendi recipi XV clericos in totidem ecclesiis tam cathedralibus quam aliis sue legationis, singulos in singulis, in canonicos et in fratres cum assensu illorum ad quos collatio prebendarum in eisdem ecclesiis pertinet, ac providendi eis de prebendis. (Fol. 91; an I, Curiales, n° 102; Potthast 21429.)

« *Eidem*. Tuam volentes honorare —. Dat. Viterbii, X kalendas octobris, anno primo. »

324 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem plenam et liberam concedit potestatem privandi gratiis a sede apostolica concessis illos clericos, quos indevotos, ingratos et inobedientes in hiis que spectare viderit ad hujusmodi legationis officium forsan invenerit. (Fol. 91; an I, Curiales, n° 103; Potthast 21430.)

« *Eidem*. Cum te ad —. Dat. ut supra. »

325 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem concedit ut vere penitentibus et confessis qui ad fabricas ecclesiarum legationis ipsius manum porrexerint adjutricem decem vel viginti, triginta vel quadraginta dierum indulgentiam per triennium seu quinquennium largiri valeat. (Fol. 91; an I, Curiales, n° 104; Potthast 21431.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. ut supra. »

326 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem concedit ut cum quibuslibet religiosis personis sue legationis, que dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis commiserunt vel commiserint, legatione ipsa durante, symoniacam pravitatem, possit prout expedire viderit dispensare. (Fol. 91; an I, Curiales, n° 105; Potthast 21432.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. ut supra. »

327 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem mandat quatinus domos, munitiones, castra et omnes fructus, redditus ac proventus ad archiepiscopalem sedem Strigoniensem spectantia recipiens ad manus suas, fructus, redditus et proventus predictos ad opus futuri archiepiscopi deponat in aliquo tuto loco, et illos una cum predictis domibus, munitionibus et castris faciat cum summa diligentia custodiri, de conditionibus ecclesie memorate et de ceteris sedi apostolice fideliter rescripturus. (Fol. 91; an I, Curiales, n° 106; Potthast 21433.)

« *Eidem*. Cum te ad —. Dat. ut supra. »

328 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem concedit ut si partes legationis egredi ipsum forte contigerit et in vicinis partibus commorari, possit semel, iterum et quotiens oportunum fuerit reingredi ad easdem, et tam intra ipsas quam extra officium suum in omnibus exercere. (Fol. 91; an I, Curiales, n° 107; Potthast 21434.)

« *Eidem*. Cum te ad —. Dat. ut supra. »

329 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem concedit ut procurationes sibi debitas eadem legatione durante tam in absentia quam in presentia petere ac recipere libere valeat. (Fol. 91; an I, Curiales (1); Potthast 21435.)

« *Eidem*. Cum te ad —. Dat. ut supra. »

330 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem plenam concedit potestatem compellendi quoslibet prelatos necnon regulares Cisterciensis, Premonstracensis, Cluniacensis et aliorum ordinum, magistros quoque, priores,

(1) Cette bulle n'a pas de numéro spécial dans le Registre.

preceptores et fratres Sancti Johannis Jerosolimitani, militie Templi et aliorum quorumcunque hospitalium sive domorum, et alias ecclesiasticas personas per censuram ecclesiasticam ad contribuendum in procurationibus sibi debitis. (Fol. 91 v°; an I, Curiales, n° 108; Potthast 21436.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. ut supra. »

331 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem concedit ut evectiones, quot commissis sibi negotiis viderit expedire, ducere libere valeat. (Fol. 91 v°; an I, Curiales, n° 109; Potthast 21437.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. ut supra. »

332 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem plenam concedit potestatem privandi quoslibet religiosos cujuscunque ordinis, qui super hiis que spectant ad sue legationis officium, mandatis suis plenarie parere contempserint, omnibus indulgentiis et privilegiis, eis ab apostolica sede concessis. (Fol. 91 v°; an I, Curiales, n° 110; Potthast 21438.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. Viterbii, x kalendas octobris, anno primo. »

333 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem absolvendi clericos et laicos utriusque sexus ab excommunicationum sententiis, quas pro eo quod Sarracenis arma et alia prohibita detulerunt incurrisse noscuntur. (Fol. 91 v°; an I, Curiales, n° 111; Potthast 21439.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. ut supra. »

334 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem concedit ut quotiescunque ipsum contigerit proponere verbum Dei, consecrare altaria vel ecclesias aut moniales benedicere, in magnis quoque colloquiis et congregationibus, et in festivitatibus sollempnibus, que occasione predictorum negotiorum tam infra legationis sue fines quam extra fecerit, centum dierum vel, pro quibusdam casibus, unius anni et 40 dierum indulgentiam omnibus vere penitentibus et confessis, qui hujusmodi sollempniis interfuerint largiri valeat. (Fol. 91 v°; an I, Curiales, n° 112; Potthast 21440.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. ut supra. »

335 Viterbe, 21 septembre 1278.

Eidem plenam concedit facultatem concedendi tabellionatus officium tribus vel quatuor personis, quas ad illud post diligentem examinationem ydoneas esse repererit. (Fol. 91 v°; an I, Curiales, n° 113; Potthast 21441.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. Viterbii, xi kalendas octobris, anno primo. »

336 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem dispensandi cum ecclesiarum prelatis et personis ecclesiasticis sue legationis super irregularitate quam contraxerunt, hujusmodi legatione durante, ferendo in alios contra constitutionem Innocentii pape excommunicationis sententiam sine scriptis et non abstinendo a divinis. (Fol. 91 v°; an I, Curiales (1); Potthast 21442.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. Viterbii, x kalendas octobris, anno primo. »

337 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem concedit facultatem providendi centum personis ydoneis in ecclesiis sue legationis cathedralibus et aliis de beneficiis ecclesiasticis, prebendis, personatibus et dignitatibus, et faciendi personas ipsas in ecclesiis, in quibus ei provisum extiterit, si collegiate fuerint, in canonicos seu clericos recipi et in fratres. (Fol. 91 v°; an I, Curiales, n° 114; Potthast 21443.)

« *Eidem*. Cum te ad —. Dat. ut supra. »

338 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem dispensandi cum personis ecclesiasticis, religiosis et secularibus sue legationis, super irregularitate quam contraxerunt, legatione durante predicta, ex eo quod excommunicate receperunt ordines et ministrarunt in ipsis, aut excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis innodate divina officia celebrarunt, postquam ab hujusmodi sententiis rite fuerint absolute, injuncta eis penitentia competenti. (Fol. 92; an I, Curiales, n° 115; Potthast 21444.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. ut supra. »

339 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem plenam et liberam concedit potestatem amovendi a

(1) Cette bulle n'a pas de numéro spécial dans le Registre.

beneficiis, personatibus et dignitatibus ecclesiasticis quoscunque in sua legatione illa invenerit minus canonice obtinere, ipsaque personis ydoneis infra numerum per alias apostolicas litteras ipsi concessum conferendi. (Fol. 92; an I, Curiales, nº 116; Potthast 21445.)

« *Eidem.* Cum te etc. — Dat. ut supra. »

340 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem plenam concedit facultatem dispensandi cum clericis sue legationis de soluto genitis et soluta defectum natalium patientibus generaliter, quod eorum quilibet in susceptis ministrare ordinibus, promoveri ad superiores, et simplex ecclesiasticum beneficium, ducenti vero clericorum eorundem cum cura, centum vero dignitates citra episcopalem, viginti vero de presbiteris, decem de adulterio, decem de regularibus, et septem de incestuosis geniti sine cura obtinere possint. (Fol. 92; an I, Curiales, nº 117; Potthast 21446.)

« *Eidem.* Cum te etc. — Dat. ut supra. »

341 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem plenam et liberam concedit facultatem injungendi fratribus Predicatorum, Minorum, Cisterciensium, Cluniacensium, Premonstracensium, Sancte Marie Theothonicorum, Sancti Benedicti, hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et aliorum ordinum infra sue legationis terminos constitutis quecunque prosecutioni officii viderit expedire. (Fol. 92; an I, Curiales, nº 118; Potthast 21447.)

« *Eidem.* Cum te etc. Dat. ut supra. »

342 Viterbe, 22 septembre 1278.

Eidem plenam concedit facultatem compellendi prelatos cujuscunque dignitatis, necnon personas quaslibet tam Cisterciensis, Premonstracensis, Cluniacensis et aliorum ordinum, magistros quoque, priores, preceptores et fratres hospitalis Jerosolimitani, domus militie Templi et quorumcunque hospitalium sive domorum, quam alias personas ecclesiasticas per censuram ecclesiasticam ad providendum in necessariis nuntiis suis quos pro commissis sibi negotiis destinabit. (Fol. 92; an I, Curiales, nº 119; Potthast 21448.)

« *Eidem.* Cum te etc. Dat. ut supra. »

343 Viterbe, 22 septembre 1278.

Infrascriptis mandat quatinus eundem legatum benigne recipientes et honeste tractantes, ei pro suis et familie sue necessariis et securo conductu liberaliter providere curent. (Fol. 92; an I, Curiales, nº 119; Potthast 21449.)

« In eundem modum venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus, ac ecclesiasticis personis religiosis et aliis ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus exemptis et non exemptis Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini ac aliorum ordinum, necnon magistris et preceptoribus militie Templi et hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et beate Marie Theotonicorum, ad quos littere iste pervenerunt. Salutem, etc. Cum venerabilem fratrem —. Dat. Viterbii, x kalendas octobris, anno primo. »

344 Viterbe, 25 septembre 1278.

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo in civitate Bononiensi et aliis Romaniole ecclesie Romane specialibus, Tuscie quoque in Imperio constitutis, Marchie Tervisine, Patriarchatus Aquilegensis et totius provincie Ravennatis, ac Ferrariensis et Castellane civitatum et diocesum, et Venetiarum partibus, legationis apostolice officium committit. (Fol. 92 vº; an I, Curiales, nº 120; Potthast 21459.)

Legatio L. Ostiensis et Velletrensis episcopi in Tuscia, Romaniola et aliis partibus etc.

« *Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato.* Summi providentia conditoris —. Dat. Viterbii, VII kalendas octobris, anno primo. »

Infrascriptis mandat quatinus eidem episcopo tanquam apostolice sedis legato humiliter intendant et devote. (Fol. 93.)

« In eundem modum venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum exemptis et non exemptis, necnon hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et militie Templi, preceptoribus, magistris et fratribus per Tuscie, Bononiensis, Romaniole, Marchie Tervisine, patriarchatus Aquilegensis, totius provincie Ravennatis, Ferrariensis et Castellane civitatum et diocesum, ac Venetiarum partes constitutis. Salutem, etc. Summi providentia conditoris —. Dat. ut supra. »

345 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem legato mandat quatinus Guidonem comitem de Montefeltro et adherentes ipsi ab excommunicatione absolvat. (Fol. 93; an I, Curiales, nº 121; Potthast 21460.)

« *Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato.* Preteriti temporis malitia —. Dat. Viterbii, VII kalendas octobris, anno primo. »

346 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem exercendi censuram ecclesiasticam in patriarchas, archiepiscopos et episcopos, ac in cathedralium et aliarum ecclesiasticarum domorum et monasteriorum prelatos et clericos, conventus et capitula, necnon comites, barones et nobiles, potestates, rectores, ballivos, consilia, communia, universitates et populos locorum illarum partium et quascunque personas ecclesiasticas et seculares, publicas et privatas, et terras ipsorum legationis ejusdem. (Fol. 93 vº; an I, Curiales, nº 122.)

« *Eidem.* Prosperum statum personarum —. Dat. ut supra. »

347 Viterbe, 25 septembre 1278.

Tenore presentium declarat quod sue intentionis ac voluntatis existit quod per predicta que ipsi legato specialiter sunt commissa, hiis que ipsi ratione legationis competunt, in nullo penitus derogetur, ut officii executio ipsi libera sit et submotis difficultatibus quibuslibet expedita. (Fol. 93 vº; an I, Curiales, nº 123.)

« *Eidem.* Prosperum statum et —. Dat. ut supra. »

348 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem mandat quatinus in partibus Tuscie auctoritate apostolica libere faciat que ad reformationem pacis cognoverit pertinere. (Fol. 93; an I, Curiales, nº 124.)

« *Eidem.* Circa partes Tuscie ac ipsarum incolas, que diutius guerrarum anfractibus fluctuarunt, omnipotens Dominus diebus istis oculos sue benignitatis aperuit et iidem partes et incole illustrari sui luminis claritate nubilo fugato sperantur. Nam intrinseci et extrinseci civitatis Florentine super omnibus litibus, questionibus, dissidiis et discordiis que essent et verterentur, ac esse possent inter eos occasione guerrarum habitarum inter ipsos propter dejectiones factas de ipsis ad invicem pretextu quoque dampnorum et injuriarum ac malorum factorum per eos hinc et inde in ipsis dejectionibus ante et post et in specialibus et generalibus preliis vel aliis quibuscunque occasionibus, modis vel causis, in nos alte et basse, absolute ac libere compromittere curaverunt, ut super predictis et quolibet predictorum sententiare, diffinire, ordinare, statuere, dicere, precipere, mandare ac arbitrari prout quantum et quoties nobis placuerit, semel et pluries, totaliter et in parte, simul et divisim, diebus feriatis et non feriatis, partibus presentibus et absentibus, una parte presente altera absente, sicut in instrumentis super hiis confectis plenius continetur, per nos vel alium seu alios libere valeamus. Cum itaque pro statu pacifico partium earundem te, quem scimus pacis hujusmodi zelatorem, illuc cum plene legationis officio tanquam pacis angelum destinemus, fraternitati tue, de cujus claris meritis et circumspectione plene confidimus, in premissis et similibus si in nos similiter ab aliis earundem partium compromitti contigerit, commictimus auctoritate presentium vices nostras, ut in hiis et eorum quolibet ac aliis contentis et continendis in hujusmodi compromissis et alias pacem contingentibus supradictam ac nichilominus in omnibus aliis predictarum partium, super quibus non est in nos sicut predicitur vel esse aut non esse contigerit compromissum, auctoritate nostra libere facias que ad reformationem pacis ac prosperum statum partium predictarum cognoveris pertinere. Sic itaque circa reformationem pacis hujusmodi mature provideas, et illam circumspectionis industria prosequaris sicque ad ipsam consumandam ferventer intendas et consumatam dante Domino robores firmitatibus oportunis, quod diffidentium animis quies optata proveniat, crescat pacis amenitas et corda collia placentur, nullam scisuram ulterius perceptura, et illi qui se nobis sic fiducialiter commiserunt et committent in posterum concepta spe quietis et gaudii potiantur, et tam ipsi quam alii partium predictarum obtata tranquillitate refecti exultent in tuo adventu jocundo et grata tua presentia delectentur, nec possit ulterius de similibus dubitari. Nos quoque de premissis in te merito quiescentes dignis exinde in Domino laudibus exultemus. Dat. ut supra. »

349 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem plenam concedit potestatem clericis, qui cum ipso fuerint, donec in legationis negotiis ipsi eundo, morando et redeundo propter negotia eadem ipsi astiterint, faciendi integre ministrari proventus suos ecclesiasticos, distributionibus

que in horis canonicis dentur duntaxat exceptis. (Fol. 94; an I, Curiales, nº 125.)

« *Eidem*. Cum te ad —. Dat. ut supra. »

350 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem plenam et liberam concedit facultatem injungendi fratribus predicatoribus Minorum et aliorum ordinum, etiam extra sue legationis terminos, in vicinis tamen partibus constitutis, quecunque prosecutioni officii vel utilitati negotiorum sibi commissorum viderit expedire. (Fol. 94; an I, Curiales, nº 126.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. ut supra. »

351 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem concedit ut cum decem religiosis personis sue legationis cujuscunque sint ordinis, que dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis commiserunt vel commiserint legatione ipsa durante symoniacam pravitatem, possit dispensare. (Fol. 94; an I, Curiales, nº 127.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. Viterbii, VII kalendas octobris, anno primo. »

352 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem concedit ut omnibus vere penitentibus et confessis qui ad fabricas ecclesiarum ipsarum manum porrexerint adjutricem X vel XX, XXX vel XL dierum indulgentiam per triennium seu quinquennium largiri valeat. (Fol. 94 vº; an I, Curiales, nº 128.)

« *Eidem*. Cum te etc. —. Dat. ut supra. »

353 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem concedit ut quotiescunque ipsum contigerit proponere verbum Dei, consecrare altaria vel ecclesias, aut moniales benedicere, in magnis quoque colloquiis et congregationibus, que occasione negotiorum sibi commissorum tam infra legationis sue fines quam extra fecerit, et in festivitatibus sollempnibus, centum dierum et pro quibusdam casibus unius anni omnibus vere penitentibus et confessis qui hujusmodi sollempniis interfuerint indulgentiam largiri valeat. (Fol. 94 vº; an I, Curiales, nº 129.)

« *Eidem*. Cum te etc. — Dat. ut supra. »

354 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem concedit ut si fuerit partes illas ingressus et ex aliqua causa rationabili vel ex improviso forsan eventu postmodum illas egredi ipsum forte contigerit et in vicinis partibus commorari, possit semel, iterum et quotiens oportunum fuerit reingredi ad easdem, et tam intra ipsas quam extra prefatum officium libere in omnibus exercere. (Fol. 94 vº; an I, Curiales, nº 130.)

« *Eidem*. Cum te etc. —. Dat. ut supra. »

355 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem dispensandi cum ecclesiarum prelatis et personis ecclesiasticis sue legationis super irregularitate quam contraxerunt vel contraxerint hujusmodi legatione durante, ferendo in alios contra constitutionem Innocentii pape super hoc editam excommunicationis sententiam sine scriptis, et non abstinendo a divinis. (Fol. 94 vº; an I, Curiales, nº 131.)

« *Eidem*. Cum te etc. Dat. ut supra. »

356 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem dispensandi cum personis ecclesiasticis, religiosis et secularibus sue legationis super irregularitate quam contraxerunt vel contraxerint legatione durante predicta, ex eo quod excommunicate receperunt ordines et ministrarunt in ipsis, aut excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis innodate, divina officia celebrarunt, postquam ab hujusmodi sententiis rite fuerint absolute, injuncta eis penitentia competenti. (Fol. 94 vº; an I, Curiales, nº 132.)

« *Eidem*. Cum te etc. Dat. ut supra. »

357 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem plenam concedit potestatem compellendi prelatos cujuscunque dignitatis, necnon personas quaslibet tam Cisterciensis, Premonstratensis, Cluniacensis et aliorum ordinum, magistros quoque, priores, preceptores et fratres hospitalis Jerosolimitani, domus militie Templi et quorumcunque aliorum hospitalium sive domorum, quam alias personas ecclesiasticas per censuram ecclesiasticam ad providendum in necessariis nuntiis suis, quos pro negotiis sibi commissis destinabit. (Fol. 94 vº; an I, Curiales, nº 133.)

« *Eidem*. Cum te etc. Dat. ut supra. »

358 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem plenam concedit potestatem compellendi easdem personas per censuram ecclesiasticam ad contribuendum in procurationibus sibi debitis. (Fol. 94 v°; an I, Curiales, n° 134.)

« *Eidem.* Cum te etc. Dat. ut supra. »

359 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem plenam concedit potestatem ut procurationes sibi debitas eadem legatione durante tam in absentia quam in presentia petere ac recipere libere valeat. (Fol. 94 v°; an I, Curiales, n° 135.)

« *Eidem.* Cum te etc. Dat. ut supra. »

360 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem concedit, ut evectiones, quot commissis sibi negotiis viderit expedire, ducere libere valeat. (Fol. 95; an I, Curiales, n° 136.)

« *Eidem.* Cum te etc. Dat. ut supra. »

361 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem plenam concedit potestatem ad se vocandi quoscunque et quotcunque Predicatorum, Minorum et aliorum quorumlibet ordinum fratres sue legationis necnon dandi illis licentiam ingrediendi secum monasteria monialium, equitandi et vescendi carnibus, dummodo eis vel eorum alicui ad id voti emissio non obsistat. (Fol. 95; an I, Curiales, n° 137.)

« *Eidem.* Ut in commissis —. Dat. ut supra. »

362 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem faciendi recipi decem clericos suos in ecclesiis tam cathedralibus quam aliis sue legationis, cum assensu illorum ad quos collatio prebendarum in eisdem pertinet, in canonicos et in fratres, ac providendi eis de prebendis, si vacant ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas. (Fol. 95; an I, Curiales, n° 138.)

« *Eidem.* Tuam volentes honorare —. Dat. ut supra. »

363 Viterbe, 25 septembre 1278.

Eidem mandat quatinus nichil in temporalibus infeudare, ratificare vel quomodolibet confirmare procuret, sed que invenerit, personas infeudationes, ratificationes et confirmationes hujusmodi postulantes, res que petuntur, et omnes et singulas circumstantias premissorum, postulantibus eisdem curialiter exauditione suspensa, nec aliqua diffidentia vel desperatione precisa, sedi apostolice fideliter per litteras referat, proviso ut que ad consequenda et manutenenda in eisdem partibus jura predicta transmiserit ea quoquomodo non minuat, vel quomodolibet alienet. (Fol. 95; an I, Curiales, n° 139.)

« *Eidem.* Cum te ad —. Dat. ut supra. »

364 Capranica, 17 octobre 1278.

Eidem liberam concedit facultatem vocandi ad se quotiens et quando expedire viderit et retinendi secum sex vel quatuor fratres ordinis Predicatorum de partibus ipsis vel aliunde, preter illos quos secum ad presens habere dinoscitur, ac eisdem fratribus dum obsequiis suis institerint, equitandi et vescendi carnibus liberam licentiam concedendi, dummodo ad id eorum voti emissio non obsistat. (Fol. 95; an I, Curiales, n° 140.)

« *Eidem.* Cum te etc. — Dat. Crapanice, XVI kalendas novembris. »

365 Capranica, 17 octobre 1278.

Eidem plenam et liberam concedit facultatem ut de bonis mobilibus ecclesiasticis presentibus et futuris sue dum viveret dispensationi seu administrationi commissis, pro decentibus et honestis expensis sui funeris ac pro remuneratione illorum qui sibi viventi serviverint, sive sint consanguinei, sive alii, juxta servitii meritum testari ac disponere possit et alias de ipsis in pios usus ac licitos convertendis, sicut sibi inter vivos de eisdem licebat de jure disponere ac illa in usus similes applicare. (Fol. 95; an I, Curiales, n° 141.)

« *Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo.* Quia presens vite —. Dat. Capranice, XVI kalendas novembris, anno primo. »

366 Viterbe, 25 septembre 1278.

Infrascriptis mandat quatinus dictum legatum benigne recipientes et honeste tractantes, pro suis et familie sue necessariis et securo conductu necnon in evectionibus oportunis, si sue in via decesserint vel defecerint, liberaliter providere curent; et si eundem legatum in aliquibus locis vel loco interdum moram trahere contigerit, vult « quod non solum earundem vicinarum vel adjacentium partium sed aliarum etiam, sicut eidem legato pro hujusmodi oneribus dividendis et faci-

lius supportandis expedire viderit, remotarum archiepiscopi, episcopi — contribuere in subventionibus hujusmodi teneantur. » (Fol. 95 v°; an I, Curiales, n° 142.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis, et earum vices gerentibus, ac ecclesiasticis personis religiosis et aliis ecclesiarum et monasteriorum, capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, Sancti Benedicti et Sancti Augustini, ac aliorum ordinum, necnon magistris et preceptoribus militie Templi et hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, et beate Marie Theotonicorum, ad quos littere iste pervenerint. Salutem etc.* — Cum venerabilem fratrem —. Dat. Viterbii, VII kalendas octobris, anno primo. »

HIC INCIPIUNT LITTERE GRECORUM :

367 Viterbe, 7 octobre 1278.

Michaelem imperatorem Grecorum hortatur ut oportune, imo si opus fuerit etiam importune insistat ad complendum opus unionis inter Latinos et Grecos; eum obsecrat ut nuncios, quos ipsi destinat, videlicet Bartholomeum episcopum Grossetanum et fratrem Bartholomeum de Senis ministrum Syrie, Philippum Perusinum et Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum benigne recipiat, et eos ad pleniorem negotii unionis consumationem efficaciter adjuvet. (Fol. 95 v°; an I, Curiales, n° 143; POTTHAST 21465.)

« *Carissimo in Christo filio nostro Michaeli Palaeologo Imperatori Grecorum illustri salutem et apostolicam benedictionem.* Sicut ex litterarum tue magnitudinis sedi apostolice novissime directarum grata lectione collegimus, illud ad laudem tui nominis magis claret, immo clarius syderis instar irradiat, quod ad catholice fidei veritatem, quam sedes eadem tenet, docet et predicat, zelo devotionis afficeris; ipsam devotus amplecteris, ad ejus unitatem cunctos tibi subditos adducere satagis et debitam ei reverentiam invariabili proposito conservare promittis. Quid enim puriore luce relucet in principe, quam fidei recte sinceritas et vera religio que, cum in luminis et vite dirigantur actorem, tenebras respuunt, subjacere defectui nesciunt nec verentur occasum. Probant autem laudabilem tue in hiis sinceritatis affectum ejusdem vere catholiceque fidei tua fidelis, clara et aperta professio, primatus sacrosancte Romane ecclesie devota recognitio spontaneaque susceptio; debite sibi obedientie prompta et humilis sponsio corporaliter a te prestito juramento firmata, scismatis abjuratio per te publice facte, ac in earundem litterarum serie juxta formam per eandem sedem traditam plenius seriatim expresse; quas ipsi sedi per tuos apocrisarios presentatas non solum ad veritatis testimonium sed et ad memorabile tue laudis preconium tam presentibus quam posteris memorandum in archivis ejusdem ecclesie facimus conservari. Sane, fili, dum ardorem desiderii, quo ad Latinos et Grecos antiquo scismate separatos, in caritatis mutue vinculo et unitate fidei uniendos per sanctos patres Romanos pontifices predecessores nostros est suspiratum ardentius, et labores immensos quibus est hinc inde diutius laboratum memoria recensemus, quod in premissis actum ab excellentia tua comperimus, tanto votis nostris cedit acceptius, quanto solet haberi gratius et reputari preclarius, quod anxie queritur et laboriosius obtinetur. Et quidem cunctis Christiane religionis comunionem habentibus in hiis de reintegratione religionis ejusdem communis prestantur excitativa letitie; sed nobis eo majoris jocunditatis et gaudii specialior causa succrescit, quo magis, dum minori fungebamur officio, eorundem fuimus laborum participes et desiderii non expertes; quo singularius hec a nobis ad Apostolatus culmen assumptis diligentiam promotionis exposcunt, que prius cooperationis tantummodo commune nobis et aliis ministerium exigebant. Sed et tu, princeps magnifice, te letanter in his considera preducem; et letare per alios etiam tuum imitaturos exemplum tibi retributionis premium aliis concurrentibus meritis adaugendum. Considera, quod fortes animo nec debiles viribus, qui prudenter sui operis afficiuntur ad exitum, quo plus fini propinquant diligentius operantur. Sic et hii, qui in agone contendunt, quo minus restat de cursus instantia eo currere nituntur instantius; et quo de victoria magis sperant ad bravium plus aspirant. Ego igitur, et tu fili, qui tantum in te ac aliis, et precipue in dilecto filio nobili viro Andronico nato tuo sic desideratis dedisti principium, tantum in sic accepto unionis perutilis opere processisti, cum presto tibi fatearis potentiam virium, nec promptum diffitearis aut diffiteri deceat animum, insta opportune, immo si opus fuerit etiam importunus insiste. Insta ut que in te ipso cepisti feliciter in prelatis et aliis etiam ore ac opere compleantur. Suppleantur omnino que desunt, nec ulterius pretermittantur aut differantur omissa. Cum igitur, sicut non solum fame, verum etiam missorum dudum ad te nunciorum ipsius ecclesie relatio perhibet, et veritas et tua nichilominus assertio habeat, quod totaliter a te hu-

jusmodi negotium ejusque dependet consummata perfectio, tue decet esse sollicitudinis, tue cure, ut idem negotium celerem desiderate sed procul dubio nimium prorogate consequatur effectum. Ideoque nos qui ad hoc summo desiderio suspiramus, tibi singulariter innitentes, ad id apud tuam excellentiam, et cum ea, quin potius et per eam apud ceteros scilicet prelatos ac alios exacta diligentia procurandum, venerabilem fratrem nostrum Bartholomeum episcopum Grossetanum, et dilectos filios fratres Bartholomeum de Senis ministrum Syrie, Philippum Perusinum et Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum, viros catholice fidei zelatores, scientia preditos, observatores voluntarie paupertatis et vere humilitatis amicos ad tuam presentiam destinamus; celsitudinem tuam rogantes et obsecrantes in Domino Jhesu Christo quatinus ipsos ob reverentiam apostolice sedis et nostram ea, que tantum decet principem, benignitate recipiens, illa que ad pleniorem ejusdem negotii consummationem, soliditatem roburque solidius tam per te ipsum quam per alios facienda suaserint clementer audias; et ut efficaciter impleantur, ad augendum retributionis tue premium et ampliandum laudis titulum, operosus intendas. Ceterum moram apocrisariorum tuorum apud sedem eandem, quam ipsius sedis vacatio tibi, ut credimus, non ignota, et nostre promotionis novitas induxerunt, habeat tue mansuetudinis circumspectio excusatam. Ad petitiones autem per eos coram felicis recordationis Gregorio et Innocentio quinto Romanis pontificibus predecessoribus nostris nomine tuo propositas, et novissime in nostra et fratrum nostrorum presentia repetitas scimus per speciales litteras ejusdem predecessoris Innocentii plene, prout suasit facti qualitas, fuisse responsum; quam quia nulla postmodum novitas immutavit nec nos ad eas responsionem putavimus immutandam. Dat. Viterbii, nonis octobris, anno primo. »

368 Viterbe, 7 octobre 1278.

Eidem commemorat quid fecerit Joannes papa predecessor suus ad reformandam concordiam inter ipsum ex una parte, ac imperatorem Constantinopolitanum et Sicilie regem ex altera; conquerit ipsum nihil respondisse eidem pontifici; eum hortatur ut quatuor nuntiorum sedis apostolice monitis intendat, et apocrisiarios suos pro pace tractanda infra quinque menses post receptionem presentium ad sedem apostolicam destinare non omittat. (Fol. 96; an I, Curiales, nº 144; Potthast 21466.)

« *Eidem.* Ex more quemvis opificem conservatio sui operis afficit, et ad vitanda sollicite quecunque contrarii etiam suspitionem inducerent instinctus quasi naturalis inducit. Porro circa negotium unionis inter Latinos et Grecos, non sine multo et mutuo hinc inde labore promotum, eminet evidenter sacrosancte Romane ecclesie nec sollicitudo dissimilis nec dispar affectus. Siquidem felicis recordationis Joannis pape predecessoris nostri tempore apostolicis directis magnificentie tue litteris, ne unio eadem ex dissensione, quam inter te ex parte una, et carissimos in Christo filios nostros imperatorem Constantinopolitanum et C. Sicilie regem illustres ex altera temporalium subministrat occasio, dispendium sentiret in aliquo, facti circumstantias non sub involucro verborum involvere nec sub aliquo velamine velare studuit, sed revelata veritate dictorum principum querelas aperuit, detexit instantiam et propositum non celavit nec obmisit, sed ad comunem cautelam sueque puritatem conscientie conservandam pia denuntiavit intentione pericula, que dissentio eadem comminatur. Ad que vitanda consultius predictis principibus exhortatis ad pacem, magnificentiam tuam monuit et rogavit attentius paterno affectu nichilominus persuadens, ut proinde dubiis guerrarum consideratis et vitatis eventibus, quos solent innumera dispendia prevenire, animum tuum ad concordiam preparans et disponens ad pacem, ac vias et modos per quos inter te ac principes memoratos pax et concordia possent provenire, facilius diligenter excogitans illos sedis apostolice nuntiis tunc ad tuam presentiam destinatis communicare, ac ipsos super eis informare curares; et nichilominus apocrisarios tuos animum et plenum ad prosequendum eosdem modos et vias, et etiam consumandum mandatum habentes, infra certum terminum in literis ipsis expressum ad sedem destinares eadem. Sed ne et medio tempore per molestias vel injurias aliquas inter te et sepefatos principes posset exasperari negotium, ut ab illis abstineretur omnino, treugas aliquas, ad quas memoratos principes variis inductionibus inclinarat, prout predicti nuntii sui suggererent, persuasit iniri. Super hiis autem nullo a magnitudine tua recepto responso, ex eo nobis et fratribus nostris datur admirationis non injuste materia; quod cum prediceris vir esse consilii, vir magne prudentie, tantum ac tale spiritualis tui patris consilium ne contempsisse dicaris, taliter preteristi, nec ipsum facto prosequens nec ad illud scripto seu verbo respondens, presertim cum habuerit hactenus tua instans et repetita petitio, quod ad Latinos et Grecos in caritate mutue solidandos tractatus erat temporalium premittendus : licet ejusdem ecclesie circumspecta provisio non indigne a spiritualibus

elegerit initium assumendum. Quia vero per hec monitioni carorum insistitur, ad quorum utilitatem stimulis caritatis urgemur, quanquam ex parte tua non fuerit efficaciter premissa, ut decuit, admissa monitio, nos tamen propterea nequaquam desistendum a ceptis, sed ad conservationem unionis ipsius et vitandum pervigili studio quecunque possent occasionem turbationis ejus inducere, premissum affectum ejusdem ecclesie prosequendum potius extimantes, excellentiam tuam attente rogamus et affectuose monemus exhortantes in Domino Jhesu Christo, quatinus prudenter attendens, quanta ex hujusmodi sedatione discordie detur non solum utrique parti sed etiam toti quasi Christianitati tranquillitas, quanta vitentur ex ea pericula, quam sit eadem animarum saluti congrua et soliditati tui tuorumque status accomoda, juxta premissas exhortationes et persuasiones ejusdem tue matris ecclesie sine cunctatione aliqua pacis semitas prosequaris, et in excogitandis predictis viis et modis venerabili fratri nostro Bartholomeo episcopo Grossetano, et dilectis filiis fratribus Bartholomeo de Senis ministro Syrie, Philippo Perusino et Angelo Urbevetano lectoribus ordinis Minorum nuntiis nostris circa illos, prout utilius fore putaveris, informandis nullam ulterius negligentiam habiturus; apocrisarios tuos, viros quidem idoneos, viros pacificos ad pacem et concordiam, ut premittitur, animum et mandatum habentes infra quinque menses post receptionem presentium destinare ad ejusdem sedis presentiam non omittas. Sed et ad compescendum hinc inde molestias et injurias que possent partium animos irritare, circa treugas certi temporis cum dictis principibus ineundas eorundem nuntiorum nostrorum persuasionibus acquiescas; pensans consultius, quod cum treugarum conventio ex utriusque partis consensu dependeat, non expedit alterutram partium certam formam eligere, sed ad communem et equalem decet eas animos inclinare, nec aliquid petere, quod vel absurditatem sapiat, vel a justitia et ratione discordet. Dat. ut supra. »

369 Viterbe, 7 octobre 1278.

Andronicum filium Michaelis hortatur ut ad consummationem unionis inter Latinos et Grecos promote fideliter insistat; ei mandat quatinus nuntiis apostolicis se favorabilem exhibeat et benignum, et apud genitorem suum sollicitam operam studiosus impendat, ut consiliis et suasionibus sedis apostolice acquiescat. (Fol. 96 v°; an I, Curiales, n° 145; Potthast 21467.)

« *Dilecto filio nobili viro Andronico primogenito carissimi in Christo filii nostri M. Paleologi imperatoris Grecorum illustris salutem etc.* Age fili prudenter, et humiliter immensa beneficia tui Creatoris attende; attende quanta tue juventutis auspicia sue dulcedinis benedictione prevenit. Ipse quidem, ut sue circa te largitatis abundantiam in temporalibus taceamus, in te oculos interioris hominis suo lumine illustravit. Emisit in tue mentis habitaculum lucem suam, dedit intelligere catholice fidei veritatem; ut in montem sanctum suum, in communionem videlicet et unitatem sacrosancte Romane ecclesie per professionem ipsius fidei, recognitionem et susceptionem primatus ecclesie, sponsionem debite sibi obedientie, abjurationem scismatis, que omnia tue testantur littere, quas noveris per sedem apostolicam gratanter et benigne receptas, suo ducatu deductus, tandem in dilecta ejus tabernacula per continuationem bonorum operum feliciter adducaris. Ipse sic erga carissimum in Christo filium nostrum M. Paleologum imperatorem Grecorum illustrem genitorem tuum et te ipsum pium direxit ejusdem matris ecclesie studium; ut non solum per hec ei et tibi spiritualiter consuluerit ad salutem, sed et salubribus multiplicatis persuasionibus, que in aliis eidem genitori tuo tam a felicis recordationis Joanne Papa, predecessore nostro, quam a nobis directis litteris exprimuntur, temporaliter ad securitatem status satagit providere. Decet igitur ut et tu, ne periculose de tantis gratiis comperiaris ingratus eidem Creatori tuo, pro omnibus que tibi tribuit, aliquid gratitudinis pro tue possibilitatis viribus recompenses. Cum itaque ad perfectiorem consumationem unionis jam per ipsius genitoris et tuam sollicitudinem promote feliciter inter Latinos et Grecos, non solum que per ipsum, et per te acta sunt in prelatis et aliis agenda supersint, sed et alia nonnulla supplenda, ad quorum prosecutionem de tua cooperatione specialiter confidentes, venerabilem fratrem nostrum Bartholomeum episcopum Grossetanum, et dilectos filios fratres Bartholomeum de Senis ministrum Syrie, Philippum Perusinum et Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum, viros catholice fidei zelatores, scientia preditos, observatores voluntarie paupertatis et vere humilitatis amicos ad ipsius imperatoris et tuam presentiam destinamus, magnitudinem tuam monemus, rogamus et hortamur attente in Domino Jhesu Christo quatinus provide pensans, quod solum bene cepisse non sufficit, nisi perseveranter usque ad operis exitum persistatur, ob reverentiam apostolice sedis et nostram eisdem nuntiis te favorabilem exhibens et benignum in hiis que ad perfectionem solidam dicte unionis faciende suaserint; et specialiter apud sepe fatum genitorem tuum, ut nostris consiliis et suasionibus tibi et eidem procul-

dubio, ut speramus, utilibus acquiescat, sollicitam operam studiosus impendas. Per hoc etenim non solum tibi laudis titulum et retributionis meritum ampliabis sed et statui tuo consultius, auctore Domino, providebis. Dat. ut supra. »

370 Viterbe, 8 octobre 1278.

Infrascriptis mandat quatinus juxta requisitionem nuntiorum apostolicorum, omnes et singuli singulariter veram fidem profiteantur, recognoscant et suscipiant primatum ecclesie Romane, abjurent schisma et obedientiam promittant. (Fol. 97; an I, Curiales, n° 146. Potthast 21470.)

« *Venerabilibus fratribus Patriarche, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, ceteris prelatis Grecorum.* Fraternitatis tue litteras, frater Patriarcha, professionem vere catholicque fidei, quam Romana ecclesia tenet, docet et predicat, aspernationem et abnegationem antiqui scismatis, ut earundem litterarum verbis utamur, recognitionem et susceptionem primatus ipsius ecclesie, ac sponsionem obedientie spontaneam ad eandem per te nomine tuo et totius synodi apud vos antea celebrate certo modo factas inter alia continentes, sedes apostolica benigne recepit, et eas diligenter inspiciens vestrum ad negotium unionis inter Latinos et Grecos divino beneplacito inchoatum, et charissimi in Christo filii nostri Michaelis Paleologi Grecorum imperatoris illustris, dilecti filii nobilis viri Andronici nati ejus ac vestra solerti cooperatione promptum, quem eedem littere pretendebant, notavit affectum, probat multipliciter et commendat : super quo illi sacrificium laudis offerimus et jubilationis hostiam immolamus, qui eorundem imperatoris, nobilis et vestros oculos mentis aperuit intellectum tribuens, et vos ad agnitionem veritatis aducens; et quidem fratres et filii letanter attendimus et gratanter accepimus multa in eisdem litteris contineri professioni ejusdem vere fidei consona, recognitioni dicti primatus accomoda, obedientie sponsioni congrua et abjurationi prefati scismatis opportuna. Verum cum in predictis propenso consilio et discussione sollicita ejusdem ecclesie certa, quam esse decet in omnibus uniformem, forma sit prodita, per memoratos imperatorem et nobilem acceptata, jamdudum per eorum nuntios in generali Lugdunensi publicata concilio, et ab ipsis nuper in personis propriis publice ac solempniter iterata, illam censuimus omnimodis observandam ; presertim cum expediat in iis uniformiter ab omnibus per hujusmodi unionem uniendis in fidei unitate procedi; et vos velut jam factos obedientie filios deceat ipsius ecclesie vestre omniumque matris fidelium et magistre fideli magisterio per observationis promptitudinem humiliter adherere; ac juxta ejus beneplacitum, dispositionem circa hujusmodi negotium adimplere sollicite omnia; et maxime illa que ad ipsum consumandum plenius et solidius roborandum per nuntios novissime ad hoc missos ex ejusdem ecclesie parte requisita, nec adimpleta fuerunt. Ideoque venerabilem fratrem nostrum Bartholomeum episcopum Grossetanum, et dilectos filios fratres Bartholomeum de Senis ministrum Syrie, Philippum Perusinum et Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum, viros catholice fidei zelatores, scientia preditos, observatores voluntarie paupertatis et humilitatis amicos ad hec inter cetera specialiter destinantes, universitatem vestram monemus, rogamus et obsecramus in Domino Jhesu Christo, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus juxta requisitionem ipsorum, omnes et singuli singulariter premissam veram fidem profiteamini, recognoscatis et suscipiatis primatum, abjuretis scisma; obedientiam promittatis. In his supradictam formam vobis per eosdem nostros nuncios presentandam studiose per omnia observando, et in ceteris, ut predicitur, non impletis, ac aliis que iidem nuncii ad perfectam consumationem ejusdem negotii duxerint requirenda ipsis acquiescendo humiliter et cooperando efficaciter, quod idem negotium celeriter absque ulterioris more dispendio studio vestro perfectius consummatum nos, qui anxio et immenso id desiderio affectamus, ac universalem ecclesiam sanctam Dei letificet civitatem, vobisque non solum apud nos ad uberioris favoris cumulum, sed apud retributorem bonorum omnium ad fecundiorem retributionis cedat augmentum. Dat. Viterbii, VIII idus octobris, anno primo. »

371 Viterbe, 9 octobre 1278.

Infrascriptis mandat quatinus ad partes Grecorum personaliter accedentes tam circa imperatorem et primogenitum ipsius, quam circa prelatos et alios premissa mandata sua studeant exequi diligenter; eisdem concedit facultatem audiendi confessiones, excommunicandi turbatores negotii unionis, interdicti sententias proferendi, absolvendi Latinos et Grecos ab excommunicationis sententia, dispensandi cum clericis, si opus fuerit, et concedendi securitatem plenariam nuntiis imperatoris, primogeniti et prelatorum ad sedem apostolicam venire volentibus. (Fol. 97 v°; an I, Curiales, n° 147; Potthast 21471.)

« *Venerabili fratri Bartholomeo episcopo Grossetano et*

dilectis filiis fratribus Bartholomeo de Senis ministro Syrie, Philippo Perusino et Angelo Urbevetano lectoribus ordinis Minorum. Desiderantes ut ea —. Dat. Viterbii, VII idus octobris, anno primo. »

372 Viterbe, 9 octobre 1278.

Eisdem mandat quatinus prudenter procedant, a Grecis recipere studentes omnia et singula in memoriali infrascripto contenta. (Fol. 97 v°; an I, Curiales, n° 148.)

« *Eisdem.* Licet ea que in memoriali vobis exhibito continentur prout exprimitur ibidem vel eadem saltem sicut in alia cedula vobis a nobis tradita mitigantur plenis cupiamus affectibus adimpleri, quia tamen unionis inter Latinos et Grecos tractate negotium intendimus studiis promovere sollicitis, et ne per alicujus dolosam astutiam dispendia turbationis incurrat cautis presidiis confovere volumus et discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus duce prudentia in negotio procedentes tam a Paleologo et primogenito ejus, quam a prelatis et clero Grecorum predicta omnia et singula in memoriali contenta prefato vel saltem eadem prout in predicta tradita vobis sunt cedula mitigata recipere studeatis. Quod si predicti ea, prout ipsius memorialis habet expressio vel saltem ejusdem cedule mitigatio comprehendit, noluerint adimplere, vos ab ipsis ea que poteritis comode recipere studeatis, eis tunc apertius exprimentes quod illa recepta taliter in hujusmodi negotio nequaquam sufficere dinoscuntur, verumtamen ad apostolice sedis notitiam eadem vive vocis oraculo perducetis. Dat. ut supra. »

373 Viterbe, 11 octobre 1278.

Eisdem concedit facultatem assumendi interpretes in utraque lingua peritos, cujuscunque ordinis vel professionis existant, et illos ad prosecutionem negotii compellendi, addito quod si duo ex iisdem in assecutione premissorum contingat quomodolibet impediri, reliqui duo eadem nichilominus prosequantur. (Fol. 97 v°; an I, Curiales, n° 149; Potthast 21476.)

« *Eisdem.* Cum vos ad —. Dat. Viterbii, v idus octobris, anno primo. »

374 Viterbe, 7 octobre 1278.

Eisdem mandat quatinus in executione negotii sibi commissi prudenter et sollicite procedere studeant; si non omnes iis exequendis interesse potuerint, duo ipsorum ea nichilominus exequantur. (Fol. 98; an I, Curiales, n° 150; Potthast 21463.)

« *Eisdem.* Cum vos ad —. Dat. Viterbii, nonis octobris, anno primo. »

375 Viterbe, 7 octobre 1278.

Archiepiscopis, episcopis et aliis prelatis, seu personis ecclesiasticis, necnon nobilibus viris, militibus, officialibus civitatum et aliis ad quos littere iste pervenerint, mandat quatinus eosdem nuntios benigne recipientes, ipsis de securo conductu liberaliter providere curent. (Fol. 98; an I, Curiales, n° 151; Potthast 21464.)

« *Eisdem, littera de securo conductu.* Nicolaus etc. venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, eorumque capitulis et conventibus, necnon nobilibus viris marchionibus, ducibus, comitibus et baronibus, militibus, potestatibus, communitatibus, et officialibus civitatum, castrorum aliorumque locorum, ad quos littere iste pervenerint. Salutem etc. Cum venerabilem fratrem —. Dat. ut supra. »

376 (Sans date.)

Eisdem quatuor legatis memoriale dat, continens quid agere pro negotio eis commisso, et qualiter apud imperatorem Grecorum, patriarcham et prelatos se habere debeant. (Fol. 98; an I, Curiales, n° 152; Potthast 21473.)

« *Istud est memoriale quod portaverunt B. episcopus Grossetanus, et fratres superius nominati.*

» In commissi vobis executione negotii, venerabilis frater, Bartholomee episcope Grossetane, et dilecti filii fratres Bartholomee de Senis minister Syrie, Philippe Perusine et Angele Urbevetane, lectores ordinis Minorum, talis videtur processus habendus.

» In primo igitur adventu vestro benigne et affectuose benedicatis ex parte nostra carissimum in Christo filium nostrum Michaelem Paleologum imperatorem Grecorum illustrem, et dilectum filium nobilem virum Andronicum primogenitum imperatoris ejusdem.

» Item referetis diligenter eis quam gaudenter, quam benigne nos et fratres nostri recepimus litteras eorum super fidei professione, primatus ecclesie Romane recognitione ac susceptione, scismatis abjuratione ac obedientie sponsione transmissas, quantum etiam gaudium

fuit et est exinde apud universos Latinos, qui ex hoc spem concipiunt consumande plenius unionis inter Latinos et Grecos. Post hec presentande sunt ipsi Paleologo littere apostolice que mittuntur super spiritualibus, et sic incipiunt : Nicolaus etc. carissimo in Christo filio M. Paleologo etc. Sicut ex litterarum que magnitudinis etc. Deinde representande sunt littere que mittuntur nobili viro Andronico nato ejusdem imperatoris, et incipiunt : Nicolaus etc. nobili viro Andronico primogenito etc. Age fili etc. Tertio presentabitis litteras que super spiritualibus diriguntur patriarche, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prelatis, que incipiunt Nicolaus etc. Venerabilibus fratribus patriarche, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus etc. Fraternitatis tue litteras etc.

» Demum ut ad temporalia erga ipsos imperatorem et primogenitum competentior habeatur accesus (*sic*), premittetis qualiter Romana ecclesia mater omnium fidelium et magistra ipsos utpote ad suum gremium jam reversos inter alios catholicos principes plenis favoribus quantum cum Deo et sine offensa justitie poterit intendens prosequi et fovere sollicite cogitavit et cogitat, ut unionis predicte negotium sic summotis impedimentis quibuslibet solidetur, quod auctore Domino eorundem imperatoris et primogeniti ac etiam posterorum suorum status tranquillior et firmior perseveret. Et ideo eadem Romana ecclesia non solum ad solidandum ipsius unionis negotium quo ad spiritualia sed ad tollendum etiam quo ad temporalia omnem dissentionis et turbationis materiam aciem sue provisionis extendens, tempore felicis recordationis Johannis pape predecessoris nostri, nichil eidem imperatori celavit, nichil operuit, sed tanquam sollicita mater et diligens omnia illi velud filio predilecto per litteras suas aperuit et manifestare curavit, sanumque ac salubre consilium tribuit et eum attentum reddidit, ut prescius diligenter attenderet et sibi suoque statui per vias pacificas consultius provideret, super eo presertim quod nonnulli principes Latinorum, qui multum se dicunt confidere de sua justitia et potentia gentis sue, ab imperatore prefato injuriam sibi asserunt irrogari. Ad hec autem amplius dilatanda et efficaciter prosequenda, prout Dominus ministrabit, magna sumi potest instructio ex litteris memorati predecessoris Johannis, quarum tenorem habetis, que incipiunt Johannes etc. carissimo in Christo filio M. Paleologo etc. Pacis emulus etc.; et ex nostris que per vos super temporalibus eidem imperatori mittuntur, et incipiunt : Nicolaus etc. carissimo in Christo filio etc. Ex more quemvis opificem etc. Que quidem nostre littere post premissa, ut predicitur, prelibata eidem imperatori per vos sunt presentande, et super his que continentur in eis caute ac prudenter instandum.

» Sed ante presentationem et instantiam hujusmodi petenda est ab imperatore predicto multiplicatio litterarum super fidei professione, primatus recognitione ac susceptione et obedientie sponsione missarum ab ipso per nuntios, qui novissime redierunt, hoc tamen mutato, ut non scribatur felicis recordationis predecessori nostro Gregorio, sed nobis. Ad hujusmodi autem mutationem non est importune instandum, sed ita si de plano possit haberi. Similis multiplicatio petenda est a dicto primogenito, et attendendum quod hujusmodi multiplicatio facienda est in conservabili pergameno, non in papiro. Item attendendum quod littere sic multiplicande bullande sunt bulla aurea, sicut et predicte jam misse bullate fuerunt. Item suadeatur diligenter eidem imperatori ut cum patriarcha et alii prelati nondum fecerint professionem fidei, recognitionem et susceptionem primatus ejusdem ecclesie Romane, abjurationem scismatis et obedientie sponsionem juxta formam ab eadem ecclesia traditam, cui debent ipsi obedientie filii, maxime in hiis que consumationem, robur et firmitatem unionis tractate respiciunt, tamquam omnium ecclesiarum capiti, sue matri et magistre devote parere ipse imperator, qui fatetur et asserit a se totum dependere negotium suamque fore in hiis omnibus liberam potestatem, det operam efficacem, ut et premissa fiant a prelatis eisdem, et cetera omnia que ad solidationem unionis eidem per vos ut inferius exprimitur sunt petenda plenarie per omnia compleantur. Item super eo quod dictus imperator in prefatis suis litteris petiit, ut ecclesia Grecorum dicat sanctum symbolum sicut dicebat hoc ante scisma, et ipsi Greci maneant in ritibus suis : respondendum est quod unitas fidei non patitur diversitatem in professoribus suis sive in professione, sive in decantatione vel alia ipsius fidei publicatione, et maxime in decantatione symboli, quod quanto magis in ecclesia frequentatur tanto apparere debet amplius uniforme, et ideo deliberavit eadem Romana ecclesia, et vult ipsum cum adjectione illa filioque tam a Latinis quam a Grecis uniformiter decantari; et quia de adjectione illa specialiter actum est, et recognitio vere fidei occultari non debet, sed revelari potius et publice predicari, de ceteris autem Grecorum ritibus sic respondendum est : scilicet quod eadem Romana ecclesia intendit Grecos quantum cum Deo poterit favorabiliter prosequi et ipsos in illis eorum ritibus de quibus sedi apostolice visum fuerit, quod per eos catholice fidei non ledatur integritas nec sacrorum statutis canonum derogetur. Ceterum quia dum ea que agenda imminent tractabuntur ab injuriis et molestiis que pos-

sent exasperare negotium et pacis perturbare tractatum expedit hinc inde penitus abstinere, agendum est in primis de treugis alicujus temporis propter hoc specialiter ineundis, de quibus prefatus imperator Grecorum juxta persuasionem vestram provideat, persuadeatur autem de tempore in quo imperatoris Constantinopolitani et regis Sycilie illustris consensus habebitur. Hec autem sunt illa que petenda sunt a patriarcha ceterisque prelatis et clero civitatis, cujuslibet castri, vici seu loci, scilicet quod ipsi omnes et singuli singulariter fidei veritatem et ejusdem ecclesie Romane primatum juxta seriem in litteris ejusdem predecessoris Gregorii, quarum tenorem vobiscum defertis ad presens, plene ac seriose lectam et expositam fideliter, explicite ac aperte infrascripto modo absque ulla conditione vel adjectione, occasione preteriti temporis apponenda, seu etiam facienda sed simpliciter et pure, sicut petitur, recognoscant, acceptent et profiteantur prestito juramento. Ego .. prelatus fidei veritatem prout plene lecta est et fideliter exposita veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem esse recognosco, eam accepto et corde et hore (*sic*) profiteor, ipsamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet et predicat sacrosancta Romana ecclesia me inviolabiliter servaturum et in ea omni tempore perseveraturum nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, quoquomodo deviaturum vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosancte Romane ecclesie, prout in premissa serie continetur, ad ipsius ecclesie obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto ac sponte suscipio et me omnia premissa tam circa fidei veritatem quam circa ejusdem ecclesie Romane primatum et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam ac perseverantiam servaturum promitto, manualem insuper obedientiam et reverentiam vobis .. sanctissimi patris domini Nicolai tertii divina summi pontificis et ipsius ecclesie Romane exnunc exhibeo et me ab illis nullo unquam tempore recessurum corporaliter prestito juramento promitto et confirmo. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia.

» In premissis autem nullam decet patriarcham, prelatos predictos aut clerum consuetudinem quod jurare non consueverint allegare, cum nunquam similis casus acciderit cujus possit consuetudo pretendi, nec hujusmodi consuetudines per usurpationem adversus superiores et jura ipsorum et maxime adversus Romanam ecclesiam contra canones usurpate sunt aliquatenus observande, nec dicende tam consuetudines quam abusus.

» Volumus preterea ut in eorundem prelatorum et clericorum promissione veniat quod nec contra suam professionem aliquid publice predicare vel occulte suadere presumant, quinimmo illi qui officium predicationis exercent publice predicent et exponant fideliter suis populis eandem fidei veritatem et cantent etiam simbolum cum additione illa sicut premittitur, videlicet filioque. Adiciatis nichilominus vestre sollicitudinis studio in omnibus predictis professionibus et recognitionibus quas fieri contigerit alias ydoneas securitates et cautelas quas vobis circumstantie suggerent exigendas. Ceterum ad faciliorem et pleniorem consumationem predictorum expedire putamus ut ad singula loca insignia illarum partium, ad que accedere poteritis et de quibus videbitis expedire, vos personaliter conferatis conjunctim vel divisim, promissiones similes in eisdem locis cum sollempnitate ac observatione simili recepturi. De hujusmodi autem professionibus et recognitionibus fiant publica instrumenta multiplicanda in varia omnino similia et sigillanda sigillis autenticarum personarum quas contigerit esse presentes ut aliqua penes vos retinere, nonnulla possitis deponere si et prout videritis expedire, et alias per diversos nuntios propter inopinatos casuum fortuitorum eventus ad sedem apostolicam, ut in ejus conserventur archivo, cum cautela et diligentia omnimoda remictatis. Et ut quanto sollempnius et salubrius est negotium, tanto in eo studiosius et diligentius procedatur, vestris volumus cura et studio provideri, ut in cathedralibus et aliis sollempnibus ecclesiis et monasteriis locorum, in quibus professiones et recognitiones hujusmodi facte fuerint et etiam aliorum professiones et recognitiones eedem in libris autenticis redigantur in scriptis, ut in futurum conservent rei geste memoriam et ipsius recentiorem posteris notitiam representent diligentius conservande.

» Item memorandum quod post expeditum tractatum premissorum, vel dum premissa tractantur et executioni mandantur, prout oportunitas obtulerit et videbitur expedire negotio, tangendum est quomodo ecclesia Romana miratur quod prelati et alii non curaverunt adhuc statui suo ex consideratione preteriti temporis providere. Cum enim ratione scismatis, in quo erant, multotiens late sint sententie contra eos, mirandum occurrit, quod ipsi, quo ad relaxationem sententiarum ipsarum, et tam prelati quam alii clerici et persone ecclesiastice super irregularitate, quam ex consequentia incurrerunt, se immiscendo divinis, nullum adhuc petierunt remedium adhiberi.

» Item miratur ecclesia quod patriarcha et alii prelati post professionem fidei factam, recognitum et susceptum primatum ecclesie Romane, ac obedientiam promissam eidem super confirmatione status sui nullam provisionem petere curaverunt.

» Ex hoc autem sumi potest occasio et ingressus ad suggerendum imperatori et aliis ut petant ab ecclesia Romana cardinalem, qui super hiis valeat providere, et ad omnia alia que infra de legato dicuntur.

» Scire quidem vos volumus, quod nostre intentionis existit legatum ad partes illas mittere cardinalem, ut omnia majori soliditate firmentur et quasi quandam executionem habeant per eundem, ipso tamquam legato sedis apostolice ipsius auctoritate ac nomine jurisdictionem et alia que ad legati spectant officium inibi exercente, propter quod volumus quod caute ac diligenter studeatis viam ejus adventus preparare, in collationibus habendis cum dicto imperatore Grecorum aliquantum inserendo, quod multum esset utilis in partibus illis presentia cardinalis, qui auctoritatem plenam haberet. Et tandem post talia tractata et quasi circa consumationem ipsorum ultra in verbo hujusmodi procedendo et suggerendo eidem imperatori, quod ipse legatum peteret cardinalem, et sive ad hoc induci possit sive non, investigandum est cum diligentia et cautela quomodo secure possit intrare terram et ibi esse legatus et unde sumptus haberet et quales.

Et forsan ad hoc melius et cautius investigandum, utilius erit a principio uti questionibus quam assertionibus, ut queratur ab eo, si habetur scriptum, vel memoria apud ipsos, qualiter ibi legati sedis apostolice sunt admissi, qualiter honorati, qualiter exhibiti; qualis obedientia et reverentia exhibebatur eisdem, ubi specialius consueverant conservari, quomodo prelati et alii veniebant ad vocationem ipsorum, qualiter parebatur eis in judiciis contentiosis et aliis etiam, cum quali et quanta familia consueverant ibi esse.

» Et si respondeat ita plene quod ea que dixerit sufficiant, prout status exigit cardinalis legati, danda est opera ut ipsius responsio habeatur in scriptis, vel in scripturam eo, si fieri poterit, conscio redigatur. Si vero non sufficiant ea que dixerit, tunc exprimenda sunt ea que inter Latinos observantur circa legatos cardinales tam de consuetudine quam de jure, videlicet quam plenam potestatem habeant in provinciis sibi decretis, quam plene honorantur et reverenter tractantur, et humiliter paretur eisdem et honorifice exhibentur. Hec autem nec ita simul nec sic effuso sermone dicenda sunt quod gravia videantur, sed verbis temperatis et modestis, que non seducant vel retrahant, sed inducant et attrahant animum audientis, inductis etiam aliquibus rationibus, et specialiter quomodo legatus maxime cardinalis vicem pape gerit, et personam representat in provincia sibi decreta, et tam spiritualiter quam temporaliter consulere ac remedium adhibere potest in multis.

» Item quia multa puritas et sinceritas videretur ex parte ipsius et familiaritas inter ecclesiam Romanam et ipsum, necnon et unio inter ipsam ecclesiam Romanam et Grecam evidentius appareret si cardinalis legatus ad ipsius petitionem et instantiam mitteretur, sed et in eo diligentia est adhibenda, ut quicquid circa hoc posset ab ipso per scripturam haberi habeatur.

» Item quod omnia, que circa istam materiam invenientur sive per signa, sive per conjecturas, sive per verba, illo attendantur diligentie studio, quod postmodum plenarie seriatim et certitudinaliter, quantum fieri poterit, referantur. Item attendendum quod in quibusdam litteris que vobis nuntiis diriguntur et incipiunt : desiderantes ut ea que ad unionis etc., datur vobis sub certa forma potestas excommunicandi auctoritate apostolica eos de partibus illis, quos negotii unionis ejusdem fore vobis constiterit turbatores, cujuscunque preminentie, conditionis aut status existant, et in terras ipsorum interdicti sententias proferendi, necnon et procedendi alias spiritualiter et temporaliter contra ipsos, et terras easdem, prout utilitati negotii consideratis ejus circumstantiis videritis expedire. Quodque cum similis potestas data fuerit per sedem eandem duobus episcopis videlicet Ferentinati et Taurinensi, qui una cum aliis novissime per sedem ipsam ad idem negotium destinati fuerunt, dictus Paleologus ipsos instantissime requisivit et apud eos multotiens et multipliciter institit, ut contra quosdam magnates et nobiles Grecos partium illarum, qui predictis imperatori Constantinopolitano et regi Sicilie adheserunt et ipsis se confederaverunt, ipsumque Paleologum impugnare dicuntur, tamquam contra turbatores predicte unionis procederent eos excommunicando et excommunicatos publice nuntiando, ac ipsorum terras supponendo ecclesiastico interdicto, ipsi tamen episcopi post inquisitionem super hoc factam non processerunt in aliquo contra eos, consultius attendentes quod nec predicti predecessores Gregorius et Innocentius hujusmodi Paleologi ejusdem instantie ipsis generaliter contra omnes recedentes et recessuros a fidelitate sua porrecte annuere voluerunt, sicut apparet in litteris ejusdem Innocentii, que misse fuerunt eidem Paleologo, que incipiunt Innocentius episcopus etc. carissimo in Christo filio Michaeli Paleologo etc. Dudum ad sedem apostolicam etc., quarum tenorem vobiscum portatis ; et ad illas remictunt in fine suo predicte nostre littere, quas modo portatis Paleologo que incipiunt : Sicut ex litterarum etc.; unde et vos si forsitan idem peteretur a vobis, multum habetis attendere tam ipsius predecessoris Innocentii processum, quam dictorum episcoporum in hac parte constantiam et maturitatem, ut et vos non faciles

nec precipites in hoc inveniamini, sed diligentes, solliciti et maturi; et ita demum contra illos procedatis, si manifeste vobis constiterit eos esse turbatores unionis ejusdem, non eo ipso quod a fidelitate seu subjectione dicti Paleologi se subtraxisse, prefatis imperatori Constantinopolitano et regi Sicilie adhesisse, eisque se confederasse ac eundem Paleologum impugnare dicuntur, sed si directe veniunt contra ipsam unionem et directe impediunt ne Greci et Latini in caritate mutua unitate fidei ecclesie Romane primatu recognito et suscepto sub ipsius obedientia uniantur. Item licet in prosecutione illorum que vobis commissa sunt summopere sit cavendum, ne per vos aliquid dicatur vel fiat, per quod negotium rumpatur, aut ipsius, quantum in vobis est, rupture detur occasio, volumus tamen ut non illa superficietenus, sicut ab aliquibus hactenus factum est, sed sic eorum intima et profunda scrutemini, et responsionem affirmativam vel negativam, seu responsionis denegationem expressam habere satagatis ad singula, ut in vestro reditu divina propitiante clementia ita possit eadem sedes super toto negotio informari, quod aperte videre valeat quid in eo sibi supersit agendum. »

377 Sans date.

Super quibusdam articulis, in memoriali predicto expositis, novas monitiones addit. (Fol. 98; an I, Curiales, n° 152; Potthast 21474.)

« Licet in memoriali vobis tradito super hiis, que apud carissimum in Christo filium nostrum Michaelem Paleologum Grecorum imperatorem illustrem, ejus primogenitum et prelatos totumque clerum Grecorum vobis iminent promovenda, inter cetera contineatur in forma juramenti prestandi a prelatis in eodem memoriali contenta, quod iidem prelati promictant manualem obedientiam et reverentiam, tamen si id omnino haberi non possit, dimictatur sub cauta et colorata dilatione, ne in totum videatur negligi vel omitti. Instetur tamen prudenter si unquam valeat obtineri et inducantur prelati ad id.

» Item licet dicatur in eodem memoriali ut de professionibus et recognitionibus prelatorum fiant publica instrumenta multiplicanda in varia, tamen si non potest haberi multiplicatio instrumentorum habeantur plura prout melius fieri poterit et haberi.

» Item caute et provide sicut Dominus dederit procuretis quod negotium super temporalibus ponatur in manibus summi pontificis apostolice provisionis arbitrio terminandum. »

378 Capranica, 18 octobre 1278.

Regi Sicilie significat se nuncios apostolicos ad partes Grecie destinasse pro negotio unionis inter Latinos et Grecos, et pro sedanda dissensione inter ipsum et Paleologum; illum hortatur ut super treugis ineundis ita provideat et a Philippo, imperatore Constantinopolitano providere procuret quod vel in illis partibus ipsorum nuntii treugas roborare possint vel nuntios ad sedem apostolicam destinent quibuscum de hiis omnibus efficaciter procedatur. (Fol. 100; an I, Curiales, n° 153; Potthast 21478.)

« *Carissimo in Christo filio .. regi Sicilie illustri.* Sicut tuam novimus excellentiam non latere, felicis recordationis Joannes papa predecessor noster, certis ad partes Grecie super tractatu spiritualium prosequendo nuntiis destinatis, charissimum in Christo filium nostrum Michaelem Paleologum imperatorem Grecorum illustrem per suas sub certa forma litteras diligenter monuit et induxit ut super temporalibus, que inter carissimum in Christo filium nostrum Philippum imperatorem Constantinopolitanum illustrem ac te ipsum ex parte una et eum ex altera dissentionis materiam subministrant, animum suum habilitans et disponens ad pacem, ac vias et modos excogitans, per quos posset super eisdem temporalibus sedari discordia, et concordia provenire super illis, predictos ejusdem predecessoris nuncios informare, ac suos apocrisarios ad pacem animum et mandatum habentes prosecuturos eosdem modos et vias ad ejusdem predecessoris presentiam infra certum tempus in eisdem litteris comprehensum destinare curaret, et ne interim hinc vel inde molestie vel offense procederent que super eisdem temporalibus inter partes concordiam impedirent, inter eos treugas certi temporis persuasit iniri. Verum quia super hiis adhuc optatus exitus non provenit, nos venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Grossetanum et dilectos filios fratres Bartholomeum de Senis ministrum Syrie, Philippum Perusinum et Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum ad partes Grecie ad prosequendum que circa tractatum spiritualium inter Latinos et Grecos opportuna reputavimus destinantes, super temporalibus memoratis per nostras sub certa forma litteras apud dictum Paleologum eandem monitionis, inductionis et persuasionis instantiam iteramus. Ideoque serenitatem regiam monemus, rogamus et hortamur attente in Domino Jhesu Christo quatinus prudenter considerans, quod sedatio dissentionis ejusdem spiritualiter et temporaliter est multipliciter utilis et ob hoc nobis valde votiva, super dictis treugis ineundis ita provideas et ab eodem imperatore Constantinopolitano providere procures, quod vel inibi oppor-

tuno tempore ipsius imperatoris Constantinopolitani et tui nuntii cum mandatis sufficientibus sint parati pro treugis ineundis eisdem, et ipsis firmitatibus oportunis et debitis roborandis; vel si ipsi imperatori et tibi non videtur hoc posse in partibus illis de facili fieri, aut securitatibus debitis roborari, cum apocrisarios ejusdem Paleologi juxta premissam nostram instantiam venire contigerit, ejusdem imperatoris Constantinopolitani et tui nunciis ad hoc concurrentibus coram nobis ad omnia sufficienter instructis, tam super ipsis treugis, quam super principali negotio libere et efficaciter auctore Domino procedatur. Dat. apud castrum Capranice, xv kalendas novembris. »

379 Capranica, 18 octobre 1278.

Eidem mandat quatinus nuntiis Paleologi per regnum Sicilie transeuntibus litteras plene securitatis concedat. (Fol. 100 v°; an I, Curiales, n° 154.)

« *Eidem.* Sicut tuam novimus excellentiam non latere, super spiritualibus, temporalibus que inter carissimum in Christo filium nostrum Philippum imperatorem Constantinopolitanum illustrem et te ipsum ex parte una, et carissimum in Christo filium nostrum Michaelem Paleologum imperatorem Grecorum illustrem ex altera dissentionis materiam subministrant, ut hujusmodi posset sedari discordia et concordia provenire, speciales habiti sunt tractatus, ita quod nuper nos cum apocrisariis et nuntiis, quos dictus Paleologus propter hoc ad sedem apostolicam destinarat et quos ad Paleologum ipsum remictimus, videlicet venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Grossetanum et dilectos filios fratres Bartholomeum de Senis ministrum Syrie, Philippum Perusinum et Angelum Urbevetanum lectores ordinis Minorum nuntios nostros ad partes illas decrevimus destinandos, sollicitudinis nostre studio precaventes ne interim hinc vel inde molestie vel offense procederent, que super eisdem temporalibus specialiter inter partes concordiam impedirent. Quocirca serenitatem regiam monemus, rogamus et hortamur attente in Domino Jhesu Christo quatinus ob reverentiam apostolice sedis et nostram eisdem nuntiis dicti Paleologi presentibus et futuris, nominibus non expressis, litteras plene securitatis regia liberalitate concedas, ut ipsi per regnum, terras et loca tam citra mare quam in partibus Romanie tue ditioni subjecta, per terram mareque in eundo, morando vel alias quomodolibet ingrediendo et exeundo, regnum, terras, loca et mare predicta tractatu ipso durante sine qualibet molestia procedere libere valeant, nobis hujusmodi tuas litteras celeriter propter imminens tempus passagii per latorem presentium transmissurus, ita quod ipsi, tuo eos protegente favore, secure ad sui domini presentiam revertant et ipsi vel alii subrogandi tractatum prosequantur eundem tibique apud omnes exinde laudis accrescat titulus et a nobis proveniat actio gratiarum. Dat. ut supra. »

380 Capranica, 18 octobre 1278.

Eidem ostendit quomodo de securitate nuntiorum Paleologi providere possit, sine suo vel suorum dispendio, per officiales et alios fideles suos diligenter precavendo, ne per hoc durante ipso tractatu quicquid posset in suum vel suorum dispendium machinari. (Fol. 100 v°; an I, Curiales, n° 155; Potthast 21479.)

« *Eidem.* Licet a te —. Dat. ut supra. »

381 Saint-Pierre (sans date).

Eidem mandat quatinus in litteris securitatis, de quibus agitur, expressam mentionem de familiis equitaturis, somariis et ceteris bonis nuntiorum adjici faciat. (Fol. 100 v°; an I, Curiales, n° 156.)

« *Eidem.* Variis dudum super spiritualibus —. Licet autem tu tanquam devotionis filius tuas super hujusmodi securitate sub certa forma litteras per eundem nostrum nuntium, quod gratum et acceptum habuimus, curaveris destinare, quia tamen in eis de familiis equitaturis, somariis et ceteris bonis nuntiorum ipsorum mentio non habetur, serenitatem regiam monemus, rogamus et hortamur attente in Domino Jhesu Christo quatinus ob reverentiam apostolice sedis et nostram ad omne ambiguitatis dubium submovendum in eadem forma predictarum litterarum tuarum de ipsis familiis equitaturis, somariis et ceteris bonis eorum expressam adici faciens mentionem, alicui de prefatis nostris nuntiis, qui tè super hoc duxerit requirendum, petite securitatis litteras in forma premissa cum hujusmodi adjectione concedas. Dat. Rome apud Sanctum Petrum. »

382 Sans date.

Michael Paleologus imperator Nicolao pape litteras mittit, quibus se pontifici humiliter recommendat eidemque significat nuntios, quos Constantinopolim destinavit, nunc reverti : obsecrat illis benivolam audientiam a pontifice impertiri. (Fol. 101; an I, Curiales, n° 157; Raynaldi, an. 1277, LX.)

« *Littere misse domino Nicolao summo pontifici ex parte*

Michaelis Paleologi imperatoris Grecorum. Sanctissimo et beatissimo primo et summo pontifici apostolice sedis sacrosancte ecclesie veteris Rome universali pape in Christo Deo reverentissimo et spécialissimo patri nostri Imperii domino Nicolao, Michael in Christo Deo fidelis imperator et moderator Romeorum, Ducas, Angelus, Comninus, Paleologus, filialem obedientiam apostolice benedictionis et orationum postulationem. Si mihi, o divinum et sacrum caput dignum et equale totius angelici chori honore, per omnia exprimere non est leve, quanta letitia corporis et exultatione anime fui repletus ex insinuatione litterarum vestre apostolice sanctitatis depromentium ad apostolicam sedem vestre sanctitatis gloriosum ascensum, quem pridem fama volatilis satis jocunde consperserat ad universalem notitiam et audientiam devotorum, vestre paternitatis benignitas non miretur. Non enim erat hujusmodi annuntiatio extranea spei mee, immo certissima, dum hujusmodi omnes communiter faterentur et concorditer asserebant. Si vero secundum Deum est sententia, utique et secundum Deum hec existit, et non oportet de hac opinione aliquid aliud cogitare nisi Deum existere attributorem et causam, hujusmodi igitur gratia confidenter habebam et vos fore omnimode veraciter expectabam quem superna providentia eligeret, et ut lumen splendidum egressum de vero lumine ostenderet orbis terre, quibus mediantibus me ipsum beatificabam in Domino congaudentem. Habeo sane illum in operibus previum, de quo ante nullatenus dubitabam, suscipiens fines infallibiles spei mee, quibus etiam ante finem ut jam recepissem ultra modum delectabar nec in aliquo contristabar, sed agnoscens vos fore in divinis sapientes et secundum Christum Dei et hominum mediatorem nichilominus in humanis et omne quod est extra spem admiratur et omne quod spe accidit et ante factum diligitur et in fine deductum beatificatur et amplius diligitur affectanter ad se attrahens experientiam, dans et recipiens adinvicem prime affectionis effectum, extendimus preterea beatissime pater anime specialem affectum. Nunc autem totum me ipsum sanctitati vestre humiliter recommendo, ac etiam represento et inclino intellectualiter capud meum et incumbens in sinu vestre apostolice benedictionis orationes postulo et osculans manus sacras, apostolicam vestram sacram benedictionem assumo.

» Latores siquidem vestre sanctissime paternitatis prout decuit expediti ad vestram affectatam presentiam uter prospere revertuntur, quibus quedam de plurimis que in meis intimis resident, de ipsorum probitate confisus, attenta conversatione quam hactenus contraxerunt commisi fideliter vestre sanctitatis audientie referenda cum aliis que viderunt oculis et auribus audierunt. Super quibus benigniter obsecro ipsis a vestra piissima sanctitate benivolam audientiam impertiri. Et quia Dei nostri sunt opera, vos qui vere in terris que Dei sunt Deo redditis et in celo, non pretermittatis hujusmodi pie pater, sed cognita veritate mihi devoto filio vestre apostolice sanctitatis que sunt terreni Cesaris, ut excelso Cesari persolvam cum tenore assistatis ope, benedictionibus, consilio, et favore, ut reprobantium opera vestro subsidio irritentur. Celestis omnipotens Deus sanctitatis vestre processibus prebeat misericordie largitatem ut per cuncta que agitis eterne glorie serviatis. »

383 Sans date.

Joannes patriarcha Constantinopolitanus pape Nicolao, cujus litteras recepit, gratulationes mandat; ipsumque deprecatur quatinus de se memoriam facere velit in sacris ad Deum supplicationibus. (Fol. 101 v°; an 1, Curiales, n° 158; Raynaldi, an. 1277, LXI.)

« *Iste littere misse fuerunt ex parte Johannis patriarche Constantinopolitani.* Sanctissimo beatissimo summo pontifici apostolice sedis veteris Rome universali pape domino Nicolao Johannes miseratione divina patriarcha Constantinopolitanus nove Rome et quod sub nobis est concilium sanctum, salutem in Domino et debitam inclinationem et orationum postulationem. Recepimus litteras vestras o divinissime Domine pastorum pastor omniumque presul supereminens prelatorum, nec est dicendum quanta letitia repleti sumus. Cognovimus namque quod Deus bonorum omnium elargitor non magnificentie vestre sedem sed sedi sanctitatem vestram potius condonavit, ut ipsa siquidem per vos decoraretur amplius et hornaretur. Et quanquam prius sanctitas vestra omnibus esset nota, prevenit enim fama pennas extendens et volans ubique, que non cognoscentibus ea que sunt vestre maxime sanctitatis manifesta et cognita demonstravit, magis cognoscet tamen amodo ac diligentius quilibet usus materia ampliori et melius quam ante vos benefacientem unicuique specialiter ac communiter omnibus ex operibus festinantem maximum et primum pontificem dominum nostrum Jhesum Christum propensius imitari. Confidit proculdubio nostra humilitas quod hoc procedet ad perfectissimum complementum, nec minus putamus quod in hoc concordant quicunque sapientes ex precedentibus futura ymaginantur. Si enim ante quam ascendissetis ad superexcellentem altitudinem omnium dignitatum in vobis tanta aderat pre omnibus excellentia bonitatis, ut vobis quis non

posset fere in aliquo comparari, quantomagis decet vos nunc indutos magnitudine tali utiliora operari et meliora, qui vero nondum ad gradum perfectionis perveniens tanto bonorum operum lumine refulgebat ut persuaderet in ipso videntes patrem gloriari celestem, hic idem ad superlativum ascendens, quomodo non apparebit lucidus ac apertius relucebit, omnes a longe attrahens ad se, quemadmodum candelabrum in altum positum hiis qui longe sunt resplendet et ipsos ad se convocat ex fulgore. Non enim idem candelabrum tantum ex infimis vel de terra refulget quantum si super modium vel in altissimis producatur. Unde et propheta supra candelabrum aureum videns candelam duo ostendit : ignem videlicet descendere gratie a Patre luminum, et quod est natura ignis suprastantis, nobis ex superius lucidius relucere. Quis ergo ea que diximus in mente habens non replebitur letitia spirituali, ut promptissime ad Deum tanquam hujusmodi largitorem gratiarum referat actiones ac sibi postulet ut qui tale bonum condonavit conservet ipsum eternum, et sicut ipsum perfecit, ita conservet illud ad communem utilitatem, quis non super hujusmodi jubilet et quis poterit de istis non gaudere, humilitas vero nostra nunquam alias jocundius Deum magnificavit sibi ascribens omnia et glorificans procurationem suam maxime ac provisionem, per quam semper utile suis dispensans, in hujusmodi nuper factis, oportunum nullatenus preterire dimisit, verentique ad totam ecclesie constitutionem ad ea que dampni essent, aliquatenus extenderentur ipsi viri Dei, quomodo enim viris tam egregiis in unum congregatis inter quos Deum fuisse nullus dubitat oportunum lateret, non oportuit hoc fieri et imo non est factum.

» Et licet vestra maxima sanctitas in sacris litteris ad nos missis vos indignos voluerit nominare, nosque ad orationem provocavistis et supplicationem, ut Deus vos tanquam dignos efficiat, nos tamen diligenter cognoscimus quod nil aliud sunt hujusmodi, nisi verba mansuetudinis et humilitatis. Imitamini namque omnium Dominum ac Deum Jhesum a quo vobis tanta gratia est largita, et amplectivum, modestiam et mansuetudinem et ad commune exemplum humilitatis vos proponitis, cum non sit alius dignus ad administrationem gubernationis ecclesie, quam vestra sapiens a Deo sanctitas, quia digni estis ad hoc et vere dicere possumus supradigni, quomodo ergo unquam orationem talem funderemus pro vestra apostolica honorabilitate, cum magnis vestris sacris orationibus indigentes affectemus cotidie ipsas habere tanquam bonum viaticum ad salutem. Deus utique per suos speciales ministros eligit quem vult et vincens cum quanta quis dicet virtute, que multorum sunt commissis consiliis suam perficit voluntatem. Sicque constituit in ecclesia illum quem elegit et fuit hoc donum perfectum et gratiam omnibus donans ac utilitatem, unde nos vestras paternas litteras intelligentes, de hoc intimantes filialiter recepimus ipsas tanquam omne bonum anuntiantes, supplicantes propensius vestre sanctissime paternitati, quatinus de nobis cum aliis qui inter vestros filios reputantur memoriam facere velitis in sacris ad Deum supplicationibus vestris ut ipsis adjuvantibus ac foventibus bene gubernare possimus populum nobis a Deo creditum necnon ipsum conducere in operibus Deo placentibus et salutaribus, atque cetera in pace secundum Deum et firmam patientiam ac quietitudinem ipsi populo acquiramus, negotiantes ipsum ad manus pastoris omnium domini Dei salubriter pervenire, qui dignetur nos recipere mediantibus orationibus sublimissime vestre supereminentie, vestram in multis temporibus conservans divinitatem. »

384 Sans date.

Ogerius prothonotarius Michaelis Paleologi imperatoris Grecorum nuntiis ejusdem significat ea que ex parte imperatoris pape Nicolao referre debeant. (Fol. 102 ; an I, Curiales, n° 159 ; Raynaldi, an. 1278, XIII.)

« *Littere misse ex parte Ogerii prothonotarii M. Paleologi imperatoris Grecorum nuntiis ejusdem imperatoris.* Honorabilissimis viris domino Marcho et Marketo latoribus litterarum sanctissimi et beatissimi summi pontificis apostolice sedis veteris Rome et universalis pape in Christo Deo specialissimi et reverentissimi patris potentis, et sancti domini mei imperatoris. Postquam locutus est dominus meus sanctus imperator vobiscum et retulit que oportet, vos tanquam fide dignos habere in memoriam et denuntiare ipsa apostolice magnitudini summi pontificis fore necessarium existimavi hujusmodi presentibus litteris exarare, ne forte prout consuevit accidere hominibus tum propter spatium itineris tum propter prolixitatem temporis aliqua occurrat oblivio aliquorum, de quibus vobis commissa fuerunt. Ergo illa que locutus est nobiscum dominus meus sanctus imperator referenda sanctissimo domino summo pontifici sic se habent. Decet omnes christianos ad patrem spiritualem dicere veritatem tanquam verum filium ad verum patrem, et si filius est imperator gratia Christi et pater sed pater patrum sicut sanctissimus papa Christi vicarius. Justum est equidem ut cognoscere debeat dominus summus pontifex illud quod est verum de suo filio imperatore, propter hoc ergo dominus meus imperator revelat et enucleat

que vere sua sunt sanctissimo domino pape. Sunt autem que vult cognita fore magnitudini summe apostolice sanctitatis hec.

» Verum est et jam patet quod non potest dominus meus sanctus imperator complere ad presens negotia sua, quemadmodum erat inantea consuetus complere, cujus causa talis est. Nam cum vidissent illi qui sunt in terra sua, scilicet parentes sui et alii, quod juravit idem dominus meus sanctus imperator et cum eo karissimus filius sui sancti imperii dominus meus imperator Andronicus ratam tenere ac firmiter conservare obedientiam, honorem, devotionem et filialem affectum, que constituerunt habere ad sanctissimam ecclesiam Romanam et per tempora ad sanctissimos papas, et certificati quod amodo est impossibile ut fiat aliquid aliud in diminutione tante obedientie ipsius sancte ecclesie, aliqui tanquam non habentes scientiam sufficientem intelligendi magnitudinem operationis hujusmodi unionis ecclesiarum, alii vero propter malitiam et infidelitatem resilierunt et conturbari ceperunt. Unus quorum est filius naturalis domini Michalicii qui a Latinis dux Patre vocatur. Similiter et alius filius ejus legitimus dominus Nichiforus, qui ut subditi servi et submanuales imperii sacramentum domino meo sancto imperatori fidelitatis et ligii homagii multotiens prestiterunt de parendis preceptis et mandatis suis a quo dignitates et officia, quibus nominati sunt hactenus acceperunt. Videntes itaque isti obedientiam domini mei sancti imperatoris ad sacrosanctam apostolicam ecclesiam taliter ratam persistere, insurrexerunt ex adverso inopinate ac ostenderunt manifeste infidelitatem ipsorum, vocantes hereticos qui vere infideles et heretici sunt sanctissimum dominum papam, quod perniciosum est tantummodo cogitare, ac dominum meum imperatorem et dominum patriarcham Constantinopolitanum et omnes alios, qui subjecti sunt sanctissimo domino pape et domino meo imperatori. Quare dominus meus imperator misit ad eos nuntios et monuit et persuasit ipsos removeri a vana institutione eorum, et simul sapere cum eodem sancto imperatore domino meo et aliis fidelibus et existere ad obedientiam sancte Romane ecclesie. Cumque obedire penitus recusassent et resilirent omnimode, idem dominus meus imperator misit expositam excommunicationem a nuntiis sancte apostolice sedis, similiter et excommunicationem quam exposuit sancta Constantinopolitana ecclesia contra illos qui nolunt convenire ad obedientiam domini summi pontificis, et cum ad hec convenire penitus recusassent, misit dominus meus sanctus imperator exercitum contra ipsos cum capitaneis de magnatibus imperii, magnum videlicet marescalcum orientis dominum Andronicum Paleologum consobrinum domini mei sancti imperatoris, et pincernam consanguineum ejusdem, qui habet in uxorem filiam primi consanguinei domini mei sancti imperatoris. Fuerunt similiter et cum eis transmissi Comninum Catacusinon et Paleologum dominum Johannem, ambos nepotes domini mei sancti imperatoris; qui euntes ad expugnationem dicti infidelis ducis Patre non solum studuerunt contra ipsum procedere, sed intimarunt ei et retulerunt infidelitatem eorum talibus verbis : nos tales cognoscentes quod imperator unitus cum papa, habemus et ipsum hereticum, et ideo a nobis contrarietatem aliquam non habebitis, sed quicquid vultis facere contra terram imperatoris nunc habetis tempus.

» Ad quorum suggestionem exivit dictus bastardus, et occupavit quedam castra de terra domini mei sancti imperatoris. Cum autem cognovisset dominus meus imperator infidelitatem ipsorum capitaneorum, destinavit in continenti et removit ipsos de capitania, et vinculatos deduxerunt ipsos ad imperium suum, et precepit et fuerunt carceri deputati. Contra illum quidem constituti fuerunt novi capitanei, et injunctum fuit illis ut solummodo custodirent locum et terram, et non irent ad contrarietatem ac expugnationem ipsius bastardi. Illi vero non conservantes se juxta preceptum domini mei sancti imperatoris, sed assumentes vanam virilitatem, ut juvenes emulati fuerunt, et contra dictum bastardum impetum fecerunt et intrarunt quamdam clausuram et locum vix accessibilem et artum, et ipse apostata inveniens in sui adjutorium duriciam loci et difficiles, nocuit eis. Equidem supradicti marescalcus, pincerna, capitanei et qui cum eis erant tales apparuerunt, quales erant ad contrarietatem ipsius bastardi. Item ad alias terras et ad alias capitanias fuerunt commissi alii magni viri et propinqui domini mei sancti imperatoris, scilicet nepos suus filius sororis sue Paleologus, dominus Johannes Trachaniotus, Calojohannes Lascari primus consobrinus domini mei imperaris, et dominus Ysakius Raulus Comninus consobrinus domini mei imperatoris. Unusquisque igitur istorum commovit et conturbavit ad quam erat capitaneus expositi omnes ipsi ad ipsam contrarietatem propter ipsum opus obedientie sancte Romane ecclesie; quare detenti fuerunt et ipsi similiter alligati ac interrogati cum supradictis inverecunde dixerunt et egerunt palam erga dominum meum imperatorem, quod propter unionem pape fecimus quicquid egimus et debemus adhuc manere ad ipsum nostrum consilium.

» Est autem et ad partes orientis terra, que nominatur Traposunda (*sic*), quam terram in captione facta de Constantinopoli a Latinis tenuit quidam de capi-

taneis, qui vocabatur Comninus dominus Alexius, et miserunt predicti infideles ad illum qui nunc est princeps ipsius terre Trapesunde existentem abnepotem illius quondam Alexii, quod imperator factus est hereticus et subjectus est pape, et univit ecclesias scilicet Grecorum et Latinorum, et si vocaberis imperator adheremus vobis et constituerimus quicquid voluerimus. Ille quidem, ductus inani consilio, vocari se fecit imperatorem et coronatus est, et induit se vestimentis decentibus imperio, et fecit officiales et tamquam imperatorem honorari precepit. Apparuit autem quod sicut dispensarunt et miserunt ipsi infideles ad eundem principem Trapesunde homines cum ipsis intimationibus, erant et Latini simul cum eisdem transmissis, cooperantes ipsam legationem ipsorum. Non solum autem ipsi conturbarunt opus ecclesiastice unionis talem eorum malitiam ostendentes, verum etiam multe mulieres baronisse et speciales propinque domini mei sancti imperatoris ad ipsam malitiam moverunt, scilicet soror domini mei imperatoris, et neptis sua filia ejusdem similiter et alia sua neptis filia alterius sue sororis, similiter et cognata sua uxor quondam despotis fratris domini imperatoris, et mater ejusdem uxor sevastocratorum quondam soceris despoti. Ideo detente sunt et ipse, ac posite sunt in carceribus, et bona earum mulierum et predictorum baronum ablata sunt et intromissa ad imperiale vestrarium, similiter et ablate sunt possessiones quas habebant et feuda. Hii vero omnes supradicti barones qualia magnalia et dignitates habebant ab imperio, et ad quot capitanias et castra conversabantur, quot etiam possessiones et terras habebant, et quantam substantiam et bona ipsi et supradicte mulieres, et hiis nunc omnibus carcerum in carceribus positi, ab aliis potest scire sanctissimus summus pontifex.

» Isti vero supradicti, qui detenti fuerunt in carcere, quantam devastationem intulerunt, eo quod habent parentes multos et magnos viros, et fere omnes qui sunt in palatio, quosdam fratres, quosdam consobrinos, quosdam generos, quosdam avunculos et nepotes et aliam affinitatem, hoc manifestum est omnibus. Ideo postquam inventi sunt ipsi tot et tanti viri ad infidelitatem et incredulitatem, si voluerit secundum consuetudinem suam dominus meus imperator mittere exercitum ad debellandum et contrariandum inimicos suos, suspicatur ne forte qui debent transmitti capitanei exercitus magni viri et nobiles habeant et ipsi consilia cum predictis infidelibus tanquam propinqui eorum, et cogitur ut cum cautela et provisione diligenter perficiat sua negotia propter ipsam incredulitatem. Quare revelat sanctissimo summo pontifici consilium suum et dicit quod non potest ad presens facile sua negotia, prout extiterat primitus consuetum, ad quos autem habebat certitudinem a baronibus et fidelibus hominibus suis cogitur mittere ex ipsis capitaneos ad terras et castra que habet. Manifestum autem est, quod sicut ejectus fuisset quidam a domino meo sancto imperatore conturbator, ubicunque erat et contrarius voluntate hujusmodi operis ecclesiastice unionis, confugientes plurimi tales ad terram ipsius bastardi, diligenter recepit eosdem et congregavit de ipsis contrariis fere monachos centum, cum quibusdam abbatibus et episcopis octo, et fecit concilium; et sederunt et locuti fuerunt quot voluerunt blasphemias contra Romanam sanctam ecclesiam et contra dominum sanctum imperatorem et sanctissimum patriarcham et ecclesiam Constantinopolitam, et anathematizarunt sanctissimum summum Pontificem, et dominum meum imperatorem et patriarcham Constantinopolitanum et omnes subjectos simul sapientes, et eos tamquam hereticos. Quidam autem episcopus Tricalensis vocatus, quia destitit et surrexit contra eos, et dixit quod malefacitis et non convenit, cum eisdem ad ipsam malignissimam operationem illorum detinuit ipsum et posuit in carcere per menses decem et octo : postea vero vix evasit de carcere ipso, et invenit lignum navigans et intravit in ipsum, et transfretavit de gulfo Neopanti et se contulit in Moream ad quoddam castrum domini mei imperatoris, et exinde receperunt eum homines domini mei imperatoris et paraverunt et conduxerunt ipsum in Constantinopolim. Item alium episcopum vocatum Petrensem tenuit et ipsum et cogebat eum ut simul saperet cum eodem; et quia non obediit, sed dixit quod ego habeo primum prelatum Tessalonicensem et ab ipso sum ordinatus, et ad concilium ivi Constantinopolitanum cum meo prelato et dedi meam subscriptionem, quod debeam manere cum aliis ad obedientiam sancte Romane ecclesie, et est impossibile quod hoc debeam pretermittere et subscriptionem meam, exspoliavit eum et reliquit eum cum sola camisia, et statuit eum sub celo scoperto et stabat die noctuque afflictus ab hyeme et glatie in mense decembris, et sit hoc manifestum et certum sanctissimo summo Pontifici, et poterit super hoc cognoscere sua sanctitas malitiam ipsius apostate bastardi et quomodo a se ipso divisus est, et non timet Dei judicium et non verecundatur de hominibus. Latini vero, qui sunt ad partes Thebarum et Athenarum et Nigripontis et Morearum non cessarunt adjuvare et sibi ministrare auxilia omni modo contra partem domini mei imperatoris, scilicet ipsis apostatis Nichiphoro et bastardo. Misit autem dominus meus imperator particularia ligna et particularem gentem in ipsos, et iverunt ad partes Nigripontis,

et invenerunt Latinos, quos invenerunt et debellarunt eos, et protexit Deus et vicerunt ipsos. Dominus meus autem imperator advocat super hoc Deum testem, quia hoc opus non videtur sibi quod factum fuisset de virtute illorum, quos misit imperium suum sanctum; quantum videtur sibi sed illi Latini debellati fuerunt a divina virtute, eo quod auxiliabantur talibus excommunicatis et inobedientibus et blasfemantibus sanctam matrem ecclesiam; nam et populi quantitas, que debellavit ipsos Latinos, fuit ad comparationem illorum quasi modica, et nullo modo erat digna versus quantitatem et potentiam Latinorum. Hec sunt que locutus est vobiscum dominus meus sanctus imperator, que debetis, sicut tenemini, summe apostolice sanctitati. Et subsignavi hec ego prothonotarius interpretum Latinorum curie domini mei sanctissimi imperatoris Romanie ad cautelam. Ego Ogerius prothonotarius que supra manu propria scripsi et meo signo signavi. »

385 Saint-Pierre, 29 novembre 1278.

Infrascriptis, quorum litteras recepit, respondet se juxta eorum petitionem Francie ac Castelle regibus scribere, ut in Wasconiam solempnes nuntios pro firmanda pace mittant; mandat quatinus tanto negotio diligenter intendant. (Fol. 104; an I, Curiales, nº 160; Potthast 21488.)

« *G. basilice XII apostolorum, Jeronimo Sancte Romane Ecclesie presbyteris cardinalibus, et Johanni Jerosolimitano electo.* Vestras recepimus litteras super negotio, quod inter carissimos in Christo filios nostros .. Francie et .. Castelle ac Legionis reges illustres agitur, industrie vestre commisso, transmissas dictorum regis Francie laudabilem obedientiam et regis Castelle defectum, ac totum statum negotii, quem prosperiorem esse vellemus, vestrumque processum in eo habitum nuntiantes ac petentes, quod eisdem regibus scriberemus, ut in kalendis martii venturi proximo ad locum, quem duceretis eidem tractando negotio in Wasconia deputandum solempnes suos nuntios plene instructos cum sufficienti mandato ad presentiam nostram mittant. Nos itaque unicuique regum ipsorum juxta petitionis vestre seriem et exigentiam materie scribimus, et vobis tenorem litterarum directarum eisdem, ut ex ejus inspectione plenius instruamini, destinamus; circumspectionem vestram rogantes et hortantes attente ac vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatinus arduitatem ipsius negotii diligentius attendentes prosecutioni ejusdem cum quanta poteritis diligentia intendatis, ejus circumstantias et quicquid circa ipsum expedire putabitis frequentius rescripturi. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III kalendas decembris, anno primo. »

386 Saint-Pierre, 29 novembre 1278.

Conqueritur de contumacia et contemptu contra Romanam ecclesiam a rege Castelle commissis; quid egerint legati sedis apostolice commemorat; et cum disposuerint in kalendis martii in Vasconia in loco congruo negotio pacis tractando convenire, regem Francorum hortatur ut ad eorum presentiam suos nuntios cum plenis mandato et instructione transmittat. (Fol. 104; an I, Curiales, nº 161; Potthast 21489.)

« .. *regi Francorum illustri.* Quam amare, quam moleste tulerimus, negotii considerato dispendio, contumaciam et contemptum contra nos et Romanam ecclesiam a carissimo in Christo filio nostro .. rege Castelle ac Legionis illustri non sine tuo, quod gravius ferimus, et dilectorum filiorum nostrorum Gerardi basilice XII apostolorum, Hieronymi sancte Romane ecclesie presbyterorum cardinalium ac Johannis Jerosolimitani electi quantum in eo fuit illusione commissos, per nostras sibi directas litteras non sub verborum involucro sed explicito sermone detegimus et manifestis affectibus revelamus, ut hec evidentius ex ipsa facti veritate pateant, seriosius repetentes quod nuper dictis cardinali Jeronimo et electo existentibus in Francie partibus et, assumpto de apostolice sedis mandato, tractatui pacis inter te ac dictum regem reformande vacantibus, nos licet non ignoraremus de ipsorum industria hujusmodi negotio plene provisum, ad illius tamen utilitatem, desiderio ducti paterno, illaque ratione inducti ut quo in ejus prosecutione consilia plura concurrerent eo posset certius de ipsius exitu votivo sperari, memoratum cardinalem Gerardum ad civitatem Tholosanam, eam locum aptum eidem prosequendo negotio extimantes, duximus destinandum, ita quod ipse circa festum beati Luce transactum noviter suam exhiberet presentiam, dictique cardinalis Jeronimus et electus, quibus id extunc per litteras nostras mandavimus, convenirent inibi cum eodem, ut tuis et dicti regis sollempnibus nuntiis comparentibus coram eis iidem cardinales et electus communi consilio et mutuo auxilio juxta datam eis a Deo prudentiam et formam a nobis habitam ejusdem negotii prosecutioni vacarent. Et insuper tam tibi quam memorato regi, unicuique videlicet vestrum singulariter, singulis apostolicis sub certa forma litteris destinatis, vos rogandos duximus et hortandos ut quilibet vestrum multiplicatis super hoc ipsius ecclesie monitionibus acquiescens et ad pacem animum regalem habilitans, hujusmodi sollempnes nun-

tios, quibus tui et ipsius regis esset cordi concordia, super toto negocio et specialiter super treuga et vista super quibus jam aliquis tractatus habitus fuerat, et ad omnia in eodem negotio necessaria sive utilia plenum mandatum habentes, qui se in loco et festo predicto coram eisdem cardinalibus et electo mittentium nomine presentarent ac eorum salubribus monitis et persuasionibus acquiescerent destinaret.

Dictus vero rex memorato cardinali Gerardo, ei suum adventum per suas litteras denuntianti, rescripsit variis rationibus se de ipsius civitatis assignatione a nobis facta mirari, tum quia tuo dominio est subjecta, propter quod si hujusmodi negotium inibi tractaretur curie Castelle detraheretur honori, tum quia nimis erat ab ipso maxime tunc ad frontariam procedente remota, cum natura ipsius negotii talis existeret quod multa tractanda inerant que sui nuntii eo inconsulto consumare non possent, et per hoc contingeret negotium prorogari. Unde Perpinianum vel Baionam tanquam locum ad premissa ydoneum eligens, nec attendens quod non est partis locum et tempus discussionis eligere sed nostrum, qui habemus partium vota discutere, illa partibus assignare, quodque idem cardinal superioris sui processum nostrum videlicet immutare non poterat, eorum alterum vel alium sibi vicinum et a dominio tuo exemptum necnon et alium terminum, cum prefixus a nobis tarde ut dicebat ad ejus pervenisset notitiam, assignari per suas litteras postulavit. Et quanquam memoratis cardinali et electo ad locum eundem accedentibus in tempore destinato, tu innatam tibi ad eandem ecclesiam devotionem prosequens, nostrasque monitiones, exhortationes et preces prompte ac humiliter exequens nuntios proculdubio sollempnes viros utique non solum prudentia insignes et genere sed et alias magni status in regno tuo speciales in tuo consilio et in conspectu acceptos, illuc eodem tempore destinaris, ipse tamen ut sibi placuit sed non ut decuit easdem exhortationes et preces obaudiens nullos ad locum eundem destinare curavit, licet scripserit eisdem cardinalibus et electo se quemdam Jacobum nomine militem et sue curie judicem associatum quodam alio Johanne de Galletia nominato cum sufficienti mandato destinasse Baionam, dictusque Johannes eorundem cardinalium et electi presentiam adiens petierit de alio loco magis communi partibus provideri, asserens predictum Jacobum Tholosam dicti regis urgente mandato nullo modo venturum. Adicimus preterea repetitioni premisse nos civitatem eandem non negligenter, non inconsulte sed premisso cum fratribus nostris exacte deliberationis examine consultius elegisse. Consideravimus enim cum quibus et de quibus erat ibi tractatus habendus; consideravimus quod non exigebatur principalium personarum ea vice presentia, non de negotii consumatione spes erat sed de preparatoriis agebatur. Ut cum utriusque partis nuntiis negocio ad optatum exitum disposito et ad concordiam preparato, in loco cum ipsis nuntiis eligendo, mutua conventio, sine vista ipsius regis et tua necessaria eidem ut dicitur consumando negotio sequeretur, et quanto esset negotii expeditio promptior tanto more viste brevior et partium gravamina pauciora, hec considerationem nostram preteriit quod cum etiam pro isto eodem negotio alias tam sui longe majores nuntii te in terra tua quam eum in sua tui hactenus adiissent, ratio non suberat presumendi, quod idem rex moleste ferre debet nuntiis suis predictam civitatem pro loco ad predictam ydoneo deputari.

Ex hiis deinde subinferimus non indigne ipsum nec causam habuisse legitimam predictis nostris exhortationibus et precibus non parendi, minus sufficientes ut dicitur, mittendo nuntios et eos prohibendo ire Tholosam; nec admirationis etiam rationem de facta per nos civitatis ipsius assignatione pro eo quod tuo dominio est subjecta, cum ideo timere non deberet Castelle curie detrahi, quia nec tu ipsum assignaveras nec tuo consilio sive ad tuam instantiam, aut te etiam conscio per nos de fratrum nostrorum consilio extiterat assignata. Sed nec propter civitatis predicte distantiam pro eo fuerat admirandum quod ipsum consuli oporteret super aliquibus consumandis, cum non de consumatione sed de preparatione facienda inibi ut premittitur ageretur. Nec propterea dicti cardinales et electus eum sequi deberent tunc euntem in frontariam contra Mauros, aut fines excedendo mandati locum sibi viciniorem juxta sue petitionis ineptitudinem assignare, ut nuntiorum suorum potius quam eorundem cardinalium et electi laboribus parceretur. Ineptum quidem extitit et proculdubio incivile dictum regem locum sibi postulare vicinum, cum quanto sibi vicinior et ad eum aditus suis nuntiis aptior, tanto eisdem cardinalibus et electo remotior et laboriosior peteretur. Quasi non esset amplius tantis personis quam suis nuntiis deferendum, quasi non sufficeret quod saltem prefati cardinalis Jeronimus et electus usque Tholosam non propter te cujus in Francia, ubi tunc erant, copiam poterant habere facilius et exquirere voluntatem nec propter tuos nuncios sed propter suos tantummodo laborarent. Nec omittimus quod et de termini tarda notitia querela prudentius substitisset, cum eam confutet aperte quod sicut dictus suus nuntius Johannes de Galletia post eundem terminum ipsi cognitum missus ab eo pervenerit ut predicitur, insufficienter ad eorundem cardina-

lium et electi presentiam infra illum, sic etiam potuissent cum sufficienti mandato alii pervenire. Quodque non decuit, immo nec licuit propter hoc a tam instanter, tam affectuose per nos petita nuntiorum missione cessare, presertim cum in hoc non bene factis exhibeat temeritatem, quam in premissis admirationis sue rationibus verbis se habere pretendit, ne hujusmodi negotii dilatio ingeratur, cui pro nichilo ipse tantam ingessit sine causa, easdem nostras contempnendo exhortationes et preces, et talibus non deferendo personis sed ipsarum tam leviter evacuando labores. Nec tacemus quod, cum per venerabilem fratrem nostrum Benevenutum ordinis Minorum nunc episcopum Eugubinum a sua presentia redeuntem nobis liberaliter obtulerit se paratum in eodem negotio nostris acquiescere monitis et parere mandatis, vellemus ut oblationem hujusmodi, quam hucusque taliter servasse probatur in minimis, melius in futurum observet in magnis. Vellemus preterea ut ab hiis et hiis similibus cautius in posterum caveat, ipsum sollerter advertere quod tua fili benedictionis humilitas suam inobedientiam arguit, tueque obedientie promptitudo notabiliores perhibet ejus contumaciam et contemptum. Nec illud etiam silentio preterimus quod si solum ipsius verteretur periculum in predictis possent non immerito nos ista movere ad ipsum suo in hiis relinquendum arbitrio et hujusmodi negotium totaliter deserendum. Sed quia tua et ipsius dissensio multis est onusta periculis, magnis est plena dispendiis, multorum discrimina secum trahit, utilia Dei servitia impedit, animarum exicia, excidia corporum, vastitates rerum et alia horrenda que avertat Dominus comminatur, cogit caritas, hortatur pietas ut propterea non desistamus a ceptis sed illis sollertius insistamus.

Ceterum princeps inclyte, devotionem et humilitatem meritis laudibus et debitis gratiarum actionibus prosequentes, illud te tanquam filium predilectum volumus semper ante oculos tue mentis habere, quod nullius apud te tanti debet esse malitia, ut perdas tuam innocentiam propter eam vel maculam in gloria tua ponas. Quid autem gloriosius in potente, quam que suos professores exaltat humilitas, quam ille qui ait : quanto magnus es, humilia te in omnibus, majorem esse persuadet in magnis? Non deseras itaque, fili carissime, vias tuas, in te a tuis etiam progenitoribus derivatas. Devient qui voluerint; tu semper rectitudinis semitas prosequaris, pacem amplectare, et quantum in te fuerit cum omnibus eam habe. Contempne aliorum arrogantiam et contemptum, cum in sublimi positus, non sit unde contempni ab aliquo verearis. Ideoque cum memorati cardinales et electus tamquam viri virtutis, fortes animo, suam patienter ferentes injuriam immo contemnentes omnino, Deique ac nostrum beneplacitum prosequi cupientes, disposuerint in kalendis martii venturi proximo in Vasconia in loco congruo eidem tractando negotio convenire, te ac sepefatum regem suis litteris exhortantes ut ad locum eundem solempnes nuncios plene in negotio ipso instructos cum sufficienti mandato in eodem termino destinetis, serenitatem regiam rogamus, hortamur et obsecramus in Domino Jhesu Christo quatinus ad utilitatem publicam et Dei negotia, quarum tibi promotio imminet, considerationis intuitum debita pietate convertens, nullius malitia te abduci patiaris ab illis; sed ut liberius exequi valeas, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram eorumdem cardinalium et electi, quin potius nostras exhortationes adimpleas, statutis et statuendis per eos loco et tempore ad eorum presentiam hujusmodi sollempnes nuncios cum plenis mandato et instructione transmittas, ut quanto constantius injuria non provocatus, alterius in tue humilitatis prosecutione perstiteris, tanto id majoris meriti, majoris appareat esse virtutis. Dat. ut supra. »

387 Saint-Pierre, 29 novembre 1278.

Regem Castelle vehementer reprehendit quod nuntios Tholosam non mittere voluerit, licet antea se paratum obtulisset in negotio pacis sedis apostolice monitis acquiescere; ei mandat quatinus, juxta exhortationem predictorum cardinalium et electi, nuntios ad ipsorum presentiam sic instructos et ad pacem benivolos destinare procuret, quod contractam contemptus et contumacie notam aboleat. (Fol. 105 v°; an I, Curiales, n° 162 ; Potthast 21490.)

« *Regi Castelle ac Legionis illustri.* Etsi errantibus errata repetere pudorem afferat, confusionem inducat, quia tamen est confusio que gratiam adducit et gloriam, dum penitudinem ingerit, emendationem suggerit et ejus remordendo sibi conscium quasi necessitatem indicit, decrevimus commissum per te contra nos et Romanam ecclesiam contemptum contumacie non expertem tibi non sub verborum involucro sed manifestis affatibus in sinceritatis tamen affectibus aperire. Verum licet ad consolationem, immo et delectationem aliquibus cedere soleat merita exprobrare, nos tamen sollicitudinem, labores et studia pie matris ecclesie ad sedandam discordiam, quam malorum incentor inter te ac carissimum in Christo filium nostrum regem Francorum illustrem solitis suis insidiis excitavit, adhibita, etsi eorum consideratio dictos contumaciam et contemptum multipliciter aggravet, nequaquam commemoranda censui-

mus, utpote non solum tibi, verum etiam satis ut credimus orbi nota, sed quasi ea gratitudine tua regalis devotio provide augenda compenset, quibus aucte devotionis indiciis tua gratitudo regia prosequatur, quia nec expedire credimus, nec volumus nec valemus reluctante conscientia preterire subscripta, facti veritas eosdem contemptum et contumaciam manifestius detegens revelabit. Nuper siquidem dilectis filiis —. Porro scire tuam excellentiam volumus nos civitatem predictam non negligenter, non inconsulte, sed premisso cum fratribus nostris exacto deliberationis examine, tuis etiam nunciis presentibus in curia nostra non insciis, consultius elegisse. Consideravimus enim, cum quibus et de quibus erat tibi tractatus habendus. Consideravimus quod non exigebatur principalium personarum ea vice presentia, non de negotii consumatione spes erat, sed de preparatoriis agebatur; ut cum utriusque partis nuntiis negotium ad exitum optatum disposito et ad concordiam preparato in loco cum ipsis nuntiis eligendo mutua conventio sive vista ipsius regis et tua, necessaria eidem, ut dicitur, consummando negotio sequeretur; et quanto esset negotii expeditio promptior, tanto more viste brevior et partium gravamina pauciora quodque cum etiam pro isto eodem negotio alias tam tui longe majores nuntii regem eundem in terra sua, quam te in tua sui hactenus adiissent; ratio non suberat presumendi quod moleste ferre deberes nuntiis tuis predictam civitatem pro loco ad predictam ydoneo deputari. Que igitur causa premissis exhortationibus nostris et precibus non parendi, minus sufficientes, ut dicitur, mittendo nuntios et eos prohibendo ire Tholosam? Que admirationis ratio de assignatione civitatis ipsius predicto regi subjecte? in quo per hoc curie Castelle detrahi poterat? Numquid ipse rex tibi assignavit eandem? vel ejus consilio sive ad ipsius instantiam aut eo etiam conscio extitit assignata? Numquid non erat tuis nuntiis nostra diligentia plene de securitate provisum? Que iterum admirationis ratio ex civitatis predicte distantia pro eo, quod te forsan consuli oporteret, super aliquibus consumandis cum non de consumatione sed de preparatione ibi, ut premittitur, esset agendum? Numquid propterea dicti cardinales et electus te abeuntem in frontariam contra Mauros sequi debebant? aut fines excedendo mandati, juxta tue petitionis ineptitudinem, locum tibi viciniorem adire, ut nunciorum tuorum et non ipsorum laboribus parceretur? Nonne ineptum extitit et proculdubio incivile te locum tibi vicinum petere, cum quanto tibi vicinior et ad eum tuis nuntiis aditus aptior, tanto eisdem cardinalibus et electo remotior et laboriosior peteretur? quasi non plus tantis personis quam tuis esset nunciis deferendum? quasi non sufficeret quod saltem prefati cardinales Jeronimus et electus usque Tholosam, non propter dictum regem, cujus in Francia, ubi tunc erat, copiam poterant habere facilius et exquirere voluntatem, nec propter suos nuncios sed propter tuos tantummodo laborarent. Sed et de termini tarda notitia querela prudentius substitisset, cum eam confutat aperte quod sicut dictus tuus nuncius Johannes post terminum tibi cognitum a te missus pervenit insufficienter ad eorundem cardinalium et electi presentiam infra illum, sic etiam potuissent cum sufficienti mandato alii pervenire. Attende itaque, si decuit propter hoc a tam instanter, tam affectuose per nos petita nunciorum missione cessare; si operibus exhibes teneritatem, quam in premissis admirationis tue rationibus verbis te habere pretendis, ne hujusmodi negotio dilatio ingeratur, cui tantam pro nichilo ingessisti sine causa, easdem nostras contempnendo exhortationes et preces, nec tantis deferendo personis, sed ipsarum tam leviter evacuando labores? Et ne ista oblatio, quam nobis per venerabilem fratrem nostrum Benevenutum ordinis Minorum nunc episcopum Eugubinum a tua presentia redeuntem ex parte tua meminimus presentatam, per quam devote ac liberaliter offerebas te paratum in hoc negotio nostris acquiescere monitis et parere mandatis, utinam, princeps magnifice, oblationem eandem quam huc usque taliter servasse probaris in minimis melius in futurum observes in magnis; utinam ut ab hiis et hiis similibus cautius in posterum caveas. Consideret circumspectio regia quod predicti regis humilitas tuam inobedientiam arguit; sueque obedientie promptitudo notabiliores tuos perhibet contumaciam et contemptum. Profecto si tuum solum verteretur periculum in predictis, possent nec immerito nos ista movere ad te ipsum tuo in hiis relinquendum arbitrio et hujusmodi negotium totaliter deferendum. Sed quia memorati regis et tua dissentio multis est onusta periculis, magnis est plena dispendiis, multorum discrimina secum trahit, utilia Dei servitia impedit, animarum exicia, excidia corporum, vastitates rerum et alia horrenda, que evertat Dominus, comminatur, cogit caritas, hortatur pietas ut propterea non desistamus a ceptis, sed illis solertius insistamus. Cum itaque memorati cardinales et electus, tanquam viri virtutis, fortes animo nec tuo moti contemptu nec contumacia provocati, sed Dei et nostrum beneplacitum prosequi cupientes disposuerint in kalendis martii venturi proximo in Wasconia in loco congruo prosecutioni ejusdem negotii convenire, te ac sepefatum regem suis litteris exhortantes ut ad locum eundem solempnes nuntios plene in negotio ipso instructos cum sufficienti

mandato in eodem termino destinetis; serenitatem regiam eo instantius quo frequentius rogamus, hortamur et obsecramus in Domino Jhesu Christo, quatinus prudenter attendens quod talia saluti tue non congruunt, sed et fame detrahunt et honori, animumque tuum super concordia inter te ac memoratum regem Deo auspice reformanda, votis nostris in omni puritate conformans, juxta premissam exhortationem eorundem cardinalium et electi, nuntios, statutis et statuendis per eos loco et tempore ad ipsorum presentiam sic solempnes, sic instructos, sic ad pacem benevolos destinare procures, quod contractam contemptus et contumacie notam aboleas, nec tibi amplius impedimentum tam utilis, tam fructuose, tam communiter desiderate concordie a Deo vel hominibus valeat imputari. Dat. ut supra. »

388 3 décembre 1278.

S. apostolice sedis legato significat que regi Francorum aliis litteris de episcopo Baiocensi mandavit; ei mandat quatinus eidem regi se sincerum et fortem in expressione veritatis exhibeat, et ipsum a procedendo contra eundem episcopum retrahere studeat. (Fol. 107; an I, Curiales, n° 163.)

« *S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Querelam gravem a carissimo in Christo filio nostro rege Francorun illustri nobis per nuntium et litteras ad hoc specialiter destinatos expositam super infidelitate, quam contra se venerabilem fratrem nostrum P. Baiocensem episcopum asserit commisisse, necnon et petitionem de episcopo ipso per nos propterea puniendo, ac insuper adjectionem in eisdem contentam litteris de privando seu mulctando ipso episcopo, ut dictarum litterarum verbis utamur, per regem eundem temporalibus ecclesie Baiocensis, licet eam ad tuam pervenisse notitiam verisimiliter presumamus, brevi quodam epilogo ut tutius negotio consulatur duximus repetendam responsionem nostram, quam super premissis eidem regi per nostras sub certa forma litteras destinamus, presentibus summotenus inserentes, ut in illis ad que circa eadem te procedere volumus et longe amplius processisse vellemus plenius instruaris. Et quidem post paternos ad eundem regem affatus et post relatam ejusdem sui nuntii factam ut dicebat de suo mandato protestationem, quod nullomodo in hiis onus partis assumere, vel se partem proprio aut ejusdem regis nomine constituere intendebat, habet summa responsionis ejusdem quod cum contra memoratum episcopum non precesserit apud nos super premissis infamia nec clamosa insinuatio sit secuta, que ad inquisitionem movere potuerint contra eum, nec ad id facti circumstantie conscientiam nostram inducant, nec aliquis appareat accusator legitimus vel delator seu etiam nuntiator, qui sue delationis seu nuntiationis instantiam prosequatur, et expresse jure sit cautum quod nuntiatores etiam qui per notoria indicia produnt jubentur assistere notis suis, nulla juris ratio pateretur facto plectibili nec probationibus in judicio nec evidentia facti detecto nos vel alium quemcumque maxime non suum judicem eundem episcopum plectere vel propter ipsius delictum bona commisse sibi ecclesie occupare, inordinate nimis executione preveniente sententiam et cognitionem ac probationem non exspectante vindicta, idcirco mirantes audivimus quod de privatione ac mulctatione hujusmodi premisse sue littere continebant, presertim cum non liceat ad res ecclesie manus extendere ob persone delictum, quod secundum scita canonum non est in dampnum ecclesie convertendum, etiam pro tempore delinquentis, licet aliud eedem sue sicut premittitur littere sapere viderentur, varias quoque persuasiones tam regis ejusdem quam carissime in Christo filie nostre illustris regine Francie consortis sue, que contra memoratum episcopum eadem quasi scripsit et petiit, saluti congruentes et fame dictis nostris adicientes litteris, regem eundem rogamus et hortamur attente affectu intimo et sincero sibi consilio nichilominus suadentes ut providens honori suo ejusdemque regine consultius et a predictorum prosecutione decetero desistat omnino et contra memoratum episcopum ad eorundem temporalium occupationem, que potius in dispendium ejusdem verteretur ecclesie cum tanta juris injuria et lesione justitie divine majestatis obtentu et ob reverentiam apostolice sedis ac nostram nullomodo procedat; sciturus quod si nobis de premisso ipsius episcopi vel alio etiam contra ipsum commisso excessu patuerit, sic eum debite ultionis acerbitate castigare proponimus quod preter offensam ipsius ecclesie pena suum tenebit actorem, cujus severitas aliis similia presumendi audaciam interdicet. Cum igitur, sicut tuam prudentiam non ignoramus advertere, hujusmodi mulctationis privationisve conceptus, si prodiret in actum, Deum et ecclesiasticam libertatem offenderet et universalem adeo scandalizaret ecclesiam quod ipsum finaliter nullomodo possemus sub dissimulatione transire, proculdubio multum fuisset expediens, multumque tuam sollicitudinem decuisset, ut post primo habitam ipsius notitiam, ocio relegato nocivoque rupto silentio, in suum dampnum eidem regi non deferens, illum extinguere conareris, quod et si forsan temptavisti quia tamen nichilominus est ad id instantius insistendum, volumus et discretionem tuam monemus, rogamus

et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus prudenter attendens quod in hoc Deo, nobis et eidem ecclesie servies, tueque conscientie necnon et ipsi regi precipue providebis, te regi eidem Johannem in expressione veritatis exhibeas et non dissimulans, non parcens sed salubriter feriens ad sanandum oportune suadeas et apertius exprimas quod magnificentie sue non congruit ut amplius discutiendis seu persequendis quibuslibet detractionibus, quas decet eum potius in magnanimitate contempnere, se involvat. Nec ei licet in bona ecclesiarum manus injicere, vel personas ecclesiasticas et precipue prelatos cum suo domino stent aut cadant personaliter vel realiter perpetua seu etiam temporali privatione punire. Cum autem facilius sit futurum impedire processum quam factum postea revocare, sic sollicite, sic studiose ipsum et suos a procedendo contra memoratum episcopum retrahere studeas quod de suo processu nec scandalum, quod Dominus avertat, insurgat, nec de revocatione ipsius difficultas vitande admodum perplexitatis emergat. Dat. III nonas decembris. »

389 3 décembre 1278.

De gravibus querelis contra episcopum Baiocensem illatis regi Francie scribit ; miratur quod de privando eundem episcopum temporalibus ecclesie Baiocensis rex declaravit, et ei mandat quatinus, delicti probatione non facta, a tali injuria desistat. (Fol. 107 v°; an I, Curiales, n° 164 ; POTTHAST 21493.)

« .. *Regi Francie illustri.* Querela gravis grandis est doloris indicium, cujus vehementia dolentem silere non patitur, sed deducere cogit in publicum quod latet introrsum. Probat hoc illius sancte peccatricis exemplum, que ardorem sui doloris insinuans flere nec inter convivantes erubuit, sed ad eos injussa pervenit et lacrimas inter epulas presentavit. Hinc, fili carissime, quanto ex querimonia per litteras a celsitudine tua directas et relationem dilecti filii fratris Arnulfi de Wisamala ordinis militie Templi nuntii tui ad hoc specialiter destinati, nobis nuper exposita de infidelitate, ut eedem littere continebant, venerabilis fratris nostri P. episcopi Bajocensis acerbius te dolere cognovimus tanto doloris tui paterna compassione participes tibi amplius condolemus. Cum enim te singulariter habeamus in visceribus caritatis, tua quevis nos non posset angustia, quam misericors Dominus a tuis avertat eventibus, preterire. Hinc princeps inclite potes et debes non indigne supponere quod cum doloris communio, commune inducere soleat desiderium ad vindictam, si nobis de infidelitate hujusmodi penam exigens innotuisset veritas vel ut innotesceret pateret via legitima, prosecutio justitie, immo et prompta executio non deesset. Verum scire tuam excellentiam volumus que dictus frater in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus, ut omittamus quid sibi circa hoc jura permitterent de tuo beneplacito, ut asseruit est protestatus apertius quod nullomodo in hiis onus partis assumere, vel se partem tuo aut suo nomine constituere intendebat. Cum igitur contra memoratum episcopum —. Idcirco mirantes audivimus quod de privando —. Ceterum excellentie regie veritate juris exposita, exhortationes et preces ex habundantia caritatis adicimus, et consilium non extimavimus subtrahendum ; vellemus itaque, sicut alias proxime tibi scripsisse meminimus, circumspectionem regiam prudenter advertere quod talium non est commemoratio frequentanda ; quia immunda quo amplius deducuntur eo latius et longius sue immundicie diffundunt horrorem ; quia non est datum omnibus ex personarum qualitate aliisquo circumstantiis recte dijudicare que audiunt ; quia id habet mundi corruptio, ut homines ad mala, que sive sub assertionis, sive sub cujusquam repetitionis spem referuntur facile inclinant auditum, propter quod licet fuisset cautius a principio, nec ad horum processisse indaginem set, ut eorum citius extingueretur memoria, ea sub dissimulatione transisse, tamen ex quo ad id procedi placuit, sufficere debuit et proculdubio sufficit, carissime in Christo filie nostre M. regine Francie illustris consortis tue innocentiam, cujus contrarium de tanta domina de tali producta genere, et ad tale vinculo matrimoniali deducta, numquam a discreto aliquo etiam autumandum credidimus fuisse manifestius, sicut premisse tue littere continent revelatam, ut non amplius talia, vel vindicte libidine vel quacunque occasione alia renoventur. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur in Domino Jhesu Christo, tibi affectu intimo et sincero consilio suadentes, quatinus ut honori tuo et dicte regine in hoc plenius consulatur a predictorum prosecutione decetero consulta meditatione omnino desistens, contra memoratum episcopum, ad eorundem temporalium occupationem, que potius in dispendium ejusdem ecclesie verteretur, cum tanta juris injuria et lesione justitie divine majestatis obtentu et ob reverentiam apostolice sedis ac nostram nullo modo procedas, sciturus quod si nobis de premisso ipsius episcopi vel alio etiam contra te commisso excessu patuerit, sic ipsum debite ultionis acerbitate castigare proponimus quod preter ipsius gravamen ecclesie pena suum tenebit actorem, cujus severitas aliis similia presumendi audaciam interdicet. Dat. ut supra. »

390 3 décembre 1278.

De codem negotio speciale memoriale regi Francie scribit. (Fol. 108; an I, Curiales, nº 165.)

« *Istud memoriale infrascriptum fuit inclusum in littera proxima precedenti.* Fili carissime, singularis ad personam tuam nos urget affectio, singularis efficit caritas ut in precavendo tibi non solum a noxiis sed etiam ab hiis, que decori excellentie tue non congruunt, nil persuasisse sufficiens, sed persuasis semper extimemus addendum. Et ideo monita nostra benigne recipias nec aliquibus ea forsan depravare volentibus acquiescas sed, sicut de paterna dulcedine prodeunt, sic in filiali consideratione dulcescant. Attende itaque quod non decet magnificentiam regiam exercendam in arduis, implicandam in magnis, occupari minimis, vacare cujuslibet detractionis examini, persequi quemlibet detrahentem, nutrire detrahentium murmura per examinationes et persecutiones hujusmodi, per quas illius repetendis datur occasio que per contemptum neglectui tradita facilius cecidissent. Sic namque latratum canis qui latrantem dissimulando preterit cohibet. Qui vero persequitur et comminando cohibere conatur irritat. Attende insuper quod quanto genus tuum inclitum plenius fovit et exaltavit ecclesias, ecclesiasticas personas manutenere ac illibatam conservare studuit ecclesiasticam libertatem, tanto in te amplius notaretur, si tu ecclesias vel ecclesiasticas personas opprimeres aut violares ecclesiasticam libertatem. Attende quomodo non solum in regno tuo sed et in vicinis prelatorum corda turbares, quomodo universalem scandalizares ecclesiam. Quantus adversus te clamor ascenderet, si tu in ecclesiastica bona manus injiceres, si bona quevis Bajocensis ecclesie occupares. Attende quod hiis non leve pondus adiceret eminentia tui status, cum excessus in sublimioribus eo ipso conspectior, tanto dampnabilior habeatur quanto facilius quantoque periculosius derivatur in alios per exemplum. Et ideo minus esset ab ecclesia tolerandus minusque posset urgente conscientia tolerari. Nullius igitur te ad id sinistra suggestio moveat, nulla instantia inique persuasionis inducat, sed ab occupandis predictis bonis prorsus abstineas, et si quid circa hoc forsitan concepisti, ab hujusmodi conceptu omnino desistas. »

391 2 décembre 1278.

Marie Francorum regine iras contra episcopum Baiocensem, qui ipsi atrocem calumniam imposuit, delinire conatur. (Fol. 108 vº; an I, Curiales, nº 166; Potthast 21492.)

« *M., regine Francorum illustri.* Non miramur, carissima in Christo filia, non miramur si horrendam infamiam tibi falso impositi criminis, quam licet plenius misse nobis littere tue serenitatis expresserint nos tamen velut omni verisimilitudine destitutam, indignam repetitione censuimus, tue conscientie puritas horruit et ad primum ipsius auditum riguit caro, mens hebuit, tantique sceleris imposturam fragilitas feminei sexus expavit; si contra eos quos extimas ejusdem sceleris impostores animus irritatus incanduit et ipsum ad vindictam fervor subiti doloris accendit. Sed illud considerationis nostre discussio non sine admiratione recenset quod dato deliberandi spatio de confidentia proprie innocentie concepta securitas, resumpto fortitudinis spiritu talia non contempsit. Numquid enim tantis orta natalibus, tantis trabeata parentibus, talibus educata studiis, talibus ab annis teneris imbuta moribus, vel notam vel suspitionem quamlibet in hiis vereri debueras? Numquid hoc admittebat tui claritas generis aut illius quod te in suum participium matrimoniali unione receptam, regio insigniens titulo clariorem effectam, veluti maritalibus etiam radiis corruscantem? Numquid non id tua fama laudabilis et innocens conversatio confutabat, an non et quo ad familiares tuas, quas honestas et providas viteque probate ipsa earum ad tui custodiam manifestat electio, evidens ratio excludebat? Quid namque te vel eas ad tam crudelem insontis mortem, cujus nec etas adhuc odium parere poterat, provocasset? Quis successionis ambitus future soboli procurande ad tanti atrocitatem facinoris molles irritasset animos aut manus armasset imbelles? Quasi quotcunque regis Francie filiis de divitiarum habundantia dubitandum, aut de defectu status eximii sit timendum? Profecto, devotionis et benedictionis filia, hec et hiis similia te prudenter advertere ac frequenter vellemus in tua meditatione pensare, ut saltem per condempnationem hujusmodi proditionis actoris, sicut predicte tue continent littere, te ac eisdem tuis familiaribus probatis et patefactis innoxiis repetitionis horum precideretur occasio, nec ipsorum memorie per relationis frequentiam renovande ob ulterioris vindicte desiderium contra venerabilem fratrem nostrum P. Bajocensem episcopum, quem proditionis ipsius incentorem asseris et proinde puniri postulas materia preberetur, presertim cum adhuc via non pateat per quam tuis in hoc votis satisfacere sine justitie lesione possemus. Scire siquidem tuam excellentiam volumus, quod de premissis apud nos contra memoratum episcopum non precessit infamia nec clamosa insinuatio est secuta, que nos ad inquisitionem movere potuerint contra eum. Nec apparet accusator legitimus vel delator aut etiam nuntiator, qui juxta juris exigentiam sue dela-

tionis seu denuntiationis instantiam prosequatur. Unde licet simus juris nexibus absoluti, tamen cum remorsu conscientie in lesionem alterius tramites juris excedere non debemus nec procedere possumus ad memorati episcopi delictum, si quod extitit nobis in judicio non probatum nec evidentia facti notorium, ut desideras puniendum, quantumcunque libenter tuis justis desideriis annuere intendamus. Ideoque serenitatem regiam rogamus et hortamur attente obsecrantes in domino Jhesu Christi ac sincero tibi affectu et consilio suadentes quatinus ut honori tui consulas et consultius commemorationem predictorum excludas, non solum tu de cetero ab eorundem prosecutione desistas sed et alios desistere pro posse procures. Ceterum ut in hiis tua cesset anxietas et sollicitudo quiescat, indubie teneas quod si de ipsius episcopi contra te commissis excessibus veritate nobis vite revelata constiterit, illos sic merita districtione plectemus quod ipsius digne castigata temeritas aliis erit terroris exemplum. Datum IIII nonas decembris. »

392 3 décembre 1278.

Cum rex Francie et nonnulli barones novas concessiones indulgentiarum petierint faciendas illis non crucesignatis, quandam quantitatem in subsidium Terre Sancte solventibus, hanc petitionem ad presens regi significat non admittendam. (Fol. 109; an I, Curiales, n° 167.)

« *Regi Francie illustri.* Samaritanus Patris eterni Filius, ille videlicet qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo, genus humanum ex peccato primi parentis spoliatum gratuitis et plagis impositis in naturalibus vulneratum esse prospiciens, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et inclinans celos de sinu Patris ad ima mundi descendens in similitudine hominum factus et habitu inventus ut homo misericordia motus alligavit vulnera sauciati, oleum misericordie et vinum justitie infundendo. O mira dignationis humilitas, qua descendit. O ineffabilis conditionis humane conformitas, qua se conformem prebuit. O stupenda compassionis pietas, qua vulneratum hominem Dei Filius factus homo suis curavit vulneribus per proprium crucis salutifere passionem, sed nec hiis contenta redemptoris Samaritani laudanda custodia, per sacramenta ecclesie in passione sua mirabiliter instituta eodem vulnerato in stabulum unitatis ecclesie introducto, post resurrectionem suam quasi altera die proferens duos denarios, potestatem scilicet ligandi atque solvendi dedit illos stabulario, hoc est Petro, et suo in militanti ecclesia successori dicens curam illius habe, utendo scilicet ad ejus regimen hac concessa divinitus potestate. Hii sunt thesauri, quos cum expedit sue dispensationi commissos dispensat ecclesia in quorum dispensatione, sicut evangelicus sermo proloquitur, conjungitur cum fidelitate prudentia, ut dispensator ipsorum tamquam fidelis ipsos dispenset utiliter velut prudens secundum rei exigentias temporibus oportunis. Unde cum nos, quibus licet indignis hec dispensatio est commissa, super ipsorum erogatione requirimur profundis meditationibus nec immerito cogitamus, ut in dispensatione hujusmodi mentem nostram illa movere possit utilitas ea rerum et temporum considerata necessitas, que in hora tremendi judicii, cum ad judicandum omnes Samaritanus ipse redierit, ubi queretur inter dispensatores fideles quis inveniatur, nos sibi dispensatores fideles exhibeat et prudentes. Nuper siquidem venerabilis frater noster G. Ambianensis episcopus et dilectus filius Guillelmus decanus Abrincensis, ac nobilis vir Radulfus de Stratis marescallus regni tui ac Anserimus de Garlandia et Galcerus de Merriaco milites, baronum regni tui nuntii, ad nostram presentiam accedentes pro parte tua et baronum eorundem ordinari petebant a nobis ut quicunque non crucesignati aut voto crucis astricti, mobilia tantum habentes, quintam decimam partem vel valorem ipsius mobilium hujusmodi, quecunque sint et in quibuscunque consistant, et tales redditus tantum et non mobilia, et alii similes mobilia et redditus obtinentes medietatem vel valorem ipsius omnium exituum, redditum et proventuum unius anni percipiendorum ab eis, et iidem habentes mobilia et redditus preter medietatem eandem hujusmodi quintam decimam vel valorem ipsius de predictis mobilibus velint solvere sub certis temporum et quantitatum distinctionibus in subsidium Terre Sancte plenam, et alii non crucesignati vel voto similiter non astricti, qui unum denarium in una quaque quindena exhibuerint in idem subsidium convertendum, centum dierum indulgentias consequantur, et quod questuariorum indulgentie cessent ad tempus, et aliarum non tangentium negotium Terre Sancte indulgentiarum concessio restringatur. Quibus auditis benignius, dum infra claustrum mentis nostre revolvimus compassiones intimas, quas ad Terram ipsam in nostris precordiis tulimus et portamus, ac labores et cogitatus continuos, quibus a nostre promotionis auspitiis, quantumcunque id a nobis apostolatus cura requirat et pacem ubilibet affectemus ea intentione potissime circa tuam cum carissimo in Christo filio nostro .. rege Castelle ac Legionis illustri et aliorum regum et regnorum concordias, non sine multis oneribus institimus et instamus attentius, ut facilius, celerius, quietius et se-

curius eidem Terre subsidium hujusmodi proveniret, iidem nuntii nostros aspectus placidius serenassent, si eorum relatibus, ea que accelerationem generalis passagii saperent nostris conceptibus consona optato percepissemus auditu, cum illa in hiis et aliis nostris processibus desideremus habere principia, que finem laudabilem repromittant. Sed nichilominus nos ipsos astrinximus ad Deum cogitatus nostros in laudis jubilo convertentes, quod te ac barones eosdem Christi pugiles et catholice fidei defensores, negotii Terre Sancte sedulos zelatores inspicimus, et veluti superne benedictionis rore perfusos preteritorum adhuc recentium laborum immemores, athletas indefessos in mandatorum Domini prosecutione sentimus.

Revera fili carissime ambiguum tibi esse non credimus, nam clara sinceritas, quam erga personam nostram habere censeris indubitate spei certitudinem de gratia nostra tibi debet in omnibus suadere, quod petitiones tue, cum nostris auribus innotescunt, vix patiuntur a janua exauditionis nostre repulsam, si eas honestatis vel justitie patrocinium introducat, et si quando tuo intentionis instantia optatum forsitan non reportaret effectum, clementer potes advertere, non tam nostre voluntatis arbitrium, quam aliquid aliud rationabile obstitisse petitis. Sed tunc ad interiora graviori sensibilitate perpungimur, cum de dispensatione spiritualis ecclesie thesauri nobis licet immeritis ut premittitur Domino disponente commissa subtilius cogitamus, nam talium dispensator in terris exactam tenetur eterno Judici reddere rationem. Attendimus autem quod diebus istis preteritis circa dicte Terre subsidium plus solito, plus audito eadem exuberavit ecclesia per VI annos continue omnium ecclesiasticorum proventuum decimam ipsi subsidio concedendo, multis aliis viis in generali Lugdunensi concilio ipsi Terre ample prospiciens, quasi de suis thesauris nova et vetera liberalius proferendo, et quod si sic thesaurus ipse diffunderetur incaute apud ignaros potissime, magnarum personarum, rerum et corporum dispendia non vitantium, ut summo gratificari valeant redemptori, personale passagium ad Terram illam ut tepesceret immo subtraheretur incautius possit verisimiliter dubitari, et ferventium corda zelo perfecte devotionis accensa, tali adequatione gratie contemptibili hesitatione torperent, et in fidei dispendium vilesceret gratia salutaris. Quid fili si tam nobile donum, quo Deo spiritus contribulatus adjungitur, sic dispergeretur improvide quod devotioni tanti muneris deperiret? Quid insudantes alliceret in hujusmodi mundi stadio agiliter currere, si cum ipsis se ipsos salubriter abnegantibus pro fidei defensione pugnando ad bravium cespitans procuratis et obtentis sic faciliter aminiclis perveniret? Et quid distingueretur in meritis, si etiam ejusdem devotionis personalis tamen laboris expertes et redempti precio equali gloria cum laborantibus personaliter in expensarum oneribus potirentur. Certe nec percipimus illam inevitabilem necessitatem ingruere, nec passagium generale ita paratum, vel sic ad illud materiam ordinatam, propter que ad talia cogamur manus ad presens ulterius ampliare, quod donum hujusmodi a fidelibus desideratum avidius videatur tam vili precio comparari. Nec minus in premissis attendere cogimur, quod si preter inauditas et insolitas concessiones, et alia per sedem apostolicam adinventa remedia, et provisiones sic amplas, ad que ut premittitur quasi se ipsam laxavit ecclesia non sine prodigalitatis nota universaliter ad tales novitates, quas sic generaliter fieri nunquam audivimus, laxaremus habenas hujusmodi novitatum inculcationes adicere, quod principibus multum ascribitur ne talium exempla in minores non absque periculo deriventur, ac thesaurum ipsum non dirigere provide sed prodigere potius videremur, nec predictam in tuo regno si fierent possent aliis mundi principibus in eorum regnis et terris sine scandalo denegari, nec ipsis sicut nec tibi hoc tempore ob premissa conscientia sana concedi, nec etiam in predicti denarii exhibitione aliud innovandum esse percipimus, presertim cum super hoc et similibus in dicto concilio per truncos in ecclesiis universaliter positos et modos alios satis videatur esse provisum. Et quidem si pauperes, qui fidelium suffragiis sustentantur, subsidiariis remediis privaremus ubi sicut premittitur causa rationabilis presentialiter non urgeret, plus crederemus inhumaniter agere, quam mereri.

Que omnia rex inclite tuis sanis intellectibus petimus applicari, et si ea regia maturitate discusseris, tu ipse petita per te ac barones eosdem non petenda nec impetranda procul dubio judicabis. Quare celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente quatinus postulationibus hujusmodi supersedens, premissa non admitti equanimiter feras, que quidem ut premittitur concessa nostram conscientiam lederent et gravarent. Si vero processu temporis in premissis aliter conditio mutaretur vel graviores necessitates emergerent, aut generale passagium magis sentiremus esse vicinum et accintum ad id exercitum christianum, circa ferventiorem predicationem crucis que proh dolor satis tepuisse videtur, majorem sollicitationem principum et aliorum fidelium ac alia oportuna et utilia ipsi terre procuranda remedia disponimus plenius cogitare. Ad hec quoque potissime studia nostra convertere ac nostros excitare

conceptus, tibi et baronibus ipsis adesse benignius, te ac illos et alios pro hujusmodi subsidio ad Redemptoris gloriam laborantes debitis confovere favoribus excitare corda fidelium, excitata benedictione nostra precingere, ac vias et modos jam exquisitas plena prosecutione dirigere, aliosque prout temporis et negotii qualitas exiget oportunos exquirere, quibus ipsi Deo laus adaucta, et eidem Terre celeriter optata presidia consolationis adveniant, et dicta terra diebus nostris ab oppressionum inundatione respiret, ut in tanti negotii prosecutione sollicita fervor noster exuberet, appareat tuus et baronum eorundem zelus inclitus et devotio populi christiani, ac nichilominus celsitudo regia, quam in hac parte nobis unanimem grata perceptione sentimus, et ad quam ipsa Terra sub spe sue liberationis aspirat, oportunis sicut expediet divine propitiationis et nostris suffulta presidiis preter eterne retributionis premium bravium tante victorie dante Domino consequatur. Ad quod ardentes intendimus et tanto ferventius plenis studiis intendemus quanto ad terram predictam et tuam ac baronum eorundem personas afficimur, et cupimus quod vobis et ipsi terre, quantum Dominus ex alto permiserit ad gloriam sui nominis salubriter consulatur. Dat. III nonas decembris. »

In eundem modum, dilectis filiis nobilibus viris R. Burgundie et J. Britannie ducibus, ac G. Flandrie, E. Campanie [illegible], P. [illegible] et [illegible], R. [illegible], T. Barri, R. Atrebatensi, R. Nivernensi, R. Drocensi et Montisfortis, H. Marchie et Engolisme, J. Pontini, G. Sancti Pauli, J. [illegible], J. [illegible] Martini, J. [illegible], J. [illegible] et J. Sacricesaris comitibus, ac J. Butticulario, et J. Constabulario Francie, et J. de Cociaco, G. de Archiepiscopo et S. de Nigella dominis ac R. Castriduni, et G. Thearcii vicecomitibus, salutem et apostolicam benedictionem. « Samaritanus eterni Patris, etc. ut in proxima verbis competenter mutatis. Dat. ut supra. »

393 Sans date.

[illegible] procedi faceret, significat ea que legato apostolico in Francia scripsit pro utiliori negotii expeditione. De concordia inter Sicilie regem et reginam Francorum, Philippi matrem, super comitatu Provintie, quedam addit. (Fol. 110 v°; an I, Curiales, n° 168.)

« *Philippo regi Francorum illustri.* Plenis ab olim gaudiis exultavit et exultat ecclesia in hiis que de clare memorie L. regis Francorum patris tui preclaris meritis enarrantur, et ea talium grata perceptione refecta, felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster sicut accepimus cupiens honori domus regie, que pro Domino fructus amabiles, salubrius providere, consulta deliberatione decrevit de predictis meritis per dilectum filium nostrum tituli Sancte Cecilie presbiterum cardinalem apostolice sedis legatum, diligenti, secreta et provida indagatione perquiri, ante quam talis indagatio ad examen publicum deveniret. Cum itaque nuper ex parte tua per venerabilem fratrem nostrum G. Ambianensem episcopum et dilectum filium Guillelmum decanum Abrincensem ac nobilem virum Radulfum de Stratis marescalcum regium, nuntios tuos peteretur a nobis ut procedi ad publicam inquisitionem meritorum hujusmodi faceremus, nos ejusdem predecessoris in hac parte providis vestigiis inherentes et attendentes, quod licet idem legatus generaliter et succinte nobis scripserat de predictis, quia tamen per litteras ipsius legati vel aliam instructionem nuntiorum ejus, quos super hiis diligenter et caute interrogari fecimus, ad nos hujusmodi indaginis, prout tanti processus qualitas exigit, plena et ydonea non pervenerit certitudo, eidem legato pro utiliori ejusdem negotii expeditione scripta nostra dirigimus, ut quicquid de premissis et eorum circumstantiis ac aliis, que pro ipso rege Deus miraculose fuisse dicitur operatus, in plena veritate perceperit clare ac distincte per omnia seriosius scribat nobis, cujus relationibus ut premittitur clare, distincte ac seriose perceptis lucidius apparebit quod in hiis providendum extiterit et in posterum respondendum. Tenere quidem fili te volumus quod ea intentione potissime viam hujusmodi sic discusse provisam continuare providimus, in hoc tibi patri et domui predictis specialiter deferentes, ut in hiis tibi et eis honestius et salubrius dante Domino consulatur. Ceterum quietem catholicorum principum plenis desideriis affectantes, quod inter carissimum in Christo filium nostrum C. Sicilie regem et carissimam in Christo filiam nostram reginam Francorum matrem tuam illustres super comitatu Provintie concordia subsequatur, intendimus prout utile fore viderimus et quantum nobis Dominus ex alto permiserit interponere partes nostras. »

394 30 novembre.

S. apostolice sedis in Francia legato, cui jam Gregorius papa decimus de meritis clare memorie Ludowici regis perquisitionem commisit, mandat quatinus quicquid de premissis ac aliis que pro ipso Deus miraculose fuisse dicitur operatus perceperit clare ac distincte sedi apostolice referat, ut lucidius

appareat quid in hiis providendum extiterit. (Fol. 111 ; an I, Curiales, nº 169 ; POTTHAST 21491.)

« *S. tituli S. Cecilie presbitero cardinali apostolico sedis legato.* Sicut nosti felicis recordationis Gregorius papa X predecessor noster consulta deliberatione decrevit de meritis clare memoriae L. regis Francie per te diligenti, secreta et provida indagatione perquiri, antequam talis indagatio ad examen publicum deveniret. Cum itaque nuper ex parte charissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris per venerabilem fratrem nostrum G. Ambianensem episcopum et dilectum filium Guillelmum decanum Abrincensem ac nobilem virum Radulphum de Stratis marescalcum regium nuncios suos peteretur a nobis, ut procedi ad publicam inquisitionem meritorum hujusmodi faceremus, nos predecessoris ejusdem in hac parte providis vestigiis inherentes, et attendentes quod licet tu generaliter et succinte nobis scripseris de predictis, quia tamen per litteras tuas, vel aliam instructionem nunciorum tuorum, quos super hiis diligenter et caute interrogari fecimus, ad nos hujusmodi indaginis, prout tanti processus qualitas exigit, plena et idonea non pervenerat certitudo, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus quicquid de premissis et eorum circumstantiis ac aliis, que pro ipso rege Deus miraculose fuisse dicitur operatus, in plena veritate perceperis, clare ac distincte per omnia seriosius scribas nobis, ut tuis relationibus, ut premittitur, clare, distincte ac seriose perceptis lucidius appareat, quid in hiis providendum extiterit et in posterum respondendum. Ea quidem intentione potissime, sicut eidem regi Philippo per alias nostras litteras intimamus, viam hujusmodi sic discusso provisam continuare providimus, in hoc ei et dicto patri ac domui regie specialiter deferentes, ut in hiis eis honestius et salubrius, dante Domino, consulatur. Dat. II kalendas decembris. »

395 30 novembre.

Eidem legato super negotio vicedomini canonici Laudunensis, ad instantiam nuntiorum regis Francorum, iterato scribit. (Fol. 111 ; an I, Curiales, nº 170)

« *Eidem.* Super negotio vicedomini canonici Laudunensis alias tibi scripsisse recolimus quod credebamus ipsi negotio expedire, volentes quod quicquid inde factum esset et si quid videres amplius faciendum nobis celeriter intimares. Nuper autem ad instantiam venerabilis fratris nostri G. Ambianensis episcopi et dilecti filii Guillelmi decani Abrincensis et nobilis viri Radulphi de Stratis marescalci regii, nuntiorum carissimi in Christo filii nostri Ph. regis Francorum illustris, iterato tibi sententiam nostram dirigimus et scire te volumus quod si que tibi super eodem negotio scripsimus feceris placet nobis. Alioquin quod inde perceperis nobis scribere non omittas ita quod possis exinde merito commendari. Dat. ut supra. »

FIN DES LETTRES CURIALES DE LA PREMIÈRE ANNÉE.

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM SECUNDI ANNI

DOMINI NICOLAI PAPE TERTII

---

396 Saint-Pierre, 9 janvier 1279.

De castris et villis monasterii Farfensis, que communitates et nonnulli nobiles injuste detinent, rectori Marchie Anconitane mandat quatinus propositis ex parte communitatum non obstantibus in negotio ipso contra prefatos et quoscunque alios bonorum ad dictum monasterium spectantium illicitos detentores procedat juxta priorum continentiam litterarum. (Fol. 114; an II, nº 1.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio .. abbati Montis Majoris Marchie Anconitane rectori, salutem et apostolicam benedictionem.* Exposuerunt nobis dilecti filii .. abbas et conventus monasterii Farfensis quod dudum eis nobis intimantibus quod Firmane et Esculane civitatum communitates, nonnulli quoque nobiles Firmane et Esculane diocesis, eos et monasterium ipsum propter Deum afficere diversis contumeliis non paventes, Montiscretacii, de Monterono, de Monte Pranduni, de Monte Novo, Rotelle Furce, Sancte Victorie, Montis Falconis, Montis Sancte Marie in Lapide, Montiselperi, Ofide, Cosinnani, Montisalti, Capradorsi, Porcle, Rovencini, Genestre, Podii de Canosa, Septem Carpini, ac nonnulla alia castra, villas etiam, terras, possessiones, molendina, redditus, jura, jurisdictiones et quedam alia bona ad monasterium predictum spectantia per violentiam occuparant et ea detinebant contra justitiam occupata, ex quo accidebat quod nonnulli homines castrorum et villarum predictorum vassalli ejusdem monasterii se ab ipsius dominio subtrahentes tam se quam possessiones et alia bona que tenebant a monasterio memorato aliorum dominio de facto temere submiserunt, alii quoque nobiles et milites ac laici diocesum earundem de juribus, in quibus ratione rerum quas a monasterio ipso tenent abbati et conventui tenentur, eisdem respondere ac debita et consueta servitia exhibere ipsis indebite contradicunt. Nos tibi sub certa forma nostris dedimus litteris in mandatis ut vocatis qui forent evocandi, super hiis de plano et sine strepitu et figura judicii studeres inquirere veritatem et si tandem tibi de premissis constaret communitates et nobiles premissos, quod infra certum temporis spatium eis ad hoc juxta tue providentie studium prefigendum, castra, villas, terras, possessiones, molendina et alia premissa restituant taliter occupata. Reliquos vero quod ad dominium dicti monasterii redeuntes consueta servitia exhiberent et de juribus monasterio predicto debitis responderent eisdem abbati et conventui ut tenentur diligenter ex parte nostra moneres. Quod si forte ipsi hujusmodi monitioni parere contempnerent, tu eos extunc ad id per censuram ecclesiasticam appellatione relicta ratione previa coartares, quodque etiam tibi per alias nostras litteras sub certa forma injunximus ut super eo quod rectores Marchie qui fuerunt pro tempore nomine ipsius ecclesie in quibusdam ipsius monasterii castris nonnulla ut proponebatur ordinarant et etiam disposuerant in non modicum ejusdem monasterii prejudicium et gravamen de plano similiter et sine strepitu judicii inquireres diligenter. Porro te in negotio inquisitionis hujusmodi procedente, pro parte dictorum abbatis et conventus fuerunt tibi super hoc quidam articuli presentati. Verum quia in articulorum ipsorum serie

habeatur, quod officiales quondam Frederici olim imperatoris castra, villas et alia bona premissa occuparant et hujusmodi bona postmodum ad ecclesiam, communitates et nobiles supra dictos pervenerant, propter quod petebant ecclesiam, communitates et nobiles premissos ad illorum restitutionem compelli, fuit coram te propositum ex parte communitatum et nobilium eorundem necnon defensoris ecclesie memorate quod cum dicti abbas et conventus nobis ut premictitur suggessissent quod communitates et nobiles et rectores predicti castra, villas, jurisdictiones et alia premissa per violentiam occuparant et detinebant etiam occupata, juxta predictam seriem utpote hujusmodi suggestioni contrariam in hujusmodi inquisitionis negotio procedere et eos ad ipsorum bonorum restitutionem compellere non poteras nec debebas, sicque tu negotio hujusmodi supersedens, super hoc sedem apostolicam consulere studuisti. Nos itaque ne super hiis veritas quibuscunque subtilitatibus et ut nonnullis videtur forsitan supervacuis opprimatur sed exacte inquisitionis studio in plenitudinem lucis consurgat, mandamus ut propositis ex parte communitatum, rectorum et defensoris predictorum non obstantibus in negotio ipso tam super hiis que predictam ecclesiam contingunt, quam contra prefatos communitates et nobiles et quoscunque alios bonorum ad dictum monasterium spectantium illicitos detentores procedas juxta priorum continentiam litterarum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus januarii pontificatus nostri, anno secundo. »

397 Saint-Pierre, 2 janvier 1279.

Juxta petitionem prioris et capituli ecclesie Eugubine, ratificat et confirmat omnia que statuit Philippus episcopus Firmanus circa correctionem et reformationem ecclesie Eugubine ac aliarum ecclesiarum ad eandem spectantium, prout in instrumento publico dicti episcopi sigillo signato continetur, cujus tenorem de verbo ad verbum hic inseri fecit. (Fol. 114 v°; an II, n° 2; Potthast 21505.)

« *Dilectis filiis Ubaldo priori et capitulo ecclesie Eugubine ordinis Sancti Augustini.* Petitio vestra nobis exhibita continebat quod venerabilis frater noster Philippus Firmanus episcopus, cui tam auctoritate apostolica quam ex potestate per vos, filii capitulum, translato, nos super reformatione vestra et ecclesie Eugubine ac aliarum ecclesiarum ad vos et eandem ecclesiam Eugubinam pleno jure spectantium oraculo vive vocis mandavimus ut te, fili Ubalde, tunc canonicum ipsius ecclesie Eugubine preficeret in priorem; necnon et prepositum et septem canonicos, quibus dicta ecclesia Eugubina destituta fuerat, cum consilio venerabilis fratris nostri B. episcopi Eugubini, et dilectorum filiorum Octaviani et Pauli canonicorum ipsius ecclesie Eugubine in eadem institueret, aliaque faceret, statueret et ordinaret, que circa correctionem et reformationem vestram, predictum capitulum ac ejusdem ecclesie Eugubine, que ob defectum prioris, prepositi et canonicorum, et longa dissidia et causarum certamina, que inter personas ipsius ecclesie Eugubine non absque gravi dispendio ejusdem ac aliarum ecclesiarum predictarum, et plurimorum scandalo, diutius duraverant, non modicum fuerat deformata, conspiceret salubriter expedire; volens humiliter nostris in hac parte parere mandatis te, fili Ubalde, in priorem, et cum consilio episcopi et canonicorum predictorum Lambertum de Sancto Frigidiano, tunc canonicum ecclesie Sancte Marie Nove de Urbe in prepositum, Acerbum vero presbyterum, Dacolum Maurini de Eugubio, Petrucium Boni-Johannis de Fabro, Berardinum Benevenuti de Agnano, Fratonum Ubaldi, Albertum Bonejuncte Supolini de Villa Montis Juliani, et Andream de Urbeveteri in canonicos et in fratres instituit canonice in dicta ecclesia Eugubina; plura quoque alia fecit, statuit et ordinavit circa hujusmodi correctionem et reformationem, que vobis et eidem Ecclesie salubriter expedire prospexit; prout in instrumento publico inde confecto dicti episcopi sigillo signato plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hiis a predicto episcopo factum est, ratum et gratum habentes illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem ejusdem instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, qui talis est.

« Philippus miseratione divina Firmanus episcopus, » religiosis viris et in Christo dilectis capitulo et canonicis ecclesie Eugubine salutem et sinceram in Domino » caritatem. Sanctissimus Pater dominus Nicolaus Sancte » Romane ecclesie Summus Pontifex tam auctoritate » apostolica, quam ex potestate per vos in eum translata » super reformatione capituli et ecclesie vestre necnon » et ecclesiarum ad vos et ecclesiam vestram pleno jure » et immediate spectantium mandavit nobis oraculo vive » vocis ut Ubaldum canonicum vestrum in priorem et » prepositum, et septem canonicos, quibus eadem ecclesia fuerat destituta, cum consilio venerabilis patris B. » Dei gratia episcopi Eugubini, et dilectorum in Christo » Octaviani et Pauli canonicorum et procuratorum » vestrorum in eadem ecclesia instituere curaremus » aliaque faceremus, statueremus et ordinaremus que » circa correctionem et reformationem capituli et ecclesie predictorum, que propter defectum prioris, pre-

» positi et canonicorum, necnon propter longa desidia » (*sic*) et causarum certamina, que inter vos non absque » gravi vestro et ecclesiarum vestrarum detrimento » multorum scandalo diutius viguerunt, multum fuerant » deformata, conspiceremus salubriter expedire. Volen- » tes igitur mandatis sanctissimi Patris predicti reve- » renter et humiliter obedire, predictum Ubaldum in » priorem, et cum venerabili patre B. episcopo et pro- » curatoribus suprascriptis tractatu habito diligenti, cum » ipsorum consilio fratrem Lambertum de Sancto Fri- » gidiano, canonicum Sancte Marie Novo de Urbe in » prepositum, Acerbum presbyterum, Datilum Maurini » de Eugubio, Petrucium Boni-Joannis de Fabro, Be- » rardinum Benevenuti de Agnano, Fratonum Ubaldi, » Albertum Bonejuncte Suppolini de Villa Montis Lu- » glani et Andream de Urbeveteri in canonicos et fratres » instituimus et ordinamus in ecclesia supradicta, ip- » sosque etiam de predictis prioratu, prepositura et ca- » nonicatibus investimus : decernentes irritum et inane » quidquid contra ordinationem, institutionem et inves- » tituram hujusmodi a quoquam contigerit attemptari. » Quia vero per confessionem et assertionem dictorum » procuratorum nobis quasi pro certo innotuit, quod de- » cem vel novem ex vobis retroactis temporibus eccle- » sie vestre claustro et capitulo de relictis, in decem vel » novem ecclesiis, seu beneficiis eidem ecclesie vestre » immediate subjectis singuli videlicet sine socio sui or- » dinis in singulis ecclesiis seu beneficiis morabantur, » ex quo eisdem canonicis dissolutionis occasio presta- » batur, oriebatur scandalum, subtrahebatur ecclesie de- » bitus numerus servitiorum, et ecclesia ipsa frequenter » defectum non modicum in divinis officiis et aliis sus- » tinebat; statuimus et ordinamus, quod hujusmodi ca- » nonicis ad claustrum ejusdem ecclesie revocatis, nulli » ex canonicis dicte ecclesie in ecclesiis seu locis prefatis » de cetero taliter commorentur vel ad ipsorum regimen » deputentur; sed in eisdem ecclesiis et beneficiis per » vos instituantur vicarii, quibus ex fructibus et proven- » tibus hujusmodi ecclesiarum et beneficiorum talis » portio assignetur, ex qua possint commode sustentari » et alia incumbentia eis onera supportare. Reliquos » autem ecclesiarum et beneficiorum predictorum fruc- » tus et proventus ad communes usus capituli et cano- » nicorum ecclesie vestre perpetuo deputantes, statuimus » ut fructus et proventus prefati in usus hujusmodi de » cetero convertantur. Nerum quoque Nepoliutii, qui » vacante ecclesia ipsa priore, ad quem una cum capitulo » communiter in eadem ecclesia canonicorum institutio » et archipresbiteratuum, ecclesiarum et beneficiorum » ad ipsum capitulum spectantium pleno jure et imme- » diate collatio spectare dignoscitur, a canonicis ipsius » ecclesie in canonicum asserit se fuisse receptum, et » quoslibet alios, vacante ecclesia ipsa priore, in archi- » presbiteratibus et ecclesiis seu beneficiis supradictis » institutos vel receptos, ex hujusmodi receptione, et » institutione in predictis canonicatu vel beneficiis de- » claramus jus aliquod non habere. Dominum autem Pe- » trum de Castello, olim ejusdem ecclesie canonicum » pro eo, quod propria temeritate ab ecclesia et capitulo » ipsis discessit, nec in ipsa per decem et octo annos et » amplius moram traxit, sed in archipresbiterum cujus- » dam plebis diocesis Ariminensis eligi se consensit, et » in ipsa plebe tamquam archipresbiter commoratur, » nullum jus habere decernimus in capitulo vel ecclesia » supradictis, nec esse tamquam canonicum de cetero » admittendum in ea; cum transferendo se ad aliam » ecclesiam, et in ipsa archipresbiteratum recipiendo, » canonicatu quem habuisse asseritur in ecclesia Eugu- » bina tacite renunciasse noscatur. Prefatus etiam Sum- » mus Pontifex nobis mandavit oraculo vive vocis ut » Octaviano concanico vestro cupienti disciplinis scolas- » ticis insudare auctoritate sua provideremus de reddi- » tibus et proventibus alicujus ecclesie ad capitulum et » ecclesiam vestram Eugubinam immediate spectantis, » usque ad aliquos annos, de quibus nobis conveniens » videretur, annis videlicet singulis in viginti quinque » libris Anconitane monete. Nos vero mandatis Sanctis- » simi Patris predicti reverenter obedire volentes, eidem » Octaviano dumtaxat in studio commoranti usque ad » quatuor annos, annis videlicet singulis providemus in » quantitate predicta; et providere mandamus de reddi- » tibus et proventibus ecclesie, seu plebis Sancti Joan- » nis de Eugubio ad dictum capitulum pertinentis, in » cujus rei testimonium presentes litteras jussimus nos- » tri sigilli munimine roborari.

» Actum Viterbii in hospicio, in quo prefatus dominus » episcopus Firmanus morabatur in anno Domini mille- » simo ducentesimo septuagesimo octavo, indictione » sexta, die XXIV intrante junio Pontificatus Nicolai » pape tertii anno primo. Interfuerunt ibi rogati testes » fratres Tebaldus ordinis fratrum Minorum socius » episcopi Grossetani, et Henricus Brito clericus, et fa- » miliaris dicti domini episcopi Firmani. Ego Philippus » de Flochis notarius Palatii predictis interfui, et de » mandato predicti domini episcopi prescriptas litteras » scripsi et in formam publicam redegi, ac meum sig- » num apposui et me subscripsi rogatus. »

» Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IV nonas januarii, anno secundo. »

398 Saint-Pierre, 12 janvier 1279.

De eodem negotio abbati S. Marie de Fiolo Eugubine diocesis scribit, et eidem mandat quatinus illa que Firmanus episcopus ordinavit, juxta confirmationis predicte tenorem auctoritate apostolica faciat firmiter observari. (Fol. 115 v°; an. II, n° 3.)

« *Dilecto filio .. abbati Sancte Marie de Fiolo Eugubine diocesis.* Petitio dilectorum filiorum Ubaldi prioris et capituli ecclesie Eugubine nobis exhibita continebat quod —. Volens humiliter nostris in hac parte parere mandatis, prefatum Ubaldum in priorem et cum consilio episcopi et canonicorum predictorum, Lambertum de Sancto Frigidiano, tunc canonicum ecclesie sancte Marie Nove de Urbe in prepositum, Acerbum vero presbiterum, Dacolum Maurini de Eugubio, Petrucium Boni Johannis de Fabro, Berardinum Benevenuti de Agnano, Fracorum Ubaldi, Albertum Bonejuncte Suppolini de Villa montis Luglani, et Andream de Urbeveteri in canonicos et in fratres instituit canonice in dicta ecclesia Eugubina, plura quoque alia fecit, statuit et ordinavit circa hujusmodi correctionem et reformationem, que dictis capitulo et eidem ecclesie salubriter expedire prospexit, prout in instrumento publico inde confecto dicti episcopi sigillo signato plenius continetur. Cum itaque nos, quod super hiis a predicto episcopo provide factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica duxerimus confirmandum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus illud juxta hujusmodi confirmationis nostre tenorem auctoritate nostra facias per te, vel per alium, seu alios firmiter observari. Contradictores etc. — Dat. ut supra. »

399 Saint-Pierre, 5 janvier 1279.

Ecclesie Segobiensi Rodericum abbatem de Cervatis in ecclesia Burgensi in episcopum preficit. (Fol. 115 v°; an II, n° 4.)

« *Dilecto filio Roderico electo Segobiensi.* In suppreme dignitatis —. Cum itaque dudum Segobiensis ecclesia per obitum bone memorie Fernandi episcopi Segobiensis, qui apud sedem apostolicam debitum nature persolvit, pastoris fuerit regimine destituta et postmodum tanto tempore vacavisset quod ejus provisio ad dictam sedem extitit secundum statuta generalis concilii legitime devoluta, nos volentes eandem ecclesiam a dispendiis, que ipsa ecclesia ex prolixiori vacatione incurrere poterat, preservare, ac cupientes ei talem preesse pontificem, per quem posset in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernari, ad te, tunc abbatem de Cervatis in ecclesia Burgensi convertimus oculos nostre mentis, teque de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie Segobiensi prefecimus in episcopum et pastorem, spe nobis firma proposita, etc. — Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis januarii, anno secundo. »

In eundem modum carissimo in Christo filio .. regi Castelle ac Legionis illustri. Dat. ut supra.

In e. m. decano et capitulo ecclesie Segobiensis. Dat. ut supra.

In e. m. clero civitatis et diocesis Segobiensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Segobiensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Segobiensis.

400 Saint-Pierre, 11 janvier 1279.

Assignationem quarumdam terrarum, quam rex Anglie in dotalicium seu donationem uxori suo fecit, auctoritate apostolica confirmat. (Fol. 116 v°; an II, n° 5.)

« *Carissime in Christo filie Alianore regine Anglie illustri.* Consuevit interdum sedes apostolica personis generalitate sublimibus virtutibus et fama pollentibus postulata concedere, ut ex hoc Deo et eidem sedi se reddere gaudeant plus devotas. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod carissimus in Christo filius noster E. rex Anglie illustris vir tuus quasdam terras et possessiones tunc ad ipsum spectantes de unanimi assensu prelatorum et procerum regni sui tibi in dotalicium seu donationem propter nuptias prout legitime poterat assignavit sine in patentibus litteris sigillatis sigillis regis, prelatorum et procerum predictorum plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, assignationem hujusmodi sicut juste et absque alicujus prejudicio facta est, ratam et gratam habentes, illam auctoritate apostolica confirmamus et cetera usque comunimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III idus januarii anno secundo. »

401 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Rectori ducatus Spoletani mandat quatinus juxta concessionem Urbani et Clementis paparum censum de redditibus castri de Trebis, ad ecclesiam Romanam spectantibus, Forti dicto Rufo, civi Spoletano, exhiberi faciat. (Fol. 116 v°; an II, n° 6.)

« *Rectori ducatus Spoletani super confirmationem cujusdam census concessi Forti dicto Rufo civi Spoletani in cas-*

tro de Trebis Spoletane diocesis. Petitio dilecti filii Fortis dicti Rufi civis Spoletani nobis exhibita continebat quod felicis recordationis Urbanus papa predecessor noster attendens sue devotionis obsequia, que dictus civis sibi prudenter impenderat et tunc ei familiariter impendebat, omnia jura que Romana ecclesia in castro de Trebis Spoletane diocesis habere dinoscitur memorato civi commisit, et ipsi ut tam ea quam omnes redditus et proventus ipsius castri ad eandem ecclesiam pertinentes quoad viveret per se vel per procuratorem suum exigeret et perciperet ac de ipsis usque ad valorem quinquaginta librarum Senensium parvarum, quas quidem quinquaginta libras dictus predecessor eidem civi de apostolica liberalitate donavit, singulis annis toto tempore vite sue ad opus suum retineret, concessit de gratia speciali; ita tamen quod dictus civis quicquid dicta jura, redditus et proventus valerent ultra predictam quinquaginta librarum quantitatem eidem predecessori vel alii de mandato suo et successorum suorum sub religione juramenti, quod idem civis super hoc prestitisse dicitur, annuatim reddere teneretur, et postmodum pie memorie Clemens papa predecessor noster memoratum civem ad instar ejusdem predecessoris Urbani affectu prosequens benivolentie specialis, predictas quinquaginta libras Senensium parvarum de redditibus et proventibus quos in eodem castro eadem habet ecclesia percipiendos in kalendis maii tunc proximo futuris pro eo anno et extunc eodem termino annis singulis per manus rectoris ducatus Spoletani vel cujuscunque alterius, qui ad collectionem predictorum redditum fuerit deputatus, per litteras suas concessit de gratia speciali. Nos itaque volentes ut hujusmodi facta sibi ab eodem predecessore nostro Clemente in hac parte gratia eidem civi fructuosa reddatur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita quinquaginta libras Senenses parvarum de redditibus et proventibus dicti castri ad ecclesiam ipsam Romanam spectantibus juxta predictarum ejusdem predecessoris nostri Clementis litterarum tenorem memorato civi vel procuratori suo ejus nomine exhibere studeas vel facias exhiberi. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas februarii, anno secundo. »

402 Saint-Pierre, 9 janvier 1279.

Colimbriensi ecclesie Aymericum archidiaconum Palentinum preficit in episcopum. (Fol. 116 v°; an II, n° 7.)

« *Dilecto filio Aymerico electo Colimbriensi, super electione sua.* Militanti ecclesie disponente —. Sane felicis recordationis Clemens papa predecessor noster, bone memorie Egea Compostellano archiepiscopo tunc Colimbriensi episcopo ad Compostellanam ecclesiam tunc vacantem apostolica provisione translato sicque per translationem hujusmodi ecclesia Colimbriensi vacante, venerabilem fratrem nostrum Matheum episcopum Visensem ad dictam duxit Colimbriensem ecclesiam transferendum. Hujusmodi autem translationi de ipso Visensi episcopo facte quidam ex canonicis ejusdem ecclesie Colimbriensis se opponere curaverunt, obicientes aliqua contra eum, quorum occasione quanquam multis annis premissa translatio effectum efficacem sortita non fuerit, tamen in hujusmodi negotio non extitit ultra processum. Nuper vero prefatus Visensis episcopus nolens occasione sui prefatam Colimbriensem ecclesiam ulterius pastoris solatio destitui, quicquid juris sibi ex predicta translatione in prelibata Colimbriensi ecclesia competebat in manibus nostris posuit et libere resignavit. Nos itaque de ordinatione ipsius Colimbriensis ecclesie sollicite cogitantes ac talem illi cupientes preesse pontificem, de quo certam haberemus notitiam, quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimirent, nec dubia esset ejus caritas erga plebem suo regimini commendandam et in cujus fide fida recumberet securitas subditorum, in te tunc archidiaconum Palentinum direximus oculos nostre mentis, qui nobis et fratribus nostris de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium et temporalium providentia, fide dignorum testimonio commendaris. Quapropter gregi dominico speciali volentes diligentia providere, de ipsorum fratrum nostrorum consilio te dicte Colimbriensi ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, firma spe fiduciaque tenentes —. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus regimen ejusdem Colimbriensis ecclesie reverenter suscipiens et prosequens diligenter te sic in animarum tibi commissarum cura sollicitum et in ejusdem ecclesie utilitatibus spiritualiter et temporaliter ampliandis reddas attentum, quod in die discussionis extreme rationem de talento tibi tradito redditurus, illud duplicatum afferas committenti, sicque tua fama erga remotos et proximos clareat per effectum quod in delectationem nobis veniat te oportuno tempore prosequi generose ac tuis condignis desideriis favorem benivolum impertiri. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus januarii, anno secundo. »

In eundem modum decano et capitulo ecclesie Colimbriensis. Militanti ecclesie etc. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eidem electo —. Dat. ut supra.

In e. m. clero civitatis et diocesis Colimbriensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Colimbriensis etc. usque mandamus quatinus eundem electum tanquam patrem —. Dat. ut supra.

In e. m. universis vassallis ecclesie Colimbriensis etc. usque mandans quatinus predictum electum honorificentia debita prosequentes —. Dat. ut supra.

403 Saint-Pierre, 13 janvier 1279.

Guillielmo archiepiscopo Rothomagensi concedit facultatem de archidiaconatu de Augo alicui persone idonee libere providendi. (Fol. 117 v°; an II, n° 8.)

« *Guillielmo archiepiscopo Rothomagensi.* Licet archidiaconatus de Augo in ecclesia Rothomagensi, quem promotionis tue tempore obtinebas per promotionem hujusmodi apud sedem apostolicam vacare noscatur ad presens, sicque nullus preter nos archidiaconatum conferre possit eundem, costitutione felicis recordationis Clementis pape predecessoris nostri super personatibus, dignitatibus et beneficiis, apud sedem ipsam vacantibus per Romanum duntaxat pontificem conferendis edita obsistente, cum archidiaconatum ipsum infra temporis statutum per moderationem pie memorie G. pape decimi predecessoris nostri super hoc adhibitam in concilio Lugdunensi donationi apostolice duxerimus reservandum, nos tamen tibi, ad cujus collationem alias archidiaconatus ipse pertinere dicitur, in hac parte deferre volentes, ac sperantes quod de ipso per te salubriter et provide disponatur, fraternitati tue providendi alicui persone idonee, scientia, vita, moribus et etate de archidiaconatu predicto, constitutione ac reservatione hujusmodi non obstante, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem, proviso quod eadem persona prout ipsius archidiaconatus cura requirit ad ordines se faciat statutis temporibus promoveri, et personalitor resideat in eodem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus januarii, anno secundo. »

404 Saint-Pierre, 13 janvier 1279.

Eidem plenam et liberam concedit facultatem ut de suis bonis, que ad se omnimodo pertinent, testari ac disponere possit. (Fol. 117 v°; an II, n° 9.)

« *Eidem. Quod possit condere testamentum.* Quia presentis vite conditio statum habet instabilem et ea que visibilem habent essentiam tendunt visibiliter ad non esse, tu hoc salubri meditatione premeditans, diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque non per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dum viveres dispensationi seu administrationi commissis, et que non fuerint altaris ministerio seu alicui speciali divino cultui vel usui deputata, pro decentibus et honestis expensis tui funeris, ac pro remuneratione illorum qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei sive alii juxta servitii meritum, testari ac disponere possis et alias prius tue ecclesie ere alieno deducto, ut ipsa ecclesia non remaneat debitis obligata de ipsis in pios usus ac licitos convertendi, tibi auctoritate presentium plenam et liberam concedimus facultatem. Volumus autem quod in eorundem ecclesiasticorum dispositione bonorum, juxta quantitatem residui erga ecclesias a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas prout conscientia tibi dictaverit et saluti anime tue videris expedire. Dat. ut supra. »

405 Saint-Pierre, 13 janvier 1279.

Eidem liberam concedit facultatem, ut auctoritate apostolica recipi faciat in Rothomagensi, Abrincensi et Lexoviensi ecclesiis singulas personas ydoneas scientia, vita, moribus et etate, beneficium aliquid ecclesiasticum non habentes, quibus aliquod canonicum non obsistat, in canonicos et in fratres; atque ut cuilibet earum provideat de prebenda, nulli alii de jure debita, presentibus post unum annum minime valituris. (Fol. 117 v°; an II, n° 10.)

« *Eidem.* Ut affectum quo —. Dat. ut supra. »

406 Saint-Pierre, 13 janvier 1279.

Eidem mandat quatinus quedam beneficia, que resignare proposuit Guido decanus Rothomagensis, singulis personis ydoneis conferat et assignet. (Fol. 118; an II, n° 11.)

« *Eidem.* Cum sicut accepimus dilectus filius Guido decanus Rothomagensis sue cupiens providere saluti nonnulla de beneficiis suis ecclesiasticis que obtinet resignare proponat, nos cupientes quod de beneficiis hujusmodi provide disponatur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus ab eodem decano libera eorundem beneficiorum que resignare voluerit resignatione recepta, quodlibet eorum dummodo nulli alii debeantur de jure, et renuntiatio hujusmodi tali tempore fiat, quod propter infirmitatem qua forsitan laboraret non esset verisimiliter de ipsius vicina morte timendum,

singulis personis ydoneis scientia, vita, moribus et etate que alias beneficiate non existant, et velint ac possint in beneficiis hujusmodi personaliter residere, auctoritate nostra conferas et assignes, faciens personas easdem et earum singulas ad hujusmodi beneficia prout moris est recipi et admicti, ac eis de beneficiorum ipsorum fructibus responderi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur quodque ad id compelli seu quod interdici, suspendi, vel excomunicari non possint et quod de canonicatibus et prebendis aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam ed expressam de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia indulgentia dicte sedis generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris sit habenda mentio specialis. Volumus autem quod eedem persone et earum singule prout requiret onus beneficiorum hujusmodi ad ordines se faciant statutis temporibus promoveri. Cetèrum cum non sit verisimile quod quis beneficium, de quo vite subsidia percipit et quod non sine multis laboribus acquisivit, de facili sponte resignet, attente provideas ne super hiis aliqua pravitas intercedat. Presentibus post unum annum et cetera. Dat. ut supra. »

407 Saint-Pierre, 9 janvier 1279.

Guillielmo de Faronvilla capellano suo auctoritate apostolica confirmat concessionem, quam ipsi fecit Aurelianensis episcopus de capellania perpetua in ecclesia beati Petri de Faronvilla instituenda. (Fol. 118; an II, nº 12.)

« *Guillielmo de Faronvilla capellano nostro preposito ecclesie Sancti Amati Duacensis Atrebatensis diocesis.* Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Lecta siquidem nobis tua petitio continebat quod venerabilis frater noster R. Aurelianensis episcopus tibi tunc decano ecclesie Sancti Petri Virorum Aurelianensis diligenti deliberatione prehabita ordinaria auctoritate concessit, ut in ecclesia beati Petri de Faronvilla Aurelianensis diocesis, unde duxisti originem, ad honorem beate Marie Virginis et beati Petri principis apostolorum ac in tuorum peccatorum remedium et tue ac parentum tuorum animarum salutem instituere et ordinare valeas novam et perpetuam capellaniam, cujus presentatio capellani successive ibidem substituendi ad te quandiu vixeris et postmodum tuos heredes perpetuo pertinebit, capellanus autem qui fuerit in illa pro tempore institutus tenebitur in capellania ipsa divinum officium certasque missas ter in ebdomada per se vel alium celebrare. Capellani quoque ipsius capellanie qui fuerint pro tempore tibi et tuis hordinibus super omnibus et singulis supradictis juramentum prestare tenebuntur, cum fuerint requisiti; qui tamen non poterunt in dicta ecclesia pueros baptizare et alia parrochialia jura exercere sive recipere aut aliqua alia facere in prejudicium ipsius ecclesie sine mandato et requisitione presbiteri seu rectoris ecclesie prelibate, super quo archidiacono loci et presbitero seu rectori qui fuerit ibidem pro tempore tenebuntur facere juramentum, et missas hujusmodi ante vel post horam misse parrochialis celebrare debebunt, ita quod sacerdotem parrochialem in illa non impediant vel perturbent, sicque ipsi deservientes ibidem duodecim libras Parisienses a te tuisque successoribus perpetuo percipient in grangia tua de Faronvilla certo termino annuatim, donec de hujusmodi duodecim libris sibi alibi sit provisum, archidiacono et rectore predictis ad hec omnia suum prebentibus expresse consensum, prout in patentibus litteris indo confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, hujusmodi concessionem sicut per eundem episcopum provide facta est et in alterius prejudicium non redundat, ratam et gratam habentes, et firmam eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus januarii, anno secundo. »

408 Saint-Pierre, 13 janvier 1279.

Matheum episcopum Visensem, jam ad Colimbriensem ecclesiam translatum, cum hec translatio nullum effectum habere potuerit, ad Visensem ecclesiam restituit. (Fol. 118 vº; an II, nº 13.) (Cf. nº **402**.)

« *Venerabili fratri M. Visensi episcopo. Super provisione sua.* Ex incumbenti nobis —. Cum igitur felicis recordationis C. papa predecessor noster te Visensem episcopum dudum ad Colimbriensem ecclesiam transtulisset, quibusdam canonicis ejusdem Colimbriensis ecclesie se opponentibus translationi hujusmodi contra te objiciendo aliqua, temporum demum occasione quanquam non fuerit ultra processum, Visensis et eadem Colimbriensis ecclesie decem annis et amplius sic impedite fuerunt, quod te apud sedem apostolicam continue remanente utraque ecclesia pastoris solatio extitit interim destituta,

cum neutra tibi ut pastori proprio vel alii obediret; presertim cum nulle super translatione hujusmodi seu statu ecclesiarum ipsarum sub spe provisionis alicujus in eodem negotio faciende apostolice littere emanarint. Sic itaque dictis ecclesiis ac te ipso usque ad moderna tempora periculose languentibus, hujusmodi periculosa dispendia ut in nostra proposuisti presentia non metu probationum sed devote considerans, omne jus quod tibi ex translatione hujusmodi competebat libere in nostris manibus resignasti. Nos igitur resignationem hujusmodi admictentes, ac considerantes quod hujusmodi translatio de te ad predictam ecclesiam Colimbriensem facta effectum sortita non extitit, et quod etiam forma translationis hujusmodi non apparet utpote, quia super hoc confecte littere apostolice non fuerunt, quodque de vita et conversatione tua de mandato pie memorie Gregorii pape predecessoris nostri a nonnullis fidedignis prout a fratribus nostris accepimus perquisito, ad eundem predecessorem de te bonus odor advenit, propter quod idem predecessor noster Gregorius tibi obtulit quod te restitueret ad predictam Visensem ecclesiam, si de tua procederet voluntate, quanquam restitutio hujusmodi ad perfectionis terminum non venisset, te super hoc suspendente ac differente responsum, et quod Visensem capitulum suppliciter apud apostolicam sedem institerat, ut si dicta translatio ad Colimbriensem ecclesiam efficacem effectum minime sortiretur, saltem te restitueret ad Visensem, te alias multipliciter commendando, te ad supradictam Visensem ecclesiam de consilio nostrorum fratrum reducimus ipsamque tibi ac te restituimus ad eandem, et ad omnis dubitationis materiam submovendam te supradicte Visensi ecclesie preficimus in episcopum et pastorem, tibi administrationem ejusdem Visensis ecclesie in spiritualibus et temporalibus plenarie commictentes de apostolice plenitudine potestatis, firma spe fiduciaque —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus januarii, anno secundo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Visensis. Dat. ut supra.
In e. m. clero civitatis et diocesis Visensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Visensis. Dat. ut supra.

409 Saint-Pierre, 9 janvier 1279.

Nicolaum, tunc priorem de Specu Sublacensis, monasterio Sancti Petri de Villamagna, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, preficit in abbatem. (Fol. 119; an II, nº 14.)

« *Nicolao abbati monasterii Sancti Petri de Villamagna ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Anagnine diocesis.* Militanti ecclesie disponente —. Sane dudum monasterio Sancti Petri de Villamagna ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis Sancti Benedicti Anagnine diocesis abbatis regimine destituto, monasterium ipsum diutius vacationis tedia pertulit et dispendiosis anfractibus fluctuavit. Nos itaque de utili et salubri ordinatione ipsius monasterii, quod tanto tempore jam vacavit quod ejus provisio est ad sedem apostolicam secundum generalis statuta concilii legitime devoluta, ne prolixioris dispendia vacationis incurrat, sollicite cogitantes, et attendentes laudabile testimonium quod tibi de honestate morum et conversatione vite laudabilis perhibetur, te tunc priorem de Specu Sublacensis ejusdem ordinis de fratrum nostrorum consilio eidem monasterio preficimus in abbatem, firmam spem fiduciamque tenentes quod monasterium ipsum per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis, et spiritualibus ac temporalibus proficiet incrementis. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus beneplacitis apostolicis acquiescens ac impositum tibi onus hujusmodi suscipiens reverenter in ejusdem monasterii ampliandis honoribus et profectibus procurandis sic te reddas sine intermissione sollicitum ut exinde apud remotos et proximos tua fama clareat per effectum, et in delectationem nobis veniat te oportuno tempore generose prosequi ac tuis desideriis favorem benivolum impertiri. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus januarii, anno secundo. »

In e. m. conventui ejusdem monasterii etc. Dat. ut supra.
In e. m. universis vassallis ejusdem monasterii. Dat. ut supra.

410 Saint-Pierre, 18 janvier 1279.

Guillelmo episcopo Laudunensi facultatem concedit in quibusdam ecclesiis Laudunensis diocesis duas personas ydoneas in canonicos faciendi recipi et providendi eis de prebendis. (Fol. 119 vº; an II, nº 15.)

« *Venerabili fratri Guillelmo episcopo Laudunensi.* Ut favorem quo sedes apostolica te prosequitur etiam alii qui tibi studio devotionis adherent sibi sentiant fructuosum, fraternitati tue faciendi recipi in Rosetensi Laudunensis diocesis et in Sancti Johannis in Burgo Laudunensis ecclesiis duas personas ydoneas scientia, vita, moribus et etate, beneficium ecclesiasticum aliquod non habentes, quibus canonicum aliquod non obsistat, unam videlicet in qualibet ecclesiarum earundem in canonicos et in fratres et providendi singulis personarum earundem

de singulis prebendis, nulli alii de jure debitis in ecclesiis supradictis si vacant ibidem ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas, et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus de certo —. Presentibus post unum annum minime valituris. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, xv kalendas februarii, anno secundo. »

411 Saint-Pierre, 18 janvier 1279.

Eidem concedit facultatem auctoritate apostolica faciendi recipi unam personam ydoneam, scientia, vita, moribus et etate, nullum ecclesiasticum beneficium obtinentem, cui canonicum aliquod non obsistat, in ecclesia Laudunensi, in qua prebendarum collatio ad eundem episcopum pertinere dicitur, in canonicum et in fratrem, et providendi ei de prebenda, nulli alii de jure debita, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens. (Fol. 119 v°; an II, n° 16.)

« *Eidem.* Tuam volentes honorare —. Dat. ut supra. »

412 Saint-Pierre, 18 janvier 1279.

Cum magister Petrus de Castra, canonicus ecclesie Autisiodorensis, canonicatum et prebendam, quos in eadem ecclesia obtinet, resignare proponat, eidem episcopo mandat quatinus ab ipso libera resignatione recepta, canonicatum et prebendam, dummodo nulli alii de jure debeantur, alicui persone ydonee, scientia, vita, moribus et etate, cui canonicum aliquod non obsistat, et que beneficium aliud non obtineat, auctoritate apostolica providere procuret, faciens eam ad eandem prebendam et in canonicum recipi. (Fol. 119 v°; an II, n° 17.)

« *Eidem.* Cum dilectus filius —. Dat. ut supra. »

413 Saint-Pierre, 13 janvier 1279.

Archiepiscopo Turonensi mandat quatinus magistro Philippo de Plesseiaco Mathei de aliquo ecclesiastico beneficio, juxta continentiam litterarum Joannis pape vigesimi primi providere curet. (Fol. 119 v°; an II, n° 18.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Turonensi.* Sicut dilectus filius magister Philippus de Plesseiaco Mathei rector ecclesie beate Marie de Brolio Andegavensis diocesis nobis exposuit, felicis recordationis Johannes pape vigesimus primus predecessor noster volens eidem magistro suorum exigentia meritorum gratiam facere specialem, tibi sub certa forma suis dedit litteris in mandatis ut ei de aliquo ecclesiastico beneficio prebendali vel alio sine cura secundum sue probitatis merita competenti nulli alii de jure debito, si quod in aliqua ecclesiarum cathedrali vel collegiata civitatis, diocesis et provincie Turonensis tunc vacabat vel quam primum ad id se facultas offeret, per te vel per alium auctoritate apostolica providere curares. Inducens eum in corporalem possessionem ejusdem beneficii et defendens inductum, ac faciens ipsum in ecclesia in qua ei duceres providendum in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo cum plenitudine juris canonici assignatis. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus contrariis ipsius ecclesie in qua ei provideri contingeret consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione sedis apostolice vel quacunque alia firmitate vallatis et quibuslibet aliis indulgentiis et privilegiis sedis ejusdem, quorumcunque tenorum existerent, per que posset effectus hujusmodi gratie quomodolibet impediri; et de quibus oporteret in eisdem litteris mentionem fieri specialem, seu quod dictus magister predictam ecclesiam beate Marie de Brolio dinosceretur obtinere. Voluit autem dictus predecessor quod prefatus magister postquam hujusmodi beneficium esset pacifice assecutus et fructus perciperet ex eodem, predictam ecclesiam Sancte Marie de Brolio retinere libere posset, vel eam si expedire videres consideratis ejusdem magistri meritis super quo dictus predecessor tuam intendebat conscientiam onerare omnino dimictere teneretur. Verum eodem predecessore ante quam tibi hujusmodi littere presentate fuissent viam universe carnis ingresso, idem magister nullum sicut asserit est ex eisdem litteris comodum assecutus. Quare nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc de benignitate sedis apostolice curaremus. Nos autem eundem magistrum in hujusmodi gratia confovere volentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, ad provisionem ipsius magistri per te vel per alium auctoritate nostra procedas juxta priorum predecessoris ejusdem directarum tibi continentiam litterarum. Volumus autem quod postquam prefatus magister beneficium hujusmodi fuerit pacifice assecutus, predictam ecclesiam de Brolio quam extunc vacare decernimus omnino dimictere teneatur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus januarii, anno secundo. »

414 Saint-Pierre, 9 janvier 1279.

Infrascriptis mandat quatinus electionem Agnetis abbatisse, in conventu monialium monasterii S. Petri Beneventani, ordinis S. Benedicti, si eam invenerint de persona idonea cano-

nice celebratum, confirmare curent. (Fol. 120; an II, nº 19; POTTHAST 21508.)

« *Dilecto filio .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Beneventanis.* Exhibita nobis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus januarii, anno secundo. »

415 Saint-Pierre, 28 janvier 1279.

Cum ecclesia Cantuariensis, per translationem R. Portuensis episcopi vacaret, et postulatio capituli de Bathoniensi et Wellensi episcopo admitti non potuerit, Joannem, fratrum Minorum ordinis professorem, eidem ecclesie preficit in episcopum. (Fol. 120; an II, nº 20; POTTHAST 21522.)

« *Dilecto filio fratri Johanni electo Cantuariensi.* Sollicitudinis apostolice studium —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v kalendas februarii, anno secundo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Cantuariensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Cantuariensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Cantuariensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Cantuariensis.
In e. m. universis suffraganeis ecclesie Cantuariensis.
In e. m. carissimo in Christo filio E. regi Anglie illustri.

416 Saint-Pierre, 17 janvier 1279.

Archidiacono Constantiensi mandat quatinus de rixa, in qua clericus quidam verberatus paulo post expiravit, veritatem diligenter inquirat; et cum Radulfus presbiter se dixerit culpabilem non fuisse, sed ad eidem rixe obviandum operam dedisse, si rem invenerit ita esse, denuntiet dictum Radulfum nullam propter hoc irregularitatis maculam incurrisse. (Fol. 121 vº; an II, nº 21.)

« *Dilecto filio .. archidiacono Constantiensi.* Accedens ad presentiam nostram Radulfus de Fago presbiter, rector ecclesie de Campomotoso Constantiensis diocesis, humili nobis relatione monstravit quod cum ipse quadam die cum quodam presbitero, duobus clericis et uno laico per campos pergeret spatiando et predictus laicus ad quandam domum, ubi quidam inimici unius ex ipsis convenerant ad bibendum et post eum omnes alii predicti eodem Radulfo dimisso in campis pariter accessissent, ipsisque ac aliis qui in domo erant predicta adinvicem rixantibus magnus tumultus exinde resultaret, uno illorum fortiter exclamante et inter alia fore mortuum se dicente, dictus Radulphus qui solus in dictis campis remanserat ad eandem domum ad tantum eorundem clamorem accessit, ipsos separare intendens ac rixe hujusmodi pro viribus obviare et licet ad id opem et operam juxta posse suum duxerit impendendas, quidam tamen illorum, scilicet quondam Stephanus de Havilla clericus Constantiensis diocesis in dicta rixa extitit adeo verberatus, non tamen ab eo seu ipso causam vel occasione prebente, quod infra paucos dies ex verberatione hujusmodi sicut creditur expiravit. Quare idem rector a nobis suppliciter postulavit ut, cum ipse in verberatione seu morte dicti Stephani culpabilis non fuerit sed ad ipsos rixantes separandos et eidem rixe obviandum opem et operam pro posse dederit ut superius est expressum, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quia vero Constantiensis ecclesia pastore dicitur vacare ad presens, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super premissis et aliis si qua forsan attendenda fuerint circa ea diligentius veritate, si rem inveneris ita esse aliudque rationabile non obsistat, denuntiet dictum R. nullam propter hoc irregularitatis maculam incurrisse sibique facias restitui bona sua, si qua occasione hujusmodi occupata sunt ab aliquibus vel detenta, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, xvi kalendas februarii, anno secundo. »

417 Saint-Pierre, 28 janvier 1279.

Cum episcopus Atrebatensis, gravi langore correptus, ecclesie regimini cedere affectet, infrascriptis mandat quatinus ad ecclesiam Atrebatensem personaliter accedentes, si eis constiterit eundem episcopum ex langore predicta ad regimen gerendum ecclesie impotentem effectum, vice apostolica recipiant ejusdem liberam cessionem. (Fol. 121 vº; an II, nº 22.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Ambianensi et dilectis filiis .. abbati monasterii montis Sancti Eligii ordinis Sancti Augustini Atrebatensis diocesis et .. decano Atrebatensi.* Inter cetera que vigilantie nostre circa ecclesias necessitas pontificalis indicit, hoc nobis precipue novimus iminere ut attendamus sollerter ne per imbecilitatem pastorum ipsarum possint in spiritualibus et temporalibus incurrere detrimentum. Ex parte siquidem venerabilis fratris nostri Petri Atrebatensis episcopi fuit propositum coram nobis quod ipse propter debilitatem proprii corporis aliaque incomoda, que tam ex senectute ipsi episcopo iminente, quam gravi langore quo se asserit laborare procedere dinoscuntur, ad pontificale officium et alias ad Atrebatensis ecclesie regimen cui laudabiliter hactenus

prefuisse dicitur exercenda impotentes et fere inutilis est effectus, propter quod dictus episcopus ne predicta ecclesia sub ejus regimine patiatur dispendium in utrisque affectat regimini cedere memorato. Quare idem episcopus per suas patentes litteras et specialem nuntium propter hoc ad nostram presentiam destinatum a nobis supplicitier postulavit ut suam cessionem recipi mandaremus. Nos igitur ejusdem episcopi justis supplicationibus annuentes vestrarumque personarum eligentes industriam ad hujusmodi ministerium exequendum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus ad dictam ecclesiam personaliter accedentes, et habentes pre oculis solum Deum, si vobis constiterit eundem episcopum effectum ex debilitate seu langore predictis ad memoratum gerendum regimen ut premittitur impotentem, et consideratis circumstantiis universis que super hoc attendende fuerint utilitati ejusdem ecclesie videris expedire, dicti episcopi recipiatis vice nostra liberam cessionem, denuntiantes postmodum decano et capitulo ecclesie memorate ut sibi de persona ydonea canonice studeant providere. Contradictores etc. usque compescendo. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v kalendas februarii, anno secundo. »

418 Saint-Pierre, 28 janvier 1279.

Eidem mandat quatinus, si ipsum contingat ab episcopo predicto cessionem recipere, tam de facultatibus et statu ecclesie quam de qualitate et debilitate persone dicti episcopi sollicite inquirat, et quod invenerit sede apostolice fideliter intimet. (Fol. 122; an II, nº 23.)

« *Eidem.* Ex parte venerabilis fratris —. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus si vos contingat juxta predictarum litterarum tenorem ab eodem episcopo cessionem recipere memoratam tam de facultatibus, statu et conditione ipsius ecclesie quoad mensam et proventus episcopales et an episcopatus ipse sit aliquibus debitis obligatus quam etiam de qualitate ac debilitate persone dicti episcopi sollicite inquiratis, et quod super hiis inveneritis nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimetis, ut ex vestra relatione instructi de futuro statu persone dicti episcopi, presertim quoad provisionem aliquam ipsi episcopo faciendam, possimus prout nobis expediens visum fuerit ordinare. Dat. ut supra. »

419 Saint-Pierre, 4 février 1279.

Joannem magistrum ordinis Predicatorum ab injuncto ipsi onere provisionis de ecclesia Jerosolimitana absolvit, sed non a cura magisterii ordinis Predicatorum. (Fol. 122; an II, nº 24.)

« *Fratri Johanni magistro ordinis Predicatorum.* Sincerus ad personam tuam affectus et pius ad Jerosolimitanam ecclesiam ac Terram Sanctam zelus et compassio nobis deliberantibus de providendo ipsi ecclesie suaserunt de te, cujus presentiam ex tuarum consideratione virtutum sperabamus revelandis illarum necessitatibus Domino favente perutilem et promovendis utilitatibus oportunam, eidem ecclesie providere, ut te per nostram provisionem ipsius regimini presidente per tuam providentiam etiam Terra eadem salubriter regeretur. Et quanto plenius tuis laboribus consuleretur utrique tanto amplius tuis accresceret meritis et mercedi. Tu vero litteris apostolicis super eadem provisione receptis, onus dicti regiminis excusationibus diversis excusans et postmodum aliis persuasiones continentibus ut eidem provisioni humiliter acquiesceres iteratis, excusationibus premissis insistens necessitatem onus subeundi predictum, cujus molem tuis ut dicebas imparem viribus verebaris, tibi remitti multiplicata devote supplicationis instantia petiisti. Cum itaque non fuerit nostri propositi te importabili onerare sarcina, tuis supplicationibus annuentes tibi hujusmodi necessitatem de fratrum nostrorum consilio presentium auctoritate remittimus, et te ab injuncto tibi per eandem provisionem onere dicti regiminis ecclesie memorate absolvimus ac fore decernimus absolutum. Ceterum quia sicut intelleximus pro eo quod in predictis et nonnullis aliis nostris litteris post provisionem eandem de te facientibus mentionem nunc quondam, nunc olim magister ordinis Predicatorum descriptus fueras, tu suspicatus te a cura dicti magisterii liberatum in humilitatis spiritu ab ipsius exercitio destitisti, scire te volumus quod nostre intentionis non extitit per verba premissa, per que nec juris necessitas id concludit, te a cura magisterii ejusdem absolvere, vel alias nisi demum consensu eidem provisioni sponte vel nobis te ad id artantibus prestito liberare. Ideoque provisione ac descriptione hujusmodi nequaquam obstantibus illud exequi debes et potes libere sicut antea poteras et debebas. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas februarii, anno secundo. »

420 Saint-Pierre, 26 janvier 1279.

Raynaldum, tunc monachum monasterii Sancti Salvatoris ordinis Sancti Benedicti Reatine diocesis, monasterio Sancti Petri de Ferentillo, ad Romanam ecclesiam nullo medio perti-

nenti ejusdem ordinis Spoletane diocesis, in abbatem prefecit. (Fol. 122 v°; an II, n° 25.)

« *Dilecto filio Raynaldo abbati monasterii Sancti Petri de Ferentillo ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Spoletane diocesis.* Debitum officii nostri —. Dudum siquidem monasterio Sancti Petri de Ferentillo ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis Sancti Benedicti Spoletane diocesis abbatis regimine destituto pro futuri substitutione abbatis diversi tractatus sunt habiti et processus, ac tandem Nicolaus de Pozalla qui se abbatem ejusdem monasterii asserebat omne jus, si quod in abbatia dicti monasterii competebat eidem, libere in nostris manibus resignavit. Nos autem hujusmodi resignatione recepta provisionem ipsius monasterii ea vice nobis duximus reservandam, decernentes irritum et inane si secus super hoc contingeret attemptari ac postmodum volentes dictum monasterium a dispendiis, que sibi ex vacatione diutina imminere poterant preservari, te tunc monachum monasterii Sancti Salvatoris ejusdem ordinis Reatine diocesis eidem monasterio Sancti Petri de fratrum nostrorum consilio prefecimus in abbatem, firmam spem fiduciamque tenentes quod cum tu de honestate vite ac morum et providentia spiritualium et temporalium fidedignorum testimonio commenderis, dictum monasterium Sancti Petri per tuam industriam Deo propitio spiritualiter et temporaliter gratis proficiet incrementis. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII kalendas februarii, anno secundo. »

In eundem modum conventui monasterii Sancti Petri de Ferentillo ad Romanam ecclesiam etc. Dat. ut supra.

In e. m. universis vassallis monasterii Sancti Petri de Ferentillo etc. Dat. ut supra.

421 Saint-Pierre, 18 janvier 1279.

Infrascripto mandat quatinus de dampnis et injuriis, que sibi intulerunt homines castri Sarnani et nobilis vir Raynaldus de Brunforte, diligenter inquirat veritatem, et faciat de illis justas satisfactiones exhiberi; de privatione quoque seu restitutione terrarum nobilis predicti idem faciat; atque nobilem et homines prefatos ex parte apostolica pro judicio citare procuret. (Fol. 122 v°; an II, n° 26.)

« *Dilecto filio Bernardo abbati monasterii Montis Majoris, Marchie Anconitane rectori.* Inter homines castri Sarnani ad Romanam ecclesiam pleno jure spectantis ex parte una et nobilem virum Raynaldum de Brunforte Camerinensis diocesis ex altera dissensionis materia suscitata, et eisdem hominibus asserentibus quod dictus nobilis ad castrum ipsum cum multitudine armatorum accedens, homines ipsos hostibus aggressibus impugnavit eis dampna gravia et injurias irrogando, dicto quoque nobili proponente quod iidem homines eidem nobili multa personarum et rerum dispendia et jacturas multiplices intulerunt ac supplicante nobis quod cum eum, quem bone memorie S. tituli Sancti Martini presbiter cardinalis tunc in illis partibus apostolice sedis legatus, pro eo quod idem nobilis quondam Manfredo dudum principi Tarentino persecutori ejusdem ecclesie manifesto contra ecclesiam ipsam adhesisse dicebatur, terra et aliis bonis que prefatus nobilis in dicta Marchia obtinebat privaverat, dilectus filius nobilis vir Fulco de Podio Riccardi tunc in Anconitana Marchia rector sue jurisdictionis auctoritate ab eadem sede sibi commissa restituerit, sicut asserit ad terram et bona alia supradicta, prout in litteris inde confectis plenius dicitur, contineri, confirmare restitutionem hujusmodi curaremus, ac dictis hominibus repugnantibus ex certis causis fieri confirmationem hujusmodi non debere, ad nos super hiis habitus est recursus. Nos autem hujusmodi presumptos excessus puniri et satisfieri partibus hinc et inde de illatis dampnis et injuriis, ac de privatione et restitutione predictis et horum circumstantiis habere certitudinem intendentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus de predictis omnibus inquirens diligentius veritatem illos quos inveneris culpabiles in premissis vel alias predictorum excessuum patratores debita correctione castiges, faciens de illatis dampnis et injuriis inter partes hinc et inde satisfactiones sicut justum extiterit et quod talia vel similia non contingant ulterius, cautiones plenarias prout expediet exhiberi. De privatione quoque, restitutione ac auctoritate seu jurisdictione dicti Fulconis et litteris predictis diligentius inquisito, nobilem et homines prefatos ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unum mensem post citationem hujusmodi compareant coram nobis, facturi et recepturi super hoc quod justitia suadebit vel quod duxerimus ordinandum. Diem vero citationis et formam, quid de privatione, restitutione, auctoritate ac jurisdictione ipsis perceperis, que et quanta fides sit eisdem litteris adhibenda, et quicquid in premissis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare, ut extunc providere super hiis salubrius dante Domino valeamus. Ceterum cum iidem homines propter potentiam dicti nobilis ad nonnulla loca partium earundem non

posse tute accedere se asserant, attente provideas quod dictis hominibus vel eorum aliquibus jura sua prosequentibus loca tuta ad que accedere libere valeant assignentur, ita quod in personis vel rebus dispendia vel injurie quomodolibet non inferantur eisdem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, xv kalendas februarii, anno secundo. »

422 Saint-Pierre, 31 décembre 1278.

Episcopo Urbevetano mandat quatinus de sceleribus, de quibus Berardus abbas monasterii Sancte Marie in Silva accusatur, diligenter et secreto veritatem inquirat. (Fol. 123; an II, nº 27.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Urbevetano.* Constitutus in presentia nostra dilectus filius Johannes monachus monasterii Sancte Marie in Silva, Camaldulensis ordinis, Urbevetane diocesis, nobis exposuit quod Berardus abbas ipsius monasterii religionis jugo deposito de claustro silentii in campum voluptuositatis effrenis exiliens dansque demum proh dolor dampnabiliter in commotionem pedes suos carnis munditiam impudicis fedat actibus, illabi non verens horribiliter in incestum, et ut hic patentius suorum excessuum iniquitatem denuntiet vir sanguinum factus non est veritus homicidiis consentire, propriis manibus sanguine humano pollutis, dictus quoque abbas symoniace pravitatis corruptus vitio ac variis irretitus criminibus, ut suis nephandis voluptatibus in sue salutis intentum vacare posset comodius, monachos omnes de monasterio prefato ejecit illisque inibi personas secularibus vacantes illecebris subrogavit, sicque dictum monasterium in spiritualibus et temporalibus adeo enormiter est collapsum quod, nisi per apostolice sedis providentiam celeriter succurratur, incurret irreparabile detrimentum. Nos itaque ad presens potius per tue sollicitudinis ministerium quam sollempnis inquisitionis officium an dicti monachi assertio in hac parte veritati deserviat certiorari plenius intendentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus de premissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis fideli et studiosa indagatione cum diligentia debita secreto partibus non vocatis perquirens, quod ex indagatione ipsa reppereris et alias perceperis de predictis nobis per tuas clausas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures, ut per te horum veritate comperta quid inde fieri magis expediat clarius dante Domino discernere valeamus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas januarii, anno secundo. »

423 Saint-Pierre, 31 décembre 1278.

De eodem negotio priori Camaldulensium scribit. (Fol. 123 vº; an II, nº 28.)

« *Dilecto filio .. priori Camaldulensium Florentine diocesis.* Constitutus in presentia nostra dilectus filius Johannes monachus monasterii Sancte Marie in Silva tui ordinis Urbevetane diocesis nobis exposuit quod Berardus abbas ipsius monasterii etc. ut in proxima superiori mutatis mutandis usque in finem. »

424 Saint-Pierre, 26 février 1279.

Decano et capitulo Nivernensi mandat quatinus Giloni electo, post longam disceptationem in episcopum ecclesie Nivernensi prefecto, tanquam pastori devote obediant (Fol. 123 vº; an II, nº 29.)

« .. *decano et capitulo Nivernensi.* Sollicitudinis apostolice studium —. Dudum siquidem ecclesia Nivernensi per obitum bone memorie Roberti Nivernensis episcopi solatio destituta pastoris, et vobis in diversa dividentibus vota vestra, fuerunt inibi due electiones, una videlicet de dilecto filio Gilone electo Nivernensi, et reliqua de dilecto filio Jacobo preposito ecclesie de Luxiaco in ecclesia Eduensi in discordia celebrate. Negotio itaque hujusmodi electionum ad sedem apostolicam devoluto extitit super illo apud sedem eandem diutius disceptatum, et tandem eadem electione facta de dicto preposito ex certis causis in pronuntiatione nostra expressis rite cassata, dictam electionem predicti electi, quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio confirmavimus et dictum electum tunc archidiaconum Wastinensem in ecclesia Senonensi prefecimus ipsi Nivernensi ecclesie in episcopum et pastorem, ac administrationem predicte Nivernensis ecclesie in spiritualibus et temporalibus eidem duximus committendam, firmam spem fiduciamque tenentes —. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eidem electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum devote ac humiliter intendentes exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote ac efficaciter observando. Alioquin —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII kalendas martii, anno secundo. »

425 Saint-Pierre, 25 février 1279.

Cum in ecclesia Valvensi pro electione episcopi capituli vota in diversa divisa sint, et due postulationes facte sint, ei-

dem ecclesie Egidium de Leodio, professorem ordinis Minorum, in episcopum preficit. (Fol. 123 v°; an II, n° 30; Potthast 21530.)

« *Venerabili fratri Egidio de Leodio episcopo Valvensi.* In suppreme dignitatis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v kalendas martii, anno secundo. »

In [illegible] Valvensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Valvensis.
In e. m. populo Valvensis civitatis et diocesis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Valvensis.
In e. m. carissimo in Christo filio C. regi Sicilie illustri.

426 Saint-Pierre, 4 février 1279.

Infrascriptis mandat quatinus Guntherum thesaurarium, in archiepiscopum Magdeburgensem electum, si constiterit ipsis eundem de carceratione Henrici de Crunemberch canonici [illegible] personaliter coram pontifice compareat. (Fol. 124; an II, n° 31; Potthast 21532.)

« *Uberto dicto Blanco de Placentia nostro et Viviano archidiacono Aretino dilecti filii nostri M. Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis capellanis, ac .. guardiano fratrum Minorum Halberstadensium.* Magdeburgensis ecclesia [illegible] —. [illegible] vir Renardus de Strahal vassallus ecclesie predicte, adjunctis sibi nonnullis ejus in hac parte complicibus et fautoribus Magdeburgensis, Misnensis, Lubucensis, Brandeburgensis et Nuhumburgensis civitatum et diocesum, predictum Hen[illegible] alios ejusdem Henrici socios temere cepit et carcerali custodie mancipavit, eos equis et aliis bonis suis que secum habebant nequiter spoliando, verum quia dictus Gun[illegible] —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas februarii, anno secundo. »

427 Saint-Pierre, 4 février 1279.

De eodem negotio abbati monasterii de Corin scribit, et ei mandat quatinus de captione predicti Henrici de Crunemberch inquisita veritate, quoscunque invenerit hujusmodi sceleris patratores excommunicatos publice nuntiet. (Fol. 124 v°; an II, n° [illegible].

« *Dilecto filio .. abbati monasterii de Corin Brandeburgensis diocesis.* Magdeburgensis ecclesia etc. ut in proxima superiori, usque de causa ipsa liquere. Dilecti filii Ubertus dictus Blancus de Placentia noster et Vivianus archidiaconus Aretinus ipsius cardinalis capellani fuerunt ad partes illas etc. usque nobilis vir Renardus de Strahal Misnensis diocesis vassallus ecclesie predicte, adjunctis sibi nonnullis clericis et laicis suis in hac parte complicibus, predictum Henricum etc. utque nequiter spoliando. Cum autem ignoretur utrum Henricus et socii predicto servant, vel in hujusmodi carcere sive alias sint ab hujusmodi seculi vita subtracti, ad nos super hoc habitus est recursus, nos autem temerarium excessum hujusmodi, si premissis veritas suffragatur, non sine contemptu nostro presumptum dissimulare nolentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super hujusmodi captione et carceris mancipatione dicti Henrici et aliis premissis ex officio auctoritate nostra de plano et sine strepitu judicii veritate, si rem inveneris ita esse, dictos sacrilegos et quoscunque alios inveneris dicti Henrici captionis et carcerationis hujusmodi patratores tamdiu appellatione remota excommunicatos publice nunties, et facias ab omnibus artius evitari, donec super hiis satisfecerint competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad eandem sedem venerint absolvendi et nichilominus predictum nobilem quod eundem presbiterum et alios socios ejus predictos, si vivant, restitutis eis equis et omnibus bonis suis ipsis sic ablatis restituat et restitui faciat sine difficultate aliqua pristine libertati, monitione predicta per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas; invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Dat. ut supra. »

428 Saint-Pierre, 8 février 1279.

Ecclesie Dublinensis, in qua duplex electio facta est, provisionem sedi apostolice reservat; eidem Johannem de Derlinthona, fratrem ordinis Predicatorum, in archiepiscopum preficit. (Fol. 125; an II, n° 33; Potthast 21534.

« *Dilecto filio fratri Johanni de Derlinthona electo Dublinensi.* De variis innumerisque negotiis —. Sane quondam Fulcone archiepiscopo Dublinensi viam universe carnis ingresso, dilecti filii .. prior et conventus Sancte Trinitatis Dublinensis Fremundum dictum Lebrun, et dilecti filii .. decanus et capitulum ecclesie Sancti Patricii Dublinensis, hinc inde se requirentibus, et ad electionem vocantibus alternatim magistrum Guillelmum de Cornerio, capellanos nostros, in Dublinensem archiepiscopum elegerunt. Porro hujusmodi electionum negotio ad sedem apostolicam deducto, felicis recordationis Gregorius papa X^mus^, predecessor noster, bone memorie

Super elec

S. tituli S. Martini presbiterum cardinalem deputavit in ipso negotio partibus auditorem; coram quo procuratoribus partium constitutis, pro parte dictorum prioris et conventus dicti Fremundi, et pro parte decani et capituli predictorum ejusdem Guillelmi electiones confirmari ac infirmari mutuo suis modis seu formis cum instantia petebantur, et libellis exhibitis, lis super illis extitit contestata. Et tandem prestito a partibus juramento de veritate dicenda, factis positionibus et responsionibus subsecutis, datis etiam articulis, receptis testibus et attestationibus super eis hinc et inde ac postmodum publicatis, et in causa ipsa concluso a dicto cardinali, sicut Domino placuit, expirante, et postmodum dilecto filio nostro M. Sancte Marie in Portica diacono cardinali auditore a pie memorie Joanne papa XXI, predecessore nostro, in ipso negotio deputato, compertum extitit, quod dictus Guillelmus resignaverat omne jus, quod sibi ex electione hujusmodi competebat, et quod dictus Fremundus tempore dicte electionis de ipso taliter facte, archidiaconatum Waterfordensem, et de Cranlye, de Lavinton. et de Arclo Wintoniensis, Saresbiriensis et Dublinensis diocesum ecclesias curam animarum habentes obtinebat, super quibus parte adversa negante cum eodem Fremundo fuisse legitime dispensatum, quedam littera signata sigillo venerabilis fratris nostri .. episcopi Drumorensis producta extitit coram predicto cardinali Matheo, in qua fatebatur episcopus ipse vidisse ac inspexisse litteras felicis recordationis Innocentii pape quarti, predecessoris nostri, certi tenoris dispensationem hujusmodi continentes, videlicet quod idem Fremundus, tunc rector ejusdem ecclesie de Carle, preter ipsam ecclesiam de Carle, quam se canonice proponebat adeptum, aliud beneficium, etiam si curam haberet animarum, posset libere percipere, si sibi canonice offerretur, et una cum predicta ecclesia de Carle licite retinere, constitutione contraria non obstante. Et licet procurator substitutus a predicto procuratore predictorum decani et capituli, qui litem in causa ipsa fuerat contestatus, et jam viam universe carnis ingressus, tenorem ipsum absque deliberatione plena dixerit se credere verum esse, tamen sequenti tunc die, cum in prima auditoris copiam habere non posset, dictum hujusmodi, prout sibi licere de jure dicebat, necdum finito sed pendente negotio revocavit, nec de illa dispensatione fuit nobis alia facta fides. Cumque postmodum quedam alie littere ipsius predecessoris Innocentii, per quas eidem Fremundo concedebatur ut preter duo beneficia curam animarum habentia, que obtinebat, unum beneficium, personatum seu dignitatem similem curam habentem, si sibi canonice offerretur, recipere libere ac retinere licite posset, constitutione sacri concilii non obstante, et nichilominus alie littere pie memorie Urbani pape predecessoris nostri, in quibus continebatur quod idem Fremundus archidiaconus Waterfordensis preter archidiaconatum Waterfordensem et alia beneficia, que obtinebat, quamvis curam animarum habentia, adhuc unum vel plura beneficia, etiam si similem animarum curam haberent, et eo resignante archidiaconatum ipsum, unum alium personatum vel dignitatem, loco ejus usque ad summam septuaginta marcarum sterlingorum secundum communem extimationem valentia, dummodo sibi canonice offerrentur, recipere libere posset et cum prioribus licite retinere, constitutione generalis concilii non obstante, dicto cardinali Matheo presentate fuissent; quia super his discussione habita diligenti per easdem litteras ipsius predecessoris Innocentii clare constabat cum eodem Fremundo de archidiaconatu et tribus ecclesiis predictis recipiendis et retinendis insimul non fuisse legitime dispensatum, cum, etsi tenor litterarum ipsarum dicti predecessoris Innocentii tria beneficia in dispensando videretur innectere, quartum tamen beneficium nullatenus includebat, et sicuti in eisdem litteris dicti Urbani predecessoris narrabatur, dispensatio ipsa non concessa simpliciter sed sub certa conditione vel modo extiterat, videlicet si unum vel plura beneficia, que preter archidiaconatum Waterfordensem et alia beneficia que obtinebat, quamvis curam animarum habentia, que idem Fremundus ex serie dispensationis ipsius videbatur posse recipere et et cum obtentis licite retinere, certi valoris existerent, et ei canonice offerrentur : et constaret in judicio contra dictum Fremundum de eo, quod erat illicitum, scilicet predictorum archidiaconatus et trium ecclesiarum cum cura per eum dampnata sine dispensatione retentio, nec appareret de taxato valore hujusmodi beneficii, ad quod tantum se ipsius dispensationis certa determinatio referebat, cujus beneficii valorem determinationem dictarum litterarum predicti predecessoris Urbani pars adversa in judicio asserebat excedere ; nec a parte dicti Fremundi probaretur beneficium ipsum determinati sibi valoris existere, vel valorem ipsum infra determinationem hujusmodi comprehendi, ad cujus valoris probationem eundem Fremundum, ut ejus retentio esset licita, juris necessitas adigebat. Et insuper deficiente prima dispensatione, que proponebatur non probari legitime, sequentes due propter hoc etiam reddi viderentur invallide, cum earum vigor dependeret a prima, nos hiis et ea contingentibus diligenter inspectis, electionem ipsam de dicto Fremundo, ut predicitur, factam, ne apud nos in derogationem sacrorum canonum esse persone videretur acceptio, de fratrum nostrorum consilio justitia exigente cassantes,

cassam et irritam nuntiantes, provisionem ejusdem Dublinensis ecclesie nobis ea vice duximus reservandam, ac decrevimus irritum et inane, si secus a quoquam contingeret attemptari. Et demum paterna volentes sollicitudine precavere, ne ipsa Dublinensis ecclesia —, te fratrem ordinis Predicatorum licet absentem predicte Dublinensi ecclesie de fratrum eorundem consilio et apostolice plenitudine potestatis in archiepiscopum preficimus et pastorem, tibi administrationem ejusdem ecclesie spiritualiter et temporaliter plenarie committentes. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus februarii, anno secundo. »

In eundem modum .. priori et conventui Sancte Trinitatis, et .. decano et capitulo Sancti Patricii, ecclesiarum Dublinensium.

In e. m. populo civitatis et diocesis Dublinensis.

In e. m. suffraganeis ecclesie Dublinensis.

In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Anglie illustri. Dat. ut supra.

429 Saint-Pierre, 19 mars 1279.

Infrascriptis, per magistrum Nicolinum de Camilla capellanum suum examinatis, tabellionatus officium concedit. (Fol. 126; an II, nº 34.)

« *Super tabellionatus officio et auctoritatibus.* »

« *Dilecto filio Johanni Egidii civi Romano.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XIIII kalendas aprilis, anno secundo. »

« In eundem modum pro Petro Odonis Berarducii cive Reatino. Ne contractuum memoria etc. —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XIIII kalendas aprilis, anno secundo. »

430 Saint-Pierre, 1er février 1279.

Johanni Baconerii, per magistrum Nicolinum de Camilla capellanum suum examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 126; an II, nº 35.)

« *Super officio tabellionatus.* »

« *Johanni Baconerii clerico Lugdunensi in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis februarii, anno secundo. »

431 Saint-Pierre, 5 février 1279.

Infrascriptis per magistrum Joannem de Rocca, capellanum suum, examinatis, tabellionatus officium concedit. (Fol. 126 vº; an II, nº 36.)

« *Super officio tabellionatus.* »

« *Petro Roberti clerico Burdegalensi in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis februarii, anno secundo. »

« In eundum modum pro Ogero de Buays clerico Abrincensis diocesis in minoribus ordinibus constituto ut in proxima superiori usque in fine. »

432 Saint-Pierre, 1er février 1279.

Infrascriptis, per magistrum Nicolinum de Camilla, capellanum suum, examinatis tabellionatus officium concedit. (Fol. 126 vº; an II, nº 37.)

« *Super tabellionatus officio.* »

« *Matheo de Piscina civi Romano.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis februarii, anno secundo. »

« In eundem modum pro Guillelmo de Chipera clerico Engolismensis diocesis in minoribus ordinibus constituto ut in proxima superiori usque in fine. »

433

Infrascriptis, per magistrum Nicolinum de Camilla, capellanum suum, examinatis, tabellionatus officium concedit. (Fol. 126 vº; an II, nº 38.)

Saint-Pierre, 5 février 1279.

« *Super tabellionatus officio.* »

« *Martino de Sancta Helena clerico Burdegalensis diocesis in minoribus ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis februarii, anno secundo. »

Saint-Pierre, 15 mars 1279.

« In eundem modum pro Johanne quondam Jacobi

de Bononia cive Bononiensi. Dat. Rome apud Sanctum Petrum idibus martii, anno secundo. »

434 Saint-Pierre, 31 janvier 1279.

Archiepiscopo Nidrosiensi committit, ut clericos tam in insula, in qua civitas Cardensis consistit, quam in aliis maris ejusdem constitutis, absolvi faciat ab excommunicationis sententia, quam incurrerunt, quod decimam statutis terminis non solverunt. (Fol. 126 v°; an II, n° 39; Potthast 21525.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Nidrosiensi.* Ex transmissa nobis nuper tuarum collegimus serie litterarum, quod insula in qua civitas Cardensis consistit, propter malitiam maris Occeani, infra quod ipsa consistit, raro navigio visitantur. Unde cum nuper quidam naute ad ejusdem insule visitationem tenderent vela in altum, tu hujusmodi oportunitate captata, quemdam discretum virum colligendi decimam commisso sibi officio cum dictis nautis ad civitatem transmisisti eandem; et sub spe nostre ratificationis concessisti eidem ut clericos ab excommunicationis sententia, quam pro eo quod hujusmodi decimam statutis super hoc terminis non solverunt incurrerant, absolveret, et cum eis dispensaret super irregularitate, si quam proinde forsitan contraxerunt. Quare a nobis humiliter postulasti ut ratificare benignius dignaremur. Cum itaque hujusmodi postulationi, utpote que rationis juribus non juvatur, acquiescere favorabiliter nequeamus, ac propter hoc cupientes hujusmodi tuis desideriis annuere, et animarum periculis per consequens occurrere provisionis remedio salutaris, presentium tibi auctoritate commictimus ut absolvendi clericos tam in predicta quam aliis insulis maris ejusdem constitutos a predicta sententia juxta formam ecclesie, et dispensandi cum eis super irregularitate hujusmodi libere commictere valeas, officium hiis quos propter collectionis ministerium ad predictas insulas destinasti, vel forsitan in posterum destinabis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas februarii, anno secundo. »

435 Saint-Pierre, 31 janvier 1279.

Eidem committit ut de moneta regni Norvegie, que sibi ex decime collectione provenit, in res venales convertenda procedat, prout utilitati Terre Sancte viderit expedire. (Fol. 126 v°; an II, n° 39; Potthast 21526.)

« *Eidem.* Presentata nobis nuper tuarum litterarum series continebat quod usualis moneta regni Norwegie adeo vilis valoris existit, quod non solum extra regnum ipsum non admittitur, verum etiam nequid in argentum aliquatenus commutari, propter quod exposcit necessitas ut moneta hujusmodi que tibi ex decime collectione provenit in res venales aliquas convertatur, quibus extra regnum ipsum delatis et demum venditis, convertatur postmodum earum pretium in argentum. Verum quia ut asseris super hiis aliquid absque nostra conniventia disponere non presumis, postulasti tibi exponi super illis nostre beneplacitum voluntatis. Nos itaque diligentiam tuam multipliciter commendantes, discretioni tue presentium auctoritate commictimus ut in premissis procedas prout super hoc utilitati Terre Sancte videris expedire, rescripturus nobis fideliter per tuas litteras harum seriem continentes quicquid in hiis duxeris faciendum. Dat. ut supra. »

436 Saint-Pierre, 31 janvier 1279.

Eidem liberam concedit facultatem diversa beneficia in civitate, diocesi et provincia vacantia personis idoneis conferendi. (Fol. 127; an II, n° 39; Potthast 21527.)

« *Eidem.* Volentes tuam honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis providere beneficia ecclesiastica, que tanto tempore in tuis civitate et diocesi vacaverunt, quod eorum collatio est juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, alia quoque beneficia que in tua provincia simili modo vacant de jure et de facto hac vice personis ydoneis scientia, vita, moribus et etate, et quibus aliquod canonicum non obsistat, nec alias beneficiate existant, conferendi et faciendi personas easdem ad beneficia ipsa recipi et prout est moris admicti, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi auctoritate presentium liberam tibi concedimus facultatem. Nolumus autem quod hujusmodi nostra concessio ad exemptos vel ipsorum subditos extendatur. Proviso quod si de beneficiis curam animarum habentibus personis eisdem provideri contigerit, ille quibus duxeris providendum ad ordines, prout beneficiorum que ipsas assequi contigerit onus requiret, se faciant statutis temporibus promoveri et personaliter resideant in eisdem. Alioquin hujusmodi gratia quoad beneficia ipsa nullius penitus sit momenti. Dat. ut supra. »

437 Saint-Pierre, 31 janvier 1279.

Eidem concedit ut cum 30 personis sue provincie defectum natalium patientibus dispensare valeat, quod ad sacros ordines

promoveri possint et ecclesiastica beneficia quibusdam conditionibus obtinere. (Fol. 127; an. II, n° 39; Potthast 21528.)

« *Eidem*. Ut eo subditis tuis gratiosior habearis, quo per te sibi gratiam impendi senserint potiorem, presentium tibi auctoritate concedimus, ut cum triginta personis tue provintie defectum natalium patientibus genitis de solutis, quod ad omnes sacros ordines promoveri et ecclesiastica beneficia etiam si curam animarum habeant obtinere possint, dummodo ipsi non sint paterne incontinentie sectatores, sed bone conversationis et vite, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, aliasque eis merita suffragantur, ad hujusmodi dispensationis gratiam obtinendam dispenses, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire. Ita tamen quod hii cum quibus dispensaveris ad ordines, prout beneficiorum que ipsos assequi contigerit onus requiret, se faciant statutis temporibus promoveri, et personaliter resideant in eisdem. Alioquin hujusmodi gratia quoad beneficia ipsa nullius penitus sit momenti. Dat. ut supra. »

438 Saint-Pierre, 31 janvier 1279.

Eidem concedit ut visitationis liminum apostolorum debitum exsolvere usque ad quinquennium non teneatur. (Fol. 127; an II, n° 39; Potthast 21529.)

« *Eidem*. Meritis tue devotionis inducti ea tibi libenter concedimus per que votive consolationis comodum consequaris. Nuper siquidem nobis ex serie litterarum tuarum innotuit, quod cum ex debito prestiti juramenti incumbat tibi necessitas singulis trienniis Apostolorum Petri et Pauli liimina visitare, propter longam nimium tue regionis distantiam, hoc adimplere tibi grave admodum et onerosum existit. Quare super hoc nostre provisionis gratiam humiliter implorasti. Nos itaque tue quietis solatiis volentes super hoc favore benivolo providere, hac vice tibi presentium auctoritate concedimus, ut juramento hujusmodi non obstante, hujusmodi visitationis debitum exsolvere usque ad quinquennium minime tenearis. Dat. ut supra. »

439 Saint-Pierre, 31 janvier 1279.

Eidem mandat ut decimam per sex annos deputatam, anno sterilitatis non solutam, octavo anno clerus persolvat. (Fol. 127; an II, n° 39; Potthast 21524.)

« *Eidem*. Litterarum tuarum series nobis nuper exhibita continebat, quod secundo anno concessionis decime in Lugdunensi concilio per sex annos in Terre Sancte subsidium deputate littere a sede apostolica commissi tibi ministerii super colligenda hujusmodi decima tibi presentate fuerunt, quodque postmodum anno tunc proximo sequenti hujusmodi decimam collegisti, sed anno postea immediate annum collectionis hujusmodi subsequente adeo intemperies aeris in regione Norwegie vehementer invaluit, quod propter sterilitatis incomodum ex hoc in eadem regione secutum, inter cruciatus famis ipsius regionis languescentibus populis pene terre regionis illius sementis defectu remansere inculte. Quare clero ipsius regionis in tante indigentie articulo constituto, quod ad solutionem decime pro anno sterilitatis hujusmodi minime teneantur petivisti a nobis humiliter indulgeri. Licet autem hec in nobis suscitent debite compassionis affectum, conscientie tamen suadente consilio in dicti subsidii prejudicium tue postulationi annuere in hac parte nequimus. Verum tamen in dicti cleri consolationis solatium ordinamus ut ipsi decimam, anno sterilitatis hujusmodi non soluta, octavo anno persolvant. Dat. ut supra. »

440 Saint-Pierre, 31 janvier 1279.

Eidem scribit de illis qui in monasteriis et aliis religiosis domibus simonie vitio recepti sunt. (Fol. 127 v°; an II, n° 39; Potthast 21530.)

« *Eidem*. Tuis votis libenter annuimus que salutem respiciunt animarum. Te nuper siquidem nobis significante, accepimus quod nonnulli in monasteriis ac aliis religiosis domibus tuarum provincie ac diocesis propter simplicitatem et juris ignorantiam, nonnulli vero paupertatis obtentu mediante symonie vitio sunt recepti. Quare per sedem apostolicam super hoc eorum provideri saluti humiliter postulasti. Nos itaque tuis justis postulationibus in hac parte grato concurrentes assensu, ac de tua circumspectione gerentes in Domino fiduciam pleniorem, presentium tibi auctoritate commictimus, ut a sic receptis locorum qui sunt in ipsis monasteriis et domibus assecuti, libera resignatione recepta, ipsos postea si in aliis locis religiosis earum provincie et diocesis non possint comode collocari, dispensative de novo ac vice recipi facias ad loca ultima in monasteriis et domibus memoratis. Dat. ut supra. »

441 Saint-Pierre, 10 février 1279.

Infrascriptis mandat quatinus cum Alvaro Didaco de Norenna et nobili muliere Maria, quarto consanguinitatis gradu

conjunctis, qui matrimonium contraxerunt, dispensare curet, receptis ab eodem Alvaro ducentis marchis, quas obtulit, ac imposita eisdem penitentia salutari. (Fol. 127 v°; an II, n° 40; Potthast 21535.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Palentino et dilectis filiis .. priori Predicatorum et .. ministro Minorum fratrum ordinum provincialibus in provincia Castelle.* Lecta nobis dilecti —. Quibus omnibus provide adimpletis, de predictis ducentis marchis, centum inter quinque Predicatorum et totidem Minorum ordinum conventus magis propinquos et indigentes cuilibet videlicet conventuum eorundem decem marchas pro ipsorum et locorum suorum utilitatibus tribuatis, et reliquas centum pro pauperibus mulieribus maritandis et aliis piis subsidiis et elemosinis providis, secundum vestras sanas conscientias expendatis, ita quod possitis exinde apud Deum et homines merito commendari. Et ut de premissis in posterum notitiam habeamus, modum quem in dispensatione hujusmodi matrimonii et predictarum ducentarum marcharum exhibitione servabitis, quid, quantum, quibus et quando de pecunia ipsa dederitis singulariter et distincte sicut commode fieri poterit nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter rescribatis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII idus februarii, anno secundo. »

442 Saint-Pierre, 16 février 1279.

Infrascriptis mandat quatinus electionem Thome de Ebulo, quem, oculorum orbatum altero, monachi S. Benedicti Salernitani in abbatem suum tamen postularunt, et qui ejusdem monasterii administrationi septennio jam elapso se ingerere presumpsit, discutiant, ipsumque, si necesse visum fuerit, citare curent ut coram pontifice compareat. (Fol. 128; an II, n° 41; Potthast 21536.)

« *Dilectis filiis .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Salernitanis.* Ad audientiam nostram —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XIIII kalendas martii, anno secundo. »

443 Saint-Pierre, 9 février 1279.

Episcopo Abrincensi refert ea que presbiter quidam Constantiensis diocesis exposuit de altercatione sua cum laico, qui postea mortuus est; ei mandat quatinus de eisdem veritatem diligenter inquirat, et si rem invenerit ita esse, cum eodem presbitero super irregularitate quam contraxit auctoritate apostolica dispenset. (Fol. 128; an II, n° 42.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Abrincensi.* Exposuit nobis dilectus filius Guillelmus de Sancto Pancratio presbiter rector ecclesie de Ovin Constantiensis diocesis quod cum quondam Lucas dictus Druant laicus ejusdem diocesis bladum de ipsius rectoris grangia vellet extrahere violenter, et cuidam honeste mulieri vetule id impedienti mortem nisi desisteret minaretur, prefatus rector hoc audito illuc, ut laicum ipsum compesceret et vetulam ipsam de ejus manibus liberaret, accessit, in quem dictus laicus eo quod super hoc curialiter increpabatur, ab ipso subito hostiliter inruit, eique fugienti extra grangiam exitum currendo preclusit, se in hostio grangie extracto cultello ut eum morti traderet opponendo. Sane memoratus presbiter non valens ejusdem laici manus evadere, tum quia grangia ipsa ab uno latere straminibus ab alio vero blado nondum excusso plena erat, tum quia ei aliunde non patebat exitus, nec habebat unde se posset defendere ab eodem in tante necessitatis articulo constitutus, laicum ipsum volentem eum interficere cum quodam baculo quem ibidem invenit, a casu semel in brachio se defendendo percussit. Ita quod ex eodem ictu in capite aliquantulum lesus fuit, et licet hujusmodi lesio prout firmiter a discretis pluribus dicebatur letalis non fuerit, idem tamen laicus male sibi precavens non abstinuit a nocivis, sicque expletis diebus aliquibus debitum nature exsolvit. Quare supplicavit humiliter idem presbiter ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Cum ergo ecclesia Constantiensis pastore vacet ad presens, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super premissis diligentius veritate, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, si rem inveneris ita esse et aliud canonicum non obsistat super irregularitate, si quam dictus presbiter ex premissis forte contraxit, auctoritate nostra dispenses misericorditer cum eodem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V idus februarii, anno secundo. »

444 Saint-Pierre, 9 mars 1279.

Infrascriptis mandat ut R. decano, in Cathanensem episcopum electo, de quo quidam defectus asseruntur, et qui a tempore presentate sibi electionis, juxta constitutionem concilii Lugdunensis, non probatur infra mensem prestitisse consensum, suadeant ut omni juri libere renuntiet, si quod ei fuisset ex electione prefata forsitan acquisitum; alioquin de electione veritatem inquirant, et eidem decano terminum peremptorium assignent, quo se apostolico conspectui representet. (Fol. 128 v°; an II, n° 43; Potthast 21543.)

« *Venerabilibus fratribus .. Sancti Andree et .. Haberdonensi episcopis, ac dilecto filio .. ministro provinciali or-*

dinis fratrum Minorum in Scotia. Commissa nobis apostolatus —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII idus martii, anno secundo. »

445 Saint-Pierre, 18 mars 1279.

Conventui monasterii Calinensis Sypontine diocesis significat se Vestano et Lesinensi episcopis mandavisse, quatinus ad monasterium se conferentes, abbatis, paralitico et epilentico morbis afflicti, cessionem recipiant; eis mandat quatinus de consilio et assensu eorundem episcoporum personam ydoneam canonice in abbatem sibi assumant. (Fol. 129; an II, nº 44; POTTHAST 21550.)

« *Dilectis filiis .. conventui monasterii Calinensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Sypontine diocesis.* Dilectus filius Johannes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XV kalendas aprilis, anno secundo. »

In eundem modum venerabilibus fratribus .. Vestano et Lesinensi episcopis ac dilecto filio .. guardiano fratrum Minorum Sypontinis. Dat. ut supra.

446 Saint-Pierre, 27 mars 1279.

Electionem in monasterio de Sancto Facundo de Martino, tunc ejusdem camerario, celebratam confirmat, et ipsum eidem preficit in abbatem. (Fol. 129 vº; an II, nº 45.)

« *Martino abbati monasterii de Sancto Facundo ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Legionensis diocesis.* Militanti ecclesie disponente —. Sane vacante dudum monasterio Sancti Facundi ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis Sancti Benedicti Legionensis diocesis, dilecti filii conventus ipsius monasterii Rodericum ejusdem monasterii monachum in abbatem dicti monasterii unanimiter et concorditer elegerunt, quo se super hoc legitime excusante ac renuntiante libere omni juri, si quod sibi ex electione hujusmodi competebat, iidem conventus circa provisionem predicti monasterii sedulo cogitantes, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse certa die ad hoc prefixa insimul convenerunt, et tunc proposito inter eos inibi verbo Dei, eorum vota salutari spiritui commiserunt, liquorem sue gratie in hoc orationum suffragiis implorantes, quibuslibet aliis actibus et tractatibus a se prorsus exclusis, dum tandem imbuti circa electionem celebrandam cogitationibus simul et orationibus vacarent eisdem, dompnus Rodericus monachus et presbiter unus ex eodem conventu inibi tunc presens, nullis aliis tractatibus habitis, te ut virum religiosum circumspectum et utilem ad ipsius monasterii regimen nominavit, quo audito alii omnes tunc presentes ibidem quasi uno spiritu excitati statim nominationem hujusmodi acceptarunt et elegerunt te unanimiter et concorditer in abbatem monasterii memorati, et tu electioni hujusmodi consensisti. Presentata itaque nobis electione de te taliter facta, ipsam juxta modum, quem in hac Romana servat ecclesia examinari fecimus diligenter et licet hoc non forma sed a formis exceptio fuerit nec ex libertate spiritus quo fieri actus iste presumitur canonicis formarum generalis concilii observantiis coartetur, quia tamen eam invenimus de persona ydonea celebratam, nos votis eorundem conventus annuimus ac supplentes omnem defectum si quis in illa extitit de apostolice plenitudine potestatis electionem eandem de fratrum nostrum consilio duximus confirmandam, teque tunc camerarium predicti monasterii eidem monasterio preficimus in abbatem et tibi munus benedictionis duximus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI kalendas aprilis, anno secundo. »

In eundem modum conventui monasterii de Sancto Facundo ad Romanam ecclesiam etc.

In e. m. universis vassallis monasterii de Sancto Facundo.

In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Castelle ac Legionis. Dat. ut supra.

447 Saint-Pierre, 11 mars 1239.

Archiepiscopo Cretensi mandat quatinus decime ad Terre Sancte subsidium colligende in civitate, diocesi ac provincia Cretensibus sollicite curam gerat, ei significans quo modo in omnibus procedere debeat, et que sit forma juramenti a collectoribus prestandi. (Fol. 130 vº; an II, nº 46.)

« *Venerabili fratri L. archiepiscopo Cretensi.* Quanto extimamus negotium Terre Sancte sollempnius quantoque magis insidet cordi nostro, tanto amplius ad executionem ipsius et eorum que spectant ad ipsum personas ydoneiores exquirimus, illud specialiter in earum ydoneitate querentes, ut fidelitate ac prudentia vigeant, et zelo ferveant ad idem negotium prosequendum. Hoc de persona tua laudabile nobis testimonium a fidedignis exhibitum pollicetur. Cum itaque approbante sacro generali concilio olim congregato Lugduni felicis recordationis G. papa predecessor noster decimam omnium ecclesiasticorum redditum et proventuum ad Terre

predicte subsidium per sex annos a festo nativitatis beati Johannis Baptiste tunc transacto novissime numerandos duxerit concedendam, fraternitati tue presentium auctoritate mandamus quatinus predicte decime colligende in civitate et diocesi ac provintia Cretensibus subscripto modo sollicite curam geras, videlicet in singulis civitatibus et diocesibus dicte provintie, aut ejus vicem gerentis, si diocesanus ipse absens fuerit et duorum fide dignorum de ecclesia cathedrali constitutorum in dignitatibus, seu aliorum quoad non exemptos, quoad exemptos vero de consilio aliquorum proborum de contrata deputes duas personas fide, facultatibus, si tales inveniantur comode, ac alias ydoneas ad collectionis hujusmodi ministerium exequendum. Collectores vero, quos ut premittitur deputabis, in forma jurare facias infrascripta. Et tu nichilominus partes easdem circumeas diligentius scrutaturus qualiter in commisse sibi dicte collectionis officio iidem se habeant collectores, qualiter ipsis de decima satisfiat, collectamque per illos ex decima ipsa pecuniam de predictorum ordinarii et aliorum consilio facias per collectores eosdem in tutis locis vel loco deponi. Tibi quoque cum consilio eorundem ordinarii et aliorum mutandi collectores ipsos quotiens videris expedire, ac eos compellendi ad reddendum coram ordinariis et aliis tibi computum de collectis et contradictores quoslibet auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam compescendi plenam eadem auctoritate concedimus potestatem. Et ut tam tu quam dicti collectores fructum de vestris laboribus reportetis, premissa tibi et eis in remissionem peccatorum injungimus et nichilominus a prestatione decime pro annis illis quibus circa ea laborabitis volumus vos esse immunes. Te preterea illius indulgentie concedimus esse participem, que crucesignatis personaliter transfretantibus in Terre prefate subsidium est concessa, et quod de pecunia ex ipsa decima colligenda singulis diebus, in quibus circa premissa vacabis, unum perperum auri vel valorem ipsius percipias pro expensis, non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi ac tota ejus continentia de verbo ad verbum et de propriis locorum et personarum nominibus specialem, plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis vel litteris quibuscunque, dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter aut specialiter sub quacunque forma vel conceptione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumve totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mentio sit habenda. Volumus autem ut frequenter nobis scribere studeas quid actum fuerit in premissis partibus tam circa collectores quam circa collectionem, quantitatem ipsius collectam, depositionem, locum depositionis ac modum. Et insuper de premissis fideliter ac sollicite prosequendis, tactis sacrosanctis evangeliis juramentum, considerans itaque quod in premissis negotium Dei prosequeris et in conspectu ejus, qui cuncta discernit sibique necnon et nobis qui circa hec omnem diligentiam adhibere intendimus teneberis reddere rationem ab utroque pro meritis recepturus, sic prudenter in illis habere te studeas, sic consulte, quod in utriusque judicio non solum vites pene confusionisque discrimina, sed laudis titulos et gratiam ac retributionis premium assequaris.

» Forma autem juramenti, quod prestare volumus collectores eosdem hec est. Juro ego .. a vobis L. auctoritate apostolica deputatus collector ad exigendum, colligendum et recipiendum decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum ab omnibus personis ecclesiasticis non exemptis in civitate et diocesi constitutis a sede apostolica pro subsidio Terre Sancte concessa quod fideliter exigam, colligam, recipiam atque custodiam non deferendo in hiis alicui persone cujuscunque ordinis, status, conditionis aut dignitatis existat, prece, timore, gratia vel favore, vel alia quacunque de causa, et eam integre restituam et assignabo prout a vobis recepero in mandatis. Et super premissis omnibus et singulis plenam et fidelem rationem reddam vobis, et si contingat vos officium quod in premissis geritis dimittere, hec eadem faciam juxta mandatum illius qui substituetur in eodem officio; sic me Deus adjuvet et hec sancta evangelia. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus martii, anno secundo. »

448 Saint-Pierre, 25 mars 1279.

Archiepiscopo Cantuariensi concedit ut de bonis suis non per ecclesiam licite acquisitis, que ad se pertinere dinoscuntur, libere testari valeat. (Fol. 131; an II, n° 47; Potthast 21557.)

« *Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Cantuariensi.* Quia presentis vite —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas aprilis, anno secundo. »

449 Saint-Pierre, 11 mars 1279.

Custodi fratrum Minorum S. Francisci Assisinatis mandat quatinus quaternos rationum et scripta contingentia negocium decime Terre Sancte deputate, que dicuntur per quondam Leonardum, archidiaconum Spoletanum, tunc collectorem decime in illis partibus, in sacristia S. Francisci de Assisio consignata

esse, episcopo Eugubino, ejusdem in collectione hujusmodi decime successori, sine diminutione liberaliter assignare procuret. (Fol. 131 v°; an II, n° 48; POTTHAST 21544.)

« .. *Custodi fratrum ordinis Minorum Sancti Francisci Assisinatis.* Cum nonnulli quaterni —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus martii, anno secundo. »

450 Saint-Pierre, 18 mars 1279.

Johannem Martini, canonicum Bracharensem ecclesie Lucensi in episcopum preficit. (Fol. 131 v°, an II, n° 48.)

« *Johanni Martini electo Lucensi.* In supreme dignitatis —. Sane dudum Lucensis ecclesia per obitum bone memorie F. Lucensis episcopi solatio destituta pastoris et capitulo ipsius ecclesie in diversa dividentibus vota sua, Johannem decanum et Alfonsum cantorem ejusdem ecclesie in Lucensem episcopum in discordia elegerunt. Negotio itaque hujusmodi electionum ad apostolicam sedem deducto, extitit super illo inter partes diutius litigatum. Et tandem eodem decano pro se et Ferrando Petri clerico chori ecclesie predicte procuratore cantoris ejusdem, qui ad hoc habebat speciale mandatum vice ac nomine dicti cantoris resignantibus libere omne jus, si quod eis ex electionibus hujusmodi competebat, nos provisionem ipsius ecclesie nobis ea vice duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus a quoquam contingeret attemptari, ac postmodum volentes eandem ecclesiam a dispendiis que sibi ex vacatione diutina imminere poterant preservari, te canonicum Bracharensem eidem Lucensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio in episcopum preficimus et pastorem, administrationem predicte Lucensis ecclesie in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committendo, firmam spem fiduciamque tenentes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, xv kalendas aprilis, anno secundo. »

In eundem modum decano et capitulo Lucensibus.
In e. m. clero civitatis et diocesis Lucensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Lucensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Lucensis.
In e. m. .. regi Castelle ac Legionis illustri. Dat. ut supra.

451 Saint-Pierre, 21 mars 1279.

Henricum, prepositum ecclesie Warmiensis, cujus electionem Rigensis archiepiscopus, loci metropolitanus, de Johanne preposito Rigensi providens, confirmare renuerat, cum iidem archiepiscopus et prepositus omne jus resignarint, ecclesie Warmiensi in episcopum preficit. (Fol. 132; an II, n° 49; POTTHAST 21554.)

« *Venerabili fratri Henrico episcopo Warmiensi.* Militanti ecclesie disponente —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XII kalendas aprilis, anno secundo. »

In eundem modum capitulo ecclesie Warmiensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Warmiensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Warmiensis. Dat. ut supra.

452 Saint-Pierre, 14 mars 1279.

Magistro Johanni de Lamare subdiacono indulget ut ecclesiam de Clacton, Lincolniensis diocesis, licite retinere valeat, dummodo se faciat statuto tempore in diaconum et presbyterum promoveri. (Fol. 132 v°, an II, n° 49.)

« *Magistro Johanni de Lamare subdiacono Lincolniensis diocesis.* Exhibita nobis tua petitio continebat, quod cum tu olim post generale concilium Lugdunense ecclesiam de Clacton curam animarum habentem, et ad presentationem dilecti filii abbatis et conventus monasterii de Messelden Lincolniensis diocesis spectantem fuisses canonice assecutus, tu ad apostolicam sedem accedens omisisti te facere infra annum juxta tenorem costitutionis ipsius concilii ad ordines promoveri. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos autem quia tu nobis de honestate morum et conversatione vite laudabilis fide digno testimonio commendaris, intendentes tibi gratiam facere specialem, devotioni tue auctoritate presentium indulgemus ut constitutione ac omissione predictis nequaquam obstantibus, eandem ecclesiam, si non sit in illa jus alii legitime acquisitum, retinere licite valeas, dummodo infra festum instantis resurrectionis dominice te facias in diaconum et presbiterum statutis temporibus promoveri. Proviso quod animarum cura in eadem ecclesia nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et cetera. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II idus martii, anno secundo. »

453 Saint-Pierre, 18 mars 1279.

Infrascriptis mandat quatinus provisionem annuam ducentarum librarum imperialium ecclesiis et monasteriis civitatis et diocesis Papiensis, pro necessitatibus eorundem, per bien-

nium imponant, et quibusdam conditionibus episcopo exhiberi faciant. (Fol. 133; an II, n° 49.)

« .. *abbati Sancti Petri in celo aureo et .. preposito ecclesie Sancti Johannis in Burgo Papiensis.* Venerabilis frater noster Guido episcopus Papiensis in nostra proposuit presentia constitutus, quod redditus et proventus episcopales ecclesie Papiensis sunt adeo tenues et exiles, quod ipse nequit ex eis cum sufficienti familia sustentari, vel eam ab oppressorum insultibus preservare seu relevare a debitorum oneribus, quibus eadem ecclesia est gravata, cum ejus possessiones sint per predecessores ipsius episcopi diversis creditoribus obligate, perpaucis duntaxat exceptis, que propter dissensionem civium Papiensium et guerrarum discrimina in illis partibus ingruentium fere ad nichilum sunt redacte. Quare predictus episcopus nobis humiliter supplicavit ut sibi ad relevationem necessitatum, quas ipse ratione sustinet premissorum, aliquod impendi subsidium faceremus. Nos igitur dicto episcopo paterno in hac parte compatientes affectu sibique volentes gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus provisionem annuam ducentarum librarum imperialium per biennium dumtaxat universis ecclesiis et monasteriis tam exemptis, quam non exemptis civitatis et diocesis Papiensis, et etiam extra ipsam civitatem et diocesem consistentibus, episcopo tamen memorato subjectis, illis ex eisdem ecclesiis dumtaxat exceptis, que ob ipsarum paupertatem et guerras predictas contribuere in provisione hujusmodi non valerent, auctoritate nostra imponentes, illam per vos prius inter ecclesias et monasteria supradicta deliberatione provida sic proportionaliter distributam, quod ex impositione seu distributione hujusmodi ecclesie et monasteria supradicta portione indebita non graventur, faciatis dicto episcopo per predictum biennium pro premissis necessitatibus in uno vel pluribus terminis competentibus a vobis in quolibet hujusmodi duorum annorum juxta vestre discretionis arbitrium assignandis, per vos vel per alium seu alios exhiberi, non obstantibus si abbatibus —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, xv kalendas aprilis, anno secundo. »

454 Saint-Pierre, 12 avril 1279.

Cum conventus monasterii S. Johannis Litiensis, ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Mabilie cantrici ejusdem monasterii potestatem concesserint de futura abbatissa providendi, illaque Flamengam, monialem monasterii S. Marie Brundusini, ejusdem ordinis, in abbatissam postulaverit, infrascriptis mandat quatinus, inquisita de omnibus circumstantiis veritate, eandem Flamengam in abbatissam preficere procurent. (Fol. 133 v°; an II, n° 50; Potthast 21560.)

« .. *priori Predicatorum et .. custodi Minorum fratrum ordinum Brundusinis.* Etsi religiosorum locorum —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II idus aprilis, anno secundo. »

« *Hic incipiunt littere Cluniacenses.* »

455 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Juxta petitionem abbatis et conventus Cluniacensis, ad instar predecessorum suorum inhibet excommunicationis et interdicti sententias et alia gravamina contra Sedis Apostolice indulta in prejudicium ipsorum fieri. (Fol. 134; an II, n° 50.)

« *Dilectis filiis .. abbati et conventui Cluniacensibus.* Religionis vestre, in qua de die in diem laudabiliter Domino cooperante proficitis, meretur honestas ut vestris petitionibus a sede apostolica favorabiliter annuatur, et illis precipue que sic pulsant cum moderamine animum preminentis, quod intra exauditionis januam merentur admicti. Vestra sane petitio nobis exhibita continebat, quod cum monasterium vestrum quod ejusdem sedis specialiter juris existit a primo sue fundationis exordio usque ad moderna tempora multis et diversis Romanorum pontificum privilegiis et indulgentiis sit munitum et donatum libertatibus ab eisdem, nonnulli archiepiscopi et episcopi et officiales eorum aliique ecclesiarum prelati, non attendentes quod nobis principaliter injuriari probantur qui privilegia sedis apostolice vel irreverenter impugnant vel superficialiter eorum verba tenentes contra ipsorum gestiunt intellectum, et privilegiatos privilegiorum comodis privare conantur, contra eadem privilegia et indulgentias ad synodos et conventus forenses vos ire compellunt, ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, aliquos conventus publicos convocandi, et missas celebrandi interdum accedunt, ab abbate vel priore vestri monasterii nullatenus invitati, a fratribus etiam Cluniacensis ordinis obedientiam et reverentiam exigere vel extorquere ac in ipsos ubilibet commorantes jurisdictionem exercere, interdicti et excommunicationis sententias proferre, in prioratibus et cellis ejusdem ordinis qui nunc sine abbate Cluniacensi monasterio sunt subjecti, abbates ordinare infra parrochias locorum eidem monasterio subditorum absque Cluniacensis abbatis assensu, eccle-

sias et capellas construere, cimiteria benedicere, de vestris monachis et monasteriis judicare, ad judicia sua eos invitos protrahere ac pro controversiis vestris in parrochianos homines et servientes vestros animadvertere presumentes, quamquam archiepiscopi et episcopi in quorum diocesibus facultates vestre consistunt, si contra eadem monasteria vel monachos ipsos aliquid questionis habuerint, se, illi abbas, tuos que successores ex indulto sedis apostolice debeant appellare; ac si lis per nos diffiniri nequiverit, ad eandem sedem referri ejus solius judicio terminanda. Cum autem sit a predicta sede statutum, ut omnes ecclesie, capelle ac cimiteria vestra libera et immunia ab omni exactione consistant, et fratres cellarum seu locorum vestrorum ubilibet positorum, pro interdicto ac excommunicatione quibuslibet suspensionem divinorum officiorum minime patiantur, et tam monachi predictorum locorum quam eorum famuli, et qui se monastice professioni devoverint divine servituti, officia celebrent, et debita peragant sepulture; iidem prelati vos uti libere statutis hujusmodi non permittunt, nec diocesani episcopi aut officiales eorum presentatos sibi a vobis ad parrochiales ecclesias quas habetis sacerdotes admittunt, nec celebrare in eis divina officia patiuntur eosdem, prout vobis est ex apostolice sedis benignitate concessum, si dicti episcopi vel officiales presentatos eosdem malitiose non duxerint admittendos.

Preterea cum ex indulgentia sedis ejusdem ecclesiarum vestrarum decimas que a laicis detinentur, si secundum Deum ab eorum potestate subtrahere vestre religionis reverentia poterit, ad vestram et pauperum gubernationem vobis et ordini vestro liceat retinere, ac laicos vel clericos seculares per loca vestra ad conversionem sive ad sepulturam suscipere, nisi pro certis criminibus fuerint excommunicationis sententia innodati, iidem super his vobis temere se opponunt, alium quam Cluniacensem ordinem in parrochiis ad jus vestrum spectantibus de novo creare nichilominus presumentes, licet ab eadem sede id fieri cuilibet inhibitum sit expresse. Ad hec cum vos et fratres vestri ubilibet commorantes conveniri vel ultra duas dietas a monasteriis vestris ad judicium pertrahi, seu ad cujuslibet provisionem compelli per litteras apostolicas non possitis, nec alicui liceat auctoritate ipsarum in fratres ipsos jurisdictionem aliquam exercere, nisi eedem littere plenam de ordine vestro et indulgentia vobis super hiis ab eadem sede concessa fecerint mentionem, ipsi prelati et alii a sede apostolica delegati, indulgentiam hujusmodi voluntate propria non servantes super hiis vos sepius aggravant et perturbant. Audivimus preterea quod non mediocriter movet nos, nec modicum vestre derogat libertati, quod alicui prelati ecclesiarum et officiales eorum, licet in vos et alios ordinis Cluniacensis monachos vel conversos ubilibet commorantes, pro eo quod estis apostolice sedis privilegiis et indulgentiis communiti, eis non liceat excommunicationis aut interdicti sententiam promulgare, in molentes tamen in molendinis et coquentes in furnis, in contrahentes vobiscum quibuscunque contractibus, in servientes et familias vestras, in locantes eis operas suas, in illos etiam qui missas et horas vestras audiunt, decimas, redditus et oblationes, ac alia vobis debita reddunt, seu alias vobis communicant, et excommunicationis et interdicti sententias fulminare, ac concessiones tam ab eorum predecessoribus, quam aliis Christi fidelibus liberalitate pia et provida ordini vestro factas revocare voluntate propria ne dicamus potius temeritate presumunt, bona que in eorum continentur diocesibus arrestari vel detineri tamdiu per violentiam facientes, donec super hiis eorum voluntati fuerit satisfactum, alias vobis gravamina et injurias multipliciter inferendo. Sicque fit ut exemptio concessa vobis causa solatii et quietis pariat vobis dispendium et laborem. Quare nobis humiliter supplicastis ut tantis vestris gravaminibus et jacturis providere misericorditer curaremus. Nos itaque ad instar felicis recordationis Alexandri IIII, Urbani IIII et Clementis IIII, predecessorum nostrorum Romanorum pontificum, nolentes de cetero tam abusivas enormitates, seu tam enormes abusus, non absque apostolice sedis excogitatos injuria substinere, hujusmodi excommunicationis et interdicti sententias, et alia supra dicta contra ejusdem sedis indulta in vestrum prejudicium fieri, auctoritate presentium districtius inhibemus, decernentes irritum et inane si quid contra inhibitionem hujusmodi super premissis fuerit attemptatum. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis et constitutionis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas februarii, anno secundo. »

456 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Eisdem indulget, ad instar Clementis IV, ut ipsi vel persone monasterio subjecte ad solvendum cuiquam aliquod pecuniarum subsidium per litteras apostolicas minime teneantur, nisi littere de monasterio plenam et expressam fecerint mentionem. (Fol. 134 v°; an II, n° 51.)

« .. *abbati et conventui monasterii Cluniacensis Matisconensis diocesis.* Quanto studiosius vos et alii vestri ordinis professores divine contemplationis vocatis obsequiis, tanto libentius gravaminibus occurrimus, per que

impediri vel turbari posset vestre aut professorum ipsorum pacis comodum et quietis. Hinc est quod nos devotionis vestre precibus annuentes, ad instar felicis recordationis Clementis pape IIII predecessoris nostri vobis auctoritate presentium indulgemus ut vos seu persone prioratuum, vel membrorum vestro monasterio subjectorum, ad solvendum vel exhibendum cuiquam aliquod pecuniarum subsidium minime teneamini per litteras apostolicas impetratas, per quas adhuc processum non fuerit, seu etiam impetrandas nec ad id cogi aliquatenus valeatis, nisi forsan eedem littere impetrande de indulto hujusmodi, ac toto tenore ipsius de verbo ad verbum necnon et prelibato monasterio plenam et expressam fecerint mentionem. Nos enim excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas in vos aut quemquam vestrum sive personas easdem seu earum aliquam contra ejusdem tenorem indulti ferri contigerit, decernimus penitus irritas et inanes. Presentibus post quinquennium etc. Nulli ergo nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. ut supra. »

457 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Eisdem indulget ut archiepiscopis, episcopis, decanis et aliis ecclesie prelatis in talliis et procurationibus indebitis non teneantur respondere. (Fol. 134 v°; an II, n° 52.)

« .. *abbati et conventui Cluniacensibus.* Cum a nobis petitur etc. usque effectum. Sane ad audientiam apostolatus nostri pervenit, quod archiepiscopi, episcopi, decani, archidiaconi et alii ecclesiarum prelati tam vos quam priores et presbiteros vestros talliis, exactionibus et procurationibus, quas extra domos sibi postulant exhiberi, domos etiam ipsas contra Lateranense concilium, equitaturarum et personarum numerum excedentes immisericorditer aggravare presumunt. Insuper ecclesias ad vos spectantes subiciunt interdicto, et presbiteros ipsos suspendunt, nullam rationabilem causam, sicut dicitur, protendentes, sed tantum proprie voluntatis arbitrium prosecuti. Volentes igitur vobis in hoc patrocinium apostolicum impertiri, ad instar felicis recordationis Celestini pape III predecessoris nostri, auctoritate vobis apostolica indulgemus, ut eisdem in talliis et procurationibus indebitis non teneamini decetero respondere. Sententiam vero quam in ecclesias aut presbiteros vestros, nisi pro manifesta et rationabili causa, et ordine debito ventilata duxerint promulgandam, decernimus non tenere. Nulli ergo etc. nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. ut supra. »

458 Saint-Pierre, 18 mars 1279.

Abbati Cluniacensi, ad instar Lucii III pape, concedit ut in parochiis ad jus ipsius pertinentibus nullus ordo seu religio, nisi Cluniacensis, ponatur, atque infra terminos earundem nullus cimiterium absque consensu ipsius construere presumat. (Fol. 135; an II, n° 53; Potthast 21551.)

« *Dilecto filio Ivoni abbati Cluniacensi ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.* Injuncti nobis a Deo apostolatus officium et ecclesiastice utilitatis consideratio nos hortantur et amonent illas ecclesias, quas in sancte religionis observantia ferventiores esse videntur, et eas honestate ac religiose pollere cognoscimus ampliori caritate diligere, majoremque illis honorem jugiter et gratiam exhibere. Eapropter, dilecte in Domino fili Ivo, ecclesiam tuam, vestigiis antecessorum nostrorum inherendo, sincere ac tenere utpote specialem ac per omnia devotam filiam sedis apostolice diligentes, dignum duximus tuis petitionibus assensum prebere. Concedimus ergo, ad instar felicis recordationis Lutii pape III predecessoris nostri, tibi tuisque successoribus in perpetuum, ut in parrochiis ad jus tuum pertinentibus nullus futuris temporibus ordo seu religio nisi Cluniacensis ponatur, ea videlicet ratione, ne bona vel jura benignitate Romanorum pontificum ecclesie tue collata obtentu cujuslibet nove vel supervenientis religionis minuantur aut auferantur. Statuimus nichilominus ut infra terminos parrochiarum tuarum nullus cimiterium absque absensu tuo construere presumat, mandato et auctoritate sedis apostolice semper salvis. Nulli ergo omnino hominum fas sit nostri hujusmodi decreti sententiam infringere, seu ausu temerario perturbare. Si qua sane in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen etc.

» Ego Nicolaus catholice ecclesie episcopus subscripsi.

» Ego Ordonius Tusculanus episcopus subscripsi.

» Ego frater Bentevenga Albanensis episcopus subscripsi.

» Ego frater Robertus Portuensis episcopus subscripsi.

» Ego Ancherus tituli Sancte Praxedis presbiter cardinalis subscripsi.

» Ego Guillelmus tituli Sancti Marci presbiter cardinalis subscripsi.

» Ego Jacobus Sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis subscripsi.

» Ego Matheus Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis subscripsi.

» Ego Gottofridus Sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis subscripsi.

» Ego Jordanus Sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

» Ego Jacobus Sancte Marie in Via lata diaconus cardinalis subscripsi.

» Dat. Rome apud Sanctum Petrum per manum magistri Petri de Mediolano Sancte Romane ecclesie vicecancellarii, xv kalendas aprilis indictione vii. Incarnationis Dominice anno M.CC°LXXVIII°, pontificatus vero domini Nicolai pape III anno secundo. »

459 Saint-Pierre, 18 mars 1279.

Ad instar predecessorum suorum sub apostolice sedis protectione monasterium Cluniacense suscipit, et antiqua privilegia confirmat. (Fol. 135 v°; an II, n° 54; Potthast 21552.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Petri Cluniacensis ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.* Religionis monastice modernis temporibus speculum et in Galliarum partibus documentum beati Petri Cluniacensis monasterium ab ipso sue fundationis exordio sedi apostolice in jus proprium est oblatum; proinde predecessores nostri Romani pontifices locum ipsum singularis dilectionis ac libertatis prerogativa dotarunt, et universa ei pertinentia privilegiorum suorum sanctionibus munierunt. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et prefatum Cluniacense monasterium, quod specialiter beati Petri juris existit, ad instar felicis recordationis Innocentii, Alexandri, Clementis IIII et Gregorii X predecessorum nostrorum Romanorum pontificum, sub ejusdem beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam ac institutionem Cluniacensium fratrum in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

» Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium inpresentiarum juste ac canonice possidet aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

» In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis in Burgundia, Carumlocum, Martigniacum, Paredum, Sanctum Marcellum Cabilonensem, Vergiacum, Troaldum, et omnes alios prioratus et cellas, possessiones et jura que habetis in provincia Lugdunensi, ultra Ararim, Nantuacum, Ginniacum, monasterium de Vallibus, Polliniacum, monasterium de Altapetra, Vallem clusam, Ultramgum, Romanum monasterium Paterniacum, insulas et omnes prioratus et cellas, possessiones et jura que in illa parte Burgundie sive Theutonia possidetis. In provincia Viennensi Sanctum Victorem Gebennensem, Condeminum, Burgetum, Dominam, Lavard, et omnia loca et jura que in ipsa Viennensi provincia possidetis.

» In Provincia Sanctum Saturninum, Tornacum, Podium de Ganagobia extra Montempessulanum, Clunisetum, et omnia loca vestra in Provincia constituta. In Wasconia Karenacum, Moriacum, Sanctum Orientium, Sanctum Montem et cetera loca vestra que in Wasconia possidetis. Preterea Silviniacum, monasterium Celsiniense, Sanctum Florium, Voltam, Sanctum Eutropium Magon. Agiam, monasterium de Caritate cum omnibus pertinentiis suis, Sanctum Stephanum, Sanctum Salvatorem Nivernensem, Sanctum Martinum de Campis, Longum Pontem, Guayam, Sanctam Margaritam in Campania cum grangiis de Matercuria et de Sancta Petronilla et omnibus pertinentiis suis, Crispiacum, Comsiacum, Lehunum cum prioratibus Sancti Laurentii et Sancti Nicolai, quos prior Lehunensis monasterio suo cum eorum pertinentiis noviter acquisivit, Sanctam Margaretam in Codimo, Mondiderium, Abbatisvillam, Sanctum Lupum, monasterium Sanctorum Cosme et Damiani Froewillis, Relaugias, et quicquid in Bituricensi, Burdegalensi, Remensi, Senonensi, Treverensi et Rothomagensi provinciis possidetis.

Monasterium Lewen Lauton. Montem acutum, Tefforde, Lebdecumbam, Opeford, et Tikesore villas, cum omnibus appenditiis earum, Sanctam Mariam de Wigera, Sanctum Zoillum de Cornon., Villamfrancam, Sanctam Columbam de Burgis, Cornelianum, monasterium Pontidensis, monasterium Sancti Majoli Papiensis, Sancti Gabrielis Cremonensis, et monasterium Sancti Pauli de Argona, cellam de Rertrees, et cellam de Namechia, et

quicquid in Anglia, Hyspania, Lombardia et in Leodiensi diocesi possidetis.

» In Tuscia juxta criptas, Sanctam Mariam de Aquaviva, in civitate Tuscanensi, Sanctum Johannem de Podio, Sanctum Petrum de Aliano, et in Sicilia prioratum de Sacco cum omnibus pertinentiis suis.

» Sane laborum vestrorum decimas, pro quibus tam vos quam alios monastice religionis viros inquietare episcopi consueverunt, illorum videlicet quos dominicaturas appellant, qui vestro sumptu et monasterii et cellarum vestrarum clientibus excoluntur, sine omni episcoporum et episcopalium ministrorum contradictione deinceps habeatis quietius qui vestra peregrinis et fratribus et pauperibus erogatis. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos, e seculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit absque abbatis sui licentia de Cluniacensi claustro discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forte retinere presumpserit, licitum sit vobis in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare. Ad hec etiam prohibemus ne aliquis monachus sive conversus sub professione vestre domus astrictus, sine consensu et licentia abbatis et majoris partis capituli vestri pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestre utilitatem. Quod si facere presumpserit, non teneatur conventus pro hiis aliquatenus respondere. Licitum preterea vobis sit in causis propriis, sive civilem sive criminalem contineant questionem, fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium jus vestrum in aliquo valeat deperire.

» Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus episcopus vel alia quecunque persona ad synodos vel conventus forenses vos ire compellat, nec ac domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conventus aliquos publicos convocandi, vel missas etiam celebrandi, nisi ab abbate fuerit invitatus, accedat. Statuimus etiam ut ecclesie omnes, cimiteria, monachi, clerici et laici universi infra terminos habitantes qui sunt a rivo de Salvai et ab ecclesia Rufiaci et Cruce de Lornant, a termino quoque molendini de Tornasach per villam, que dicitur Varenna, cum nemore Burnerio a termino qui dicitur Peroys usque ad rivum de Salvay sub apostolice sedis tantum jure ac tuitione permaneant, neque ipsius Cluniaci loci presbiteri aut etiam parochiani ad cujuslibet nisi ad Romani pontificis vel ejus legati et Cluniacensis abbatis cogantur ire synodum vel conventum. Sane pro abbatis, monachorum seu clericorum infra predictos terminos habitantium ordinatione, pro crismatis confectione, pro sacri olei, ecclesiarum et altarium consecratione, et cimiteriorum benedictione, Cluniacense monasterium quem maluerit antistitem convocet gratiam et communionem apostolice sedis habentem. Cluniacenses vero monachos ubilibet habitantes nulla omnino persona, preter Romanum pontificem et legatum qui ad hoc missus fuerit, excommunicet aut etiam interdicat. Ita tamen ut circa legatos apostolice sedis obedientia vel reverentia debita propter hoc nullatenus minuatur. Tibi etiam, fili abbas, et per te monasterio Cluniacensi concedimus ut in processionibus missarumque sollempniis, tam tu quam successores tui mitro, anulo, cyrothecis, sandaliis, et aliis pontificalibus insigniis uti possitis, benedictionemque sollempnem super populum facere, ad divini nominis gloriam et monasterii Cluniacensis honorem. Illud autem districtius inhibemus ne quis possessiones, jura vel bona monasterii vestri preter sedis apostolice conscientiam cui specialiter est subjectum, quolibet modo alienare vel antiquas et rationabiles monasterii ipsius consuetudines et hactenus observatas violare presumat. Si que vero donationes aut alienationes aliter quam dictum est facte fuerint, eas irritas esse censemus. Decimas preterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Percussuram quoque proprii nummismatis vel monete sicut hactenus est obtentum vobis auctoritate apostolica confirmamus. Ad hec adicimus ut in omnibus prioratibus et cellis que nunc sine proprio abbate vestro regimini sunt subjecte nullus futuris unquam temporibus abbatem ordinare presumat, sed tam prioratus ipsi et celle, quam et cetera in quibuslibet locis omnia quibus Cluniacensis ecclesia, tempore Arvernensis concilii quod per felicis memorie Urbanum papam predecessorem nostrum celebratum est, investita erat, de quibus nulla questio mota est tam tibi, fili abbas, quam successoribus tuis in pace semper ac quiete serventur. Illis dumtaxat exceptis que per auctoritatem sedis apostolice sunt ab illo statu mutata. Pro altaribus et ecclesiis sive decimis vestris nulli episcoporum facultas sit gravamen vobis indebitum irrogare, sed sicut eorum permissione quedam ex parte quedam ex integro habuistis, ita futuris temporibus habeatis. Ceterum omnes ecclesie que ubilibet posite sunt seu capelle vestre et cimiteria libera sint et omnis exactionis immunia preter censuram episcopi paratam et justitiam canonicam in presbiteros qui adversus ordinis sui offenderint dignitatem.

In parrochialibus vero ecclesiis quas habetis, liceat vobis seu fratribus vestris sacerdotes eligere et diocesano episcopo presentare, quibus si ydonei fuerint episcopus curam animarum commictat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere, quam si commictere illis, quod absit, ex pravitate noluerint, tunc presbiteri apostolice sedis benignitate officia celebrandi, dummodo sint ydonei, licentiam consequantur. Ecclesiarum vero seu altarium consecrationes si diocesani episcopi gratis noluerint exhibere a quolibet catholico suscipiens episcopo gratiam et communionem apostolice sedis habente. Nec cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres pro qualibet interdictione vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem aliquatenus patiantur, sed tam monachi ipsi quam et famuli eorum et qui se professioni monastice devoverunt, clausis ecclesiarum januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare et peragant debita sepulture. Ceterum abbatias quas predecessores nostri Romani pontifices vestris predecessoribus concesserunt, nos quoque vobis et successoribus vestris duximus concedendas, ut per industriam vestram religionis status in eis, auctore Domino, conservetur. Videlicet abbatias Sancti Martialis Lemovicensis, monasterii novi Pictavensis, Sancti Johannis Angliacensis, monasteriorum Lesatensis, Moysiacensis, Figiacensis, Mausiacensis, Tibernensis et Sancti Germani Autissiodorensis. Illud nichilominus statuentes, ut in eis sine abbatis Cluniacensis consilio, abbas nullatenus eligatur. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra terminos sacri banni quos supradictus Urbanus papa distincxit seu infra clausuras locorum vel grangiarum vestrarum nullus homo cujuscunque conditionis aut potestatis existat invasionem, predum aut rapinam vel frustum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, seu homicidium perpetrare presumat. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexactionibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate, et diocesanorum episcoporum canonica justitia in ecclesiis non exemptis. Si qua igitur —. Amen. Amen. Amen.

» Ego Nicolaus catholice ecclesie episcopus subscripsi.

» Ego Ordonius Tusculanus episcopus subscripsi.

» Ego frater Bentevenga Albanensis episcopus subscripsi.

» Ego frater Robertus Portuensis episcopus subscripsi.

» Ego Ancherus tituli Sancte Praxedis presbiter cardinalis subscripsi.

» Ego Guillelmus tituli Sancti Marci presbiter cardinalis subscripsi.

» Ego Jacobus Sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis subscripsi.

» Ego Matheus Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis subscripsi.

» Ego Gottifridus Sancti Georgii ad Velum aureum. diaconus cardinalis subscripsi.

» Ego Jordanus Sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

» Ego Jacobus Sancte Marie in Via lata diaconus cardinalis subscripsi.

» Dat. Rome apud Sanctum Petrum per manum magistri Petri de Mediolano sancte Romane ecclesie vicecancellarii xv kalendas aprilis, Indictione VII. Incarnationis dominice anno M.CC.LXXVIII, Pontificatus vero donni (*sic*) Nicolai pape III. Anno secundo. »

460 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Abbati Cluniacensi concedit quatinus nonnullos monachos, pro eo quod leges audiverunt excommunicationis sententia ligatos, imposita eisdem quadam penitentia, absolvere possit. (Fol. 137; an II, n° 55.)

« *Dilecto filio Ivoni abbati monasterii Cluniacensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Matisconensis diocesis.* Significasti nobis quod nonnulli monachi tui monasterii pro eo quod leges audiverunt, sunt excommunicationis sententia innodati, quorum quidam divina celebrarunt officia sic ligati. Quare super hiis eorum providere saluti a nobis humiliter postulasti. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue, presentium auctoritate concedimus, quatinus imposita eisdem monachis penitentia infrascripta, videlicet, quod eorum quilibet per tot annos quod leges audiverunt easdem singulis ebdomadis, una die jejunet in pane et aqua, dicat unum psalterium integre, ac unam regularem recipiat disciplinam, et per totidem annos sint ultimi in conventu, ac per duplum hujusmodi temporis ad dignitates, administrationes et

beneficia nullatenus assumantur, eosdem excommunicatos absolvas hac vice juxta formam ecclesie vice nostra. Et postmodum cum illis ex eisdem monachis qui facti immemores vel juris ignari, absolutionis beneficio non obtento, sic ligati divina officia celebrarunt, de misericordia que superexaltat judicio, super irregularitate, si quam exinde contraxerunt, tantummodo hac vice dispenses, prout secundum Deum eorum saluti videris expedire. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas februarii, anno secundo. »

461 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Eidem ornamenta ecclesiastica benedicendi et specialiter sacerdotalia vestimenta licentiam tribuit. (Fol. 137 v°; an II, n° 56; Potthast 21521.)

« *Eidem.* Dignum te inter —. Dat. ut supra. »

462 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Eidem primam tonsuram clericalem monachis totius ordinis Cluniacensis conferendi plenam concedit facultatem, presentibus post quinquennium minime valituris. (Fol. 137 v°; an II, n° 57; Potthast 21513.)

« *Eidem.* Religionis suadet honestas —. Dat. ut supra. »

463 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Antiqua jura Cluniacensis abbatis, quibus unus rector omnium monachorum et priorum ordinis efficitur, ad instar predecessorum suorum confirmat. (Fol. 137 v°; an II, n° 58; Potthast 21514.)

« *Dilecto filio .. abbati Cluniacensi.* In decentiam et ornatum redundat totius corporis cum ipsius a capite membra non discrepant, sed veluti subjecta obediunt capiti eidemque obsequentia ad ejus nutum faciunt universa. Cum igitur a tempore cujus non extat memoria in Cluniacensi ordine pacifice fuerit ex quo multum floruisse dinoscitur observatum, ut priores et monachi ejusdem ordinis ubilibet commorantes, ac loca eorum que monasterio et abbati Cluniacensibus noscuntur fuisse concessa, subjecta sint abbati Cluniacensi in spiritualibus et temporalibus pleno jure, ac iidem priores et monachi soli abbati Cluniacensi professionem faciant, promittantque usque ad mortem ipsi abbati quotiens novus instituitur obedientiam manualem et benedictionem recipiant ab eodem, et reddant ad mandatum ipsius abbatis de singulis que ad administrationem spiritualium vel temporalium pertinent rationem ac abbas Cluniacensis, qui pro tempore fuerit, liberam institutionem et destitutionem habeat in eosdem, super quibus omnibus hactenus nulla, sicut in nostra presentia pro parte tua propositum extitit, questio mota fuit, sed tu et predecessores tui fuistis libere ac pacifice in possessionem vel quasi omnium predictorum. Nos attendentes quod hec omnia reddunt eundem ordinem celebrem et insignem, cum populus sub uno rectore prosperari consueverit et caderet sub diversis, ea omnia, ad instar felicis recordationis Innocentii et Clementis IIII predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, approbantes ipsa prout rationabiliter facta sunt et hactenus pacifice observata sunt, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes ne quis contra ipsa que firmiter in perpetuum observari volumus quicquam facere vel attemptare presumant. Quod si aliquis de ipso ordine contra fecerit vel super electione facienda in prioratibus ejusdem ordinis vel confirmatione ipsius a sede apostolica litteras impetrarit, nisi littere ipse plenam de predictis mentionem fecerint, nullius penitus sit momenti et alias ipse de dicto ordine qui contra predicta venire temptaverit, secundum discretionem abbatis animadversione debita puniatur. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et inhibitionis etc. Dat. ut supra. »

464 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Abbati et conventui Cluniacensibus ad instar Gregorii IX pape indulget ut infra parochias suas, pro ea portione qua veteres decimas ibi habent atque percipiunt, de novalibus redactis noviter ad culturam, que a tempore cujus non extat memoria non fuerunt exculta, decimas percipere valeant. (Fol. 137 v°; an II, n° 59; Potthast 21520.)

« .. *abbati et conventui Cluniacensibus.* Cum a nobis —. Dat. ut supra. »

465 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Ad instar Alexandri IV pape inhibet ne priores et monachi conventualium et aliorum prioratuum, quos abbates Cluniacensi monasterio acquisivisse noscuntur, coram regibus, principibus, potestatibus et aliis judicibus, tam ecclesiasticis quam secularibus, super eisdem prioratibus, juribus et bonis ad prioratus ipsos spectantibus, sine licentia abbatis agere,

respondere, litigare, permutare, alienare, vel mutuum contrahere audeant. (Fol. 138; an II, n° 60; Potthast 21515.)

« .. *abbati Cluniacensi.* Sollicitudinis nostre dinoscitur —. Dat. ut supra. »

466 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Ad instar Honorii III pape indulget ne ipsi vel fratres ejusdem ordinis, ubilibet commorantes, in causam trahi possint per litteras apostolicas, nisi de ordine Cluniacensi fecerint expressam mentionem. (Fol. 138; an II, n° 61; Potthast 21519.)

« .. *abbati et conventui Cluniacensibus.* Vestra nobis discretio —. Dat. ut supra. »

467 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Ad instar Alexandri IV pape decretum eorundem abbatis et conventus confirmat, quo statuerunt ut redditus et proventus prebende quam habent in Carnotensi ecclesia deputati in monasterio suo ad luminare apostolorum b. Petri et Pauli, quos quidam abbates aliquibus secularibus clericis de facto aliquotiens concesserunt, de cetero nemini concedantur sed ad luminare hujusmodi perpetuo sint destinati. (Fol. 138; an II, n° 62.)

« *Eisdem.* Cum duxeritis statuendum —. Dat. ut supra. »

468 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Eisdem ad instar Alexandri IV pape indulget ut ecclesiarum prelatis, cum ecclesias ipsorum visitarint, si numerum evectionum et personarum in Lateranensi concilio constitutum excedere presumpserint pecuniam vel ea que petiverint, preter procurationes in victualibus moderatas, denegare possint. (Fol. 138; an. II, n° 63; Potthast 21516.)

« .. *abbati et conventui monasterii Cluniacensis.* Exigentibus vestre devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus, et petitiones vestras quantum cum Deo possumus favorabiliter exaudimus. Hinc est quod vestris supplicationibus inclinati, ad instar felicis recordationis Alexandri pape IIII predecessoris nostri, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut si ecclesiarum prelati numerum evectionum et personarum in Lateranensi concilio constitutum cum vestras et monasteriorum ac prioratuum vestrorum ecclesias visitarint excedere forte presumpserint, et ipsi pro evectionibus vel personis in quibus excesserint eundem numerum, vel aliquis de ipsorum familia occasione alicujus officii aut consuetudinis, seu quolibet alio modo, eorum nomine, pecuniam vel aliquid aliud petierint preter procurationes tantum in victualibus moderatas, liberum sit vobis et prioribus monasteriorum et prioratuum predictorum quod taliter petitur denegare. Et si forte propter hoc dicti prelati vel eorum aliquis in ecclesias ipsas vel religiosos aut clericos ibidem morantes aliquam sententiam promulgaverint, ipsam decernimus non tenere. Nulli ergo nostre concessionis et constitutionis etc. Dat. ut supra. »

469 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Eisdem ad instar Gregorii X pape indulget ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, exceptis feudalibus, que personas fratrum liberas ad monasterium eorundem e seculo fugientium et professionem facientium in eodem, si remansissent in seculo, ratione successionis vel quocunque alio justo titulo contigissent et eedem persone dare potuissent, libere aliis petere, percipere ac retinere valeant. (Fol. 138 v°; an II, n° 64; Potthast 21517.)

« .. *abbati et conventui monasterii Cluniacensis.* Devotionis vestre precibus —. Dat. ut supra. »

470 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Eisdem et personis monasteriorum ejusdem ordinis ad instar Gregorii X pape indulget ne teneantur ad solutionem aliquorum debitorum monasteriorum, prioratuum ac membrorum eorundem nomine contractorum, nisi ea in utilitatem ipsorum conversa fuisse legitime probaverint creditores. (Fol. 138 v°; an II, n° 65; Potthast 21518.)

« .. *abbati et conventui monasterii Cluniacensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Matisconensis diocesis.* Indempnitati vestri monasterii —. Dat. ut supra. »

471 Saint-Pierre, 5 février 1279.

Infrascriptis mandat quatinus de petitione quadam abbatis Cluniacensis pro oratorio domus Parisiensis ejusdem ordinis diligentius indagent, et quod sibi videbitur sedi apostolice rescribant. (Fol. 138 v°; an II, n° 66.)

« *Dilecto filio S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato, et venerabili fratri .. episcopo Parisiensi.* Sicut dilectus filius .. abbas monasterii Clunia-

censis nobis exposuit, in domo quam edificari fecit Parisius in qua magnus degit Cluniacensis ordinis conventus monachorum studentium ibidem in theologica facultate duxit oratorium construendum. Quare dictus abbas humiliter petebat a nobis, ut eidem conventui celebrandi alta voce in oratorio ipso, habendi campanas ibidem et cimiterium pro corporibus fratrum ipsius ordinis cum decedunt sepeliendis decenter, licentiam concedere dignaremur. Nos itaque intendentes super hiis deliberatione qua convenit salubriter provideri, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus de premissis et universis eorum circumstantiis diligentius indagetis, nobis quod inde perceperitis et quod vobis videbitur per vestras litteras harum seriem continentes fideliter rescripturi, ut a vobis diligenter instructi quid postmodum in predictis fieri magis expediat clarius et salubrius, dante Domino, discernere valeamus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis februarii, anno secundo. »

472 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Abbati Cluniacensi indulget ut constitutio Innocentii IV, ut episcopi et eorum superiores propter executionem pontificalis officii quod frequenter incumbit in aliquo casu non incurrant interdicti vel suspensionis sententiam ipso jure, nisi de ipsis episcopis et superioribus expressim mentio habeatur, ad ipsum sicut ad episcopos de apostolice sedis gratia extendatur, presentibus post quinquennium minime valituris. (Fol. 138 v°; an II, n° 67.)

« *Dilecto filio Yvoni abbati monasterii Cluniacensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Matisconensis diocesis.* Dignum te inter —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas februarii, anno secundo. »

473 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Eidem indulget ut nullus delegatus apostolice sedis vel subdelegatus ab eo, aut executor seu etiam conservator a sede deputati predicta in personam ipsius suspensionis vel interdicti aut excommunicationis sententias promulgare valeant absque sedis apostolice speciali mandato, presentibus post quinquennium minime valituris. (Fol. 138 v°; an II, n° 68.)

« *Eidem.* Personam tuam favoris —. Dat. ut supra. »

474 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Eidem concedit ut nonnullos monachos, pro violentis actibus excommunicatos, quibusdam conditionibus absolvere possit. (Fol. 139; an II, n° 69.)

« *Eidem.* Significasti nobis quod nonnulli monasterii tui monachi et conversi pro violenta injectione manuum in se ipsos aliosque religiosos seu clericos seculares sunt hactenus excommunicationis sententia innodati, quorum monachorum quidam divina celebrarunt officia, et receperunt ordines sic ligati. Quare super hiis eorum provideri saluti a nobis humiliter postulasti. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut eosdem excommunicatos, illos videlicet qui in se ipsos injecerunt et injecerint manus usque ad quinquennium per te vel alium, et cum aliis predictis de libera voluntate ac pleno consensu passorum injuriam per te ipsum absolvas hac vice ab hujusmodi excommunicationis sententia juxta formam ecclesie vice nostra, injungens eis quod de jure fuerit injungendum, proviso ut manuum injectores quorum fuerit gravis et enormis excessus mittas ad sedem apostolicam absolvendos. Cum illis autem ex predictis monachis qui facti immemores vel juris ignari absolutionis beneficio non obtento receperunt ordines sic ligati et divina officia celebrarunt, injuncta eis pro modo culpe penitentia competenti, eaque peracta liceat tibi de misericordia que superexaltat judicio, prout eorum saluti expedire videris, cum dictis manuum injectoribus in se ipsos per idem quinquennium, cum aliis vero predictis, postquam fuerint totaliter absoluti, hac vice tantummodo dispensare. Dat. ut supra. »

475 Saint-Pierre, 7 mai 1279.

Abbatias vel prioratus infrascriptos, qui sub dispositione sancte memorie Hugonis abbatis manserunt, abbati Cluniacensi ejusque successoribus, ad instar Paschalis II pape, confirmat. (Fol. 139; an II, n° 70; Potthast 21574.)

« *Dilecto filio Yvoni abbati monasterii Cluniacensis, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.* Religio Cluniacensis cenobii cui auctore Deo presides merito nos inducit ut petitionibus tuis favorabiliter annuamus. Ea propter, dilecte in Christo fili, tuis justis supplicationibus grate concurrentes assensu, ad instar felicis recordationis Paschalis pape secundi predecessoris nostri, abbatias vel prioratus, qui sub dispositione sancte memorie Hugonis abbatis predecessoris tui manserunt, sub tua quoque vel successorum tuorum dispositione apostolica auctoritate decernimus permanere, idest Moysiacum, Figiacum, abbatiam Sancti Martialis Lemovi-

censis, Angrosum, novum monasterium Pictavense, abbatiam Sancti Egidii, abbatiam Mauziaci, abbatiam Turdiliaci, abbatiam Sancti Germani Autisiodori, abbatiam Sancti Bertini, abbatiam Sancti Wolmerii, abbatiam Umeurti, abbatiam Sancti Benedicti super Padum, prioratum Nantuaci, Guiniaci, Sancti Marcelli Cabilonensis, Crispeiaci, Vertiaci, Paredium, Carumlocum, Sancti Marcelli de Salzic, Sancti Salvatoris Niverni, Sancti Stephani ibidem, Nazaram Scarrionis, Sanctum Ysidorum, Sanctum Saturninum, Salsinanias, Silviniacum, Sanctam Mariam de Caritate, Lupertiacum, Sanctum Reverianum, Sanctum Martinum de Campis, Longum pontem, Coriacum, Nongentum, Leontium, Gagias, Trualdium, Canagobium, Rosanum, Sanctum Pancratium de Lamis, Montem Acutum in Anglia et Tifordium, Sanctum Albanum de Basilegia, Romanum monasterium Paterniacum, Sanctum Victorem in Geneva Voltera, Sanctum Florum, Alariacum, Moiracum, Sanctum Licerium, Sanctum Orientium Setmontem, Carenniacum, Sanctam Fidem de Morlanis, Sanctum Eutropium, Sanctam Mariam de Castello, Sanctum Magolum de Papia, Sanctum Gabrielem de Cremona, Sanctum Paulum de Pergamo, Sanctum Jacobum de Pontivo, Bertemala, Rodobium, Castellet, Sanctum Gregorium de Placentia, Abevillam, Acterens, Alabart, Domina, Visilia, Cabiol Magobrium, Fodrovillam Cellam. In Alamania Roquespertum Vilars, Sanctam Mariam de Valle, Martiniacum, Ambertam, Rivis, Chaberors, Sanctum Nazarium, Borbonensem, Boortium, Esalaso Saltum. In locis autem que sine proprio abbate diebus predicti donni ac venerabilis Hugonis abbatis fuisse videntur nunquam aliquis abbatem ordinare presumat. Illud etiam libertatis Cluniacensi cenobio firmum haberi sanctimus ut vestri monasterii monachi qui ad sacros sint ordines promovendi a quibus malueritis catholicis episcopis provehantur. Crisma vero si oportunitas exegerit in vestro faciatis monasterio consecrari vel a quibus volueritis episcopis accipietis. Si qua igitur in futurum —. Amen. Amen. Amen.

» Ego Nicolaus catholice ecclesie episcopus subscripsi.

» Ego Ordonius Tusculanus episcopus subscripsi.

» Ego frater Bentivegna Albanensis episcopus subscripsi.

» Ego Robertus Portuensis episcopus subscripsi.

» Ego Ancherus tituli Sancte Praxedis presbiter cardinalis subscripsi. Ego Guillelmus tituli Sancti Marci presbiter cardinalis subscripsi. Ego Jacobus Sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis subscripsi. Ego Gottifredus Sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis subscripsi. Ego Matheus Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis subscripsi. Ego Jordanus Sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi. Ego Jacobus Sancte Marie in Via lata diaconus cardinalis subscripsi. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, per manum magistri Petri de Mediolano sancte Romane ecclesie vicecancellarii, nonis maii indictione VII Incarnationis dominice anno M°CC° septuagesimo nono, pontificatus vero donni Nicolai pape tertii anno secundo. »

476 Saint-Pierre, 5 fevrier 1279.

Principi Salernitano indulget ut magistri Guillelmus de Esseio et Petrus de Coceniaco, ipsius insistentes obsequiis, fructus prebendarum et beneficiorum suorum, que in ecclesiis Carnotensi et Aurelianensi obtinent, percipere valeant. (Fol. 139 v°; an II, n° 71.)

« *Nobili viro C. principi Salernitano primogenito carissimi in Christo filii nostri .. regis Sicilie illustris.* Libenter tuis exigentibus meritis illa tibi obsequentibus liberaliter concedimus per que ipsi tuis insudare obsequiis fortius animentur. Tuis ergo supplicationibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus ut magistri Guillelmus de Esseio capellanus noster Carnotensis et Petrus de Coceniaco Aurelianensis ecclesiarum canonici tuis insistentes obsequiis fructus prebendarum et beneficiorum suorum que in eisdem ecclesiis obtinent cum ea integritate percipere valeant, distributionibus cotidianis duntaxat exceptis, cum qua illos perciperent si in eisdem ecclesiis personaliter residerent. Non obstante quod dicti canonici in eisdem ecclesiis vel earum aliqua primam residentiam non fecerunt ac contrariis consuetudinibus ipsarum ecclesiarum et statutis juramento confirmatione sedis apostolice vel quacunque alia firmitate firmatis. Presentibus post triennium et cetera. Nulli ergo et cetera nostre concessionis et cetera. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis februarii, anno secundo. »

477 Saint-Pierre, 5 février 1279.

Cum regina Sicilie supplicaverit ut vota tam peregrinationum quam abstinentiarum, que adimplere non potest, nisi a rege petita licentia, quam non audet, in alia pietatis opera commutentur, fratri Raynerio, capellano regis Sicilie mandat quatinus super hoc, ejusdem regine confessione audita et omnibus circumstantiis examinatis, quod ipsius saluti viderit expedire faciat. (Fol. 139 v°; an II, n° 72; Potthast 21533.)

« *Dilecto filio fratri Raynerio ordinis fratrum Minorum capellano et familiari carissimi in Christo filii nostri ..*

regis Sicilie illustris. Ex parte carissime —. Dat. ut supra. »

478 Saint-Pierre, 9 janvier 1279.

Infrascriptis mandat quatinus Pannutium, olim abbatem monasterii S. Marie de Sparto ordinis S. Basilii Cephaludensis diocesis, in monasterio S. Marie de Cripta, Panormitane diocesis, post obitum Gabrielis abbatis et electionem indigne persone, a capitulo ecclesie Panormitane sine jure promotum, ad tempus amoveant; si ipse postmodum se errasse humiliter recognoverit, imposita penitentia salutari, eundem predicto monasterio de Crypta in abbatem preficere procurent. (Fol. 140; an II, nº 73; Potthast 21509.)

« *Dilectis filiis .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Panormitanis.* Accedens ad presentiam —. Dat. Rome apud S. Petrum, v idus januarii, anno secundo. »

479 Saint-Pierre, 13 avril 1279.

Archiepiscopo Aquensi mandat quatinus Bernardum dictum Cupalate canonicum Aptensem in ecclesia Forojuliensi recipi faciat in canonicum. (Fol. 140 vº; an II, nº 74.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Aquensi.* Intendentes dilecto filio Bernardo dicto Cupalate canonico Aptensi nepoti bone memorie V. episcopi Penestrini gratiam facere specialem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eundem Bernardum si est ydoneus scientia, vita, moribus et etate, nichilque sibi obviet de canonicis institutis, nec alias scripserimus pro eodem in ecclesia Forojuliensi recipi faciens in canonicum et in fratrem, ei de prebenda nulli alii de jure debita si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, vel quam primum ad id obtulerit se facultas auctoritate nostra providere procures. Contradictores et cetera usque compescendo. Non obstantibus de certo canonicorum numero, seu quibuslibet — seu quod in ecclesia Sancti Antonini Placentini et in plebe de Torano Placentine diocesis, canonicatus et prebendas ac Sancti Petri de Assana ac de Placito Dei ecclesias quibus cura non imminet animarum Aquensis diocesis dinoscitur obtinere, quorum redditus et proventus valorem annuum viginti marcarum argenti sicut asserit non excedunt. Volumus autem quod dictus Bernardus postquam in predicta ecclesia Forojuliensi canonicatum et prebendam fuerit pacifice assecutus, canonicatum et prebendam quos in Aptensi ecclesia obtinet et quos extunc vacare decernimus omnino dimictat proviso quod eedem Sancti Petri de Assana et de Placito Dei ecclesie debitis obsequiis non fraudentur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus aprilis, anno secundo. »

480 Saint-Pierre, 11 janvier 1279.

Collectori decime in regno Portugalie mandat quatinus pecuniam ab episcopo Elborensi pro Terra Sancta receptam in aliquo tuto loco deponere procuret. (Fol. 140 vº; an II, nº 75.)

« .. *Collectori decime in regno Portugalie deputato.* Inter cetera votivum insidet menti nostre ut bona in Terre Sancte subsidium convertenda fida colligantur sollertia et ne quoquomodo ad illa perveniat manus avara studio custodiantur fideli. Nuper siquidem venerabilis frater noster .. episcopus Elborensis nobis significare curavit quod ipse et quondam frater Geraldus ordinis Predicatorum dum viveret de nonnullis obventionibus nomine dicte Terre receperunt quandam pecunie quantitatem. Quare dictus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut alicui juxta nostre dispositionis beneplacitum mandaremus hujusmodi pecuniam assignari. Nos itaque de tua circumspectione gerentes in Domino fiduciam pleniorem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus pecuniam hujusmodi recipias diligenter, ipsamque demum ecclesie Romane et prefato nomine in aliquo tuto loco deponere diligentia exacta procures, faciendi quitationem plenam de hiis que receperis concessa tibi libera potestate. De hiis autem que tibi contigerit assignari facias fieri duo publica instrumenta, quorum unum penes te retineas, nobis reliquum transmissurus et rescripturus tandem quid et quantum receperis et locum in quo hujusmodi pecuniam duxeris deponendam. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III idus januariis, anno secundo. »

481 Saint-Pierre, 11 janvier 1279.

Episcopo Elborensi mandat quatinus pecuniam, quam ipse et quondam frater Geraldus, ordinis Predicatorum, in regno Portugalie constitutus, receperunt, collectori decime in eodem regno deputato Romane Ecclesie nomine fideliter assignare procuret. (Fol. 141; an II, nº 75.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Elborensi.* Nuper ex parte tua —. Dat. ut supra. »

482 Saint-Pierre, 29 mars 1279.

Guardiano et fratribus ordinis Minorum Cumanis significat

se ipsis auctoritate apostolica confirmare locum, qui dicitur Zerbertum, prope Fossatum civitatis Cumane, quem ad usum ordinis ejusdem donaverunt Allegrantia quondam Goffredi de Lucino civis Cumani, Allegrantia quondam Joannis Poiri de Lautate, Valentia quondam Montenarii de Piro et Sonerbella quondam Petri de Gardinsacis laicorum filie, in eodem loco commorantes. (Fol. 141 ; an II, nº 76; Potthast 21558.)

« .. *Guardiano et fratribus ordinis Minorum Cumanis.* Sicut nuper ad —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII kalendas aprilis, anno secundo. »

483 Saint-Pierre, 29 mars 1279.

Infrascriptis mandat quatinus, eisdem mulieribus decedentibus, predictos guardianum et fratres in corporalem possesionem loci de Zerberto, jurium et pertinentiarum ejus inducant et defendant inductos. (Fol. 141 ; an II, nº 77 ; Potthast 21559.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Albensi et dilecto filio .. abbati de Sancto Nazario Vercellensis diocesis.* Sicut nuper ad nostram —. Dat. ut supra. »

484 Saint-Pierre, 29 avril 1279.

Cum infrascripto clerico dispensat super defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, ut possit ad omnes ordines promoveri ac obtinere ecclesiasticum beneficium, etiam si curam habet animarum. (Fol. 141 vº; an II, nº 78.)

« *Magistro Hellino de Hielemes, clerico Tornacensis diocesis.* Illegitime genitos —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III kalendas maii, anno secundo. »

485 Saint-Pierre, 19 avril 1279.

Episcopo Ambianensi concedit facultatem dividendi quatuor primas prebendas proximo vacaturas in ecclesia Ambianensi. (Fol. 141 vº; an II, nº 79.)

« *Venerabili fratri Guillelmo episcopo Ambianensi.* Quia, sicut asseris, potissime tuis inheret affectibus quod in Ambianensi ecclesia que corruscat privilegiis dignitatum cultus divini nominis amplietur, in nostra proposuisti presentia constitutus, quod sic superexercuerunt prebendarum ipsius ecclesie facultates quod de ipsarum dimidiis possent illas habentes comode sustentari. Quare dividendi aliquas ex eisdem prebendis a nobis licentiam postulasti. Nos itaque tuis honestis desideriis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuentes fraternitati tue dividendi quatuor primas prebendas dumtaxat proximo inibi vacaturas ad tuam collationem spectantes, cum eas nulli alii de jure debitas in ecclesia ipsa successive vel per vices vacare contigerit nisi tales prebende, personatui vel dignitati alicui ejusdem ecclesie sint annexe, ac prebendis dimidiatis eisdem singulas dimidias singulis personis ydoneis, scientia, vita, moribus et etate libere conferendi, faciendi quoque personas easdem ibidem ad dictas medietates in canonicos recipi et in fratres, ac pacifica medietatum hujusmodi possessione gaudere, et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi; ita quod stallum in choro et vocem in capitulo eedem persone habeant sicut alii canonici ecclesie supradicte, non obstante statuto de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione apostolica, vel quacunque alia firmitate vallato, dummodo ad hec capituli ejusdem ecclesie absque contradictione cujusquam expressus accedat assensus et nemini ex hoc generetur prejudicium, vel jus alterius in aliquo non ledatur plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Circa distributiones vero cotidianas personis ministrandas eisdem, de simili et expresso consensu totius prefati capituli nullo de ipsius canonicis contradictionis obstaculum opponente ordinare valeas prout, secundum Deum, utilitati ipsius ecclesie videris expedire. Volumus autem quod in omnibus aliis preter quam in quatuor predictis prebendis facultatem hujusmodi tibi noveris interdictam. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XIII kalendas maii, anno secundo. »

486 Saint-Pierre, 19 avril 1279.

Episcopo Lucano mandat quatinus plebanatum plebis S. Marie de Piscia Lucane diocesis Bonamori canonico, atque canonicatum et prebendam in eadem ecclesia Paganello plebano conferat. (Fol. 141 vº; an II, nº 80.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Lucano.* Lecta coram nobis dilectorum filiorum Paganelli plebani plebis Sancte Marie de Piscia Lucane diocesis et Bonamoris canonici Lucani petitio continebat, quod utilitati tam dicte plebis quam Lucane ecclesie expediret, quod idem Bonamor plebanatum ipsius plebis et Paganellus predictus canonicatum et prebendam in eadem ecclesia obtinerent. Nos igitur de tua circonspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, cum ab eisdem Paganello et Bonamore super hoc fueris humiliter requisitus demum si tam eorundem Bonamoris et Paganelli quieti quam

plebis et ecclesie predictorum utilitati videris expedire a predicto Paganello ejusdem plebis et a prefato Bonamore canonicatus et prebende quos in ecclesia ipsa obtinet libera resignatione auctoritate nostra recepta prefatum plebanatum eidem Bonamori, dictos vero canonicatum et prebendam memorato Paganello per te vel per alium seu alios conferas et assignes, inducens eundem Bonamorem in ipsius plebanatus et dictum Paganellum et eorundem canonicatus et prebende corporalem possessionem, et defendens inductos, faciendo dictum Bonamorem in plebanum dicte plebis ut est moris admicti, dictum vero Paganellum in eadem ecclesia ad dictam prebendam in canonicatum recipi et in fratrem. Non obstantibus si super provisionibus faciendis aliquibus de plebanatibus, personatibus et dignitatibus in partibus illis apostolica scripta generaliter sint directa, seu si aliqui in predicta ecclesia apostolica, vel alia quavis auctoritate in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant quibus quoad assecutionem aliorum plebanatuum, personatuum, dignitatum, canonicatuum et prebendarum nullum per hoc volumus prejudicium generari seu contrariis ipsarum plebis et ecclesie consuetudinibus vel statutis, juramentis, confirmationibus sedis apostolice aut quibuscunque aliis firmitatibus roboratis, aut si aliquibus —. Contradictores et cetera usque compescendo. Proviso ne super hiis aliqua pravitas intercedat. Presentibus post sex menses minime valituris. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XIII kalendas maii, anno secundo. »

487 Saint-Pierre, 7 mars 1279.

Cum gravia litigia a longis retro temporibus inter ecclesias S. Trinitatis et S. Patricii Dublinenses pro jure electionis de archiepiscopo Dublinensi evenerint, auctoritate apostolica infrascriptam constitutionem de eadem electione ordinat. (Fol. 142 vo; an II, no 81, POTTHAST 21542.)

« *Nicolaus etc. Ad futuram rei geste memoriam. Ordinatio facta super electione archiepiscopi Dublinensis facienda inter capitula Sancte Trinitatis et Sancti Patricii ecclesiarum Dublinensium.* Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instantia, ut sollicitudinis debitum, ad quod universis ecclesiis obligamur jugo apostolice servitutis, circa earum singulas exolvamus, in eo potissime, ut ea per nostre providentie studium subducantur, que tempore vacationis ipsarum inter earum personas materiam dissentionis ingererent, et per consequens possent eisdem ecclesiis dispendia irrogare. Circa hec itaque sedulo cogitantes, ad Sancte Trinitatis et Sancti Patricii ecclesiarum Dublinensium statum, quem a longis retro temporibus dispendiosis litigiorum anfractibus fluctuasse percepimus, nos ipsos abtraximus, et ad easdem ecclesias debite compassionis animum convertentes, libenter remedia oportuna perquirimus, quibus super hiis salubriter, dante Domino, consulatur. Sane contigit hactenus, et contigit interdum, quod .. priore et conventu S. Trinitatis parte una ac .. decano et capitulo S. Patricii ecclesiarum predictarum ex altera super jure electionis de archiepiscopo Dublinensi, que occurrit pro tempore celebranda, litigantibus invicem pro eo, quod idem prior et conventus predictam S. Trinitatis solam, et dicti decanus et capitulum eandem Sancte Trinitatis et prefatam Sancti Patricii ecclesias asserunt cathedrales : unde provenit quod cathedralis earum quelibet nominatur, occasione dissentionum hujusmodi electiones frequenter impediuntur ibidem, et earum expeditiones frequentius differuntur : nec per hoc articulus juris hujusmodi terminatur, cum ad illum finem in electionum expeditionibus non agatur.

Et licet accepimus, quod dudum tempore felicis recordationis Innocentii pape tertii, predecessoris nostri, per obitum quondam I. archiepiscopi Dublinensis ecclesia Dublinensi vacante S. Trinitatis et S. Patricii Dublinensis capitula, convenientibus eorum votis in unum, quondam H. tunc archidiaconum Staffordensem insimul elegerunt sibi concorditer et canonice in pastorem, quodque idem predecessor cum depositionibus eorundem et quorundam episcoporum testimonialibus litteris, ac decreto electionis subscriptionibus predictarum conventus et capituli roborato exhibitis coram eo, intellexerit electionem eandem ab eis insimul canonice celebratam, eam duxit auctoritate apostolica confirmandam, mandans nichilominus eisdem conventui et capitulo communiter, ut eidem obedientiam et reverentiam debitam impendentes mandatis ipsius efficaciter obedirent. Postmodum quoque inter priorem et conventum eosdem ex parte una et decanum et capitulum predictos ex altera super jure predicto orta materia questionis, demum bone memorie Lucas archiepiscopus Dublinensis, cujus ordinationi partes se super hoc certa pena submittere juraverunt, ratione hujusmodi submissionis dicitur ordinasse, quod sede Dublinensi vacante predicti prior, conventus, decanus et capitulum in prefata ecclesia S. Trinitatis conveniant ac ibidem convenienter et canonice ad electionem procedant archiepiscopi Dublinensis. Postmodum autem cum proximo extunc contingit memoratam sedem vacare, prefati prior, conventus, decanus et capitulum in dicta ecclesia S. Trinitatis die ad eligendum proxima conve-

nientes in unum, quondam Radulfum de Norvico, canonicum ecclesie S. Patricii Dublinensis, in Dublinensem archiepiscopum communiter elegerunt, ac sollempnes nuntios ad sedem apostolicam destinantes, a felicis recordationis Alexandro papa, predecessore nostro, suppliciter per eosdem nuntios petierunt, ut electionem hujusmodi confirmaret : idemque predecessor, quamquam electionem eandem, quia ex certis causis eam invenit minus canonice celebratam, de fratrum suorum consilio justitia cassaverit exigente, preficiendo bone memorie Fulconem de Sanforda, tunc thesaurarium ecclesie Sancti Pauli Londoniensis, Dublinensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem; in litteris tamen apostolicis, quas predecessor ipse Alexander priori, conventui, decano et capitulo supradictis communiter destinavit, ut eundem Fulconem archiepiscopum tanquam patrem et pastorem animarum susciperent, sibique humiliter obedirent, in serie sue narrationis expressit, quod ad eosdem priorem, conventum, decanum et capitulum electio Dublinensis archiepiscopi pertinebat. Nuper etiam, dum ultimo prefata sedes vacaret, iidem prior et conventus, decanus et capitulum a carissimo in Christo filio nostro .. rege Anglie illustri, prout de consuetudine fore asseritur hactenus observatum, eligendi licentiam communiter petiisse dicantur, et etiam impetrasse, sicque prout legitime constitit in judicio per ea, que fuerunt super electionibus inibi proximo preterito celebratis apud sedem actitata predictam, se requirentibus et ad electionem vocantibus alternatim de electione futuri archiepiscopi Dublinensis, que imminebat tunc temporis facienda, certis modis et temporibus processerint; non tamen premissa sic plena probata fuerunt in judicio, vel de ipsis et eorum singulis ad illum finem plene constitit coram nobis, quod hujusmodi dissentionis articulum possemus sententialiter terminare. Sed nichilominus hiis et ea contingentibus paterna consideratione pensatis, et per ea, que super eisdem electionibus inibi celebratis ultimo actitata et tractata sunt apud sedem eandem diebus istis preteritis, ac alias per verisimiles conjecturas de premissis informatione recepta, volentes indempnitati earundem S. Trinitatis et S. Patricii ecclesiarum in hac parte taliter precavere, quod occasione alicujus questionis, quam super predicto jure inter eosdem priorem, conventum, decanum et capitulum inposterum oriri seu verti contingeret ecclesie ipse vacationis non sustineant detrimenta, in premissis non judicis sed provisoris partem assumimus, et de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica ordinamus, ut quotiens predictam sedem Dublinensem vacare contigerit in futurum, predicti prior et conventus eosdem decanum et capitulum tali tempore vocent ad electionem hujusmodi celebrandam, sicque competentem terminum ad id prefigere studeant, quod predicti decanus et capitulum vocare valeant suos, quos de consuetudine, vel de jure vocare debuerint, et extunc in memorata ecclesia Sancte Trinitatis simul conveniant, ac inibi canonice atque communiter electionem archiepiscopi Dublinensis celebrent, et alia simul faciant, que ad electionem spectabunt eandem et ingruent facienda. Volumus autem, quod per hujusmodi nostram ordinationem in favorem dumtaxat ipsarum ecclesiarum factam ad vacationum, ut premittitur, dispendia evitanda, nullum juri alterutrius partium quoad petitorium, vel etiam possessorium, si super hoc in judicio experiri voluerint, prejudicium generetur; sed predictam formam tamdiu volumus observari, quousque alterutram partium in possessorio vel petitorio contingat contra alteram sententialiter obtinere. Nulli ergo etc. nostre ordinationis etc. Si quis autem etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis martii, anno secundo. »

488 Saint-Pierre, 25 mars 1279.

Cum personarum, que contractus legitimos, acta judiciorum et alia hujusmodi redigant in publica munimenta, defectus in illis partibus habeatur, concedendi infra annum a receptione presentium predictum officium tribus personis, quas ad illud post diligentem examinationem ydoneas esse reppererit, prius ab eis juramento juxta formam presentibus annotatam recepto, plenam concedit facultatem (Fol. 143 ; an II, n° 82.)

« *Venerabili fratri J. archiepiscopo Cantuariensi.* Quod possit concedere officium tabellionatus tribus personis. Ne contractum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas aprilis, anno secundo. »

489 Saint-Pierre, 3 mai 1279.

Episcopo Egitaniensi concedit facultatem condendi testamentum ac disponendi de quibusdam rebus. (Fol. 143; an II, n° 83 ; Potthast 21571.)

« *Johanni episcopo Egitaniensi. Quod possit condere testamentum.* Quia presenti vite —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V nonas maii anno secundo. »

Saint-Pierre, 16 avril 1279.

« In e. m. Aldebrandino episcopo Urbevetano. Dat Rome apud Sanctum Petrum, XVI kalendas maii, anno secundo. »

« In e. m. venerabili fratri Theodorico episcopo Cerviensi, ut in proxima usque in fine. »

490 Saint-Pierre, 8 mai 1279.

Fratri Sinibaldo de Lacu inquisitori heretice pravitatis mandat quatinus civibus Viterbiensibus, qui extiterint hereseos crimine involuti, trium mensium terminum prefigat, infra quem suum confiteantur reatum; quod si contempserint, contra eos procedat juxta formam ab apostolica sede concessam. (Fol. 143 v°; an II, n° 84; Potthast 21575.)

« *Dilecto filio fratri Sinibaldo de Lacu ordinis fratrum Minorum, inquisitori heretice pravitatis in Romana provincia a sede apostolica deputato salutem. Super absolutione infamie Viterbiensis super crimine hereseos dummodo in brevi ad hoc bene se coaptent.* Qui cuncta solus ordinans semper miseretur et comodat, vineam quam transtulit miseratus populo ex Egipto operariis voluit coli fidelibus, et ministris fidelitatis nitore pollentibus custodiri, ne apri de silva ferox aviditas ipsam depasci valeat, vel eam nudatam maceria manus vindemiet predatoris. Quare nos, quibus licet immeritis summus ipse Paterfamilias vineam ipsam custodiendam commisit, sedulis nimirum pulsamur vigiliis, id quoque desideranter exposcimus, id gliscimus supra cuncta, ut in ipsa fidis cultorum studiis, surculis que sunt infidelitatis succisis, palmites ejus exhuberent fructibus, et propagines dulcedinis latius extendantur. Unde non immerito pungimur, cum in exterminium ejusdem vinee aculei consurgunt errorum botros ejus in labruscas convertere infra latibulum nequitie satagentes. Verum hujusmodi aculei proh dolor! in locis aliquibus mentes aliquorum fidelium vulnerarunt; et prout crebra insinuatione audivimus, et interdum experimento didicimus veritatis, infra civitatem Viterbiensem nondum totaliter exterminati supersunt; licet ad reprimendum errores hujusmodi, dum minori fungebamur officio, et curam generalis inquisitionis pravitatis heretice per sedem apostolicam gerebamus, studia nostra, sollicitudines converterimus et labores; quod nec mirum eo magis invite referimus, quo civitatem ipsam specialiter infra claustrum matris Ecclesie constitutam ferventius cupimus talibus erroribus expiari, et expiatam reflorere virtutibus, et abolita nota dampnabili clarius in catholice fidei soliditate vigere, ut unde interdum amaritudinis poma gustavimus, fructus dulcedinis Deo placidos colligamus.

Eidem itaque civitati et Viterbiensibus civibus, qui de civitate ipsa traxerunt originem, et degentes ibidem in ea et ejus districtu majorem partem suorum bonorum obtinent, et inter alios successive processu temporis ad supportanda ejusdem civitatis onera computantur, ac etiam aliis natione forsitan aliunde, qui hactenus cum suis familiis elegerunt in civitate predicta perpetuam mansionem, ita quod Viterbienses cives legitime censeantur, et ad omnes actus predicte civitatis in gradu suo sicut alii admictuntur, nec de ipsorum accessu vel discessu possit verisimiliter dubitari, ex debito pastoralis officii, qui omnium zelamur salutem, quodam pietatis affectu non compati eo strictius nequeuntes, quo eos nobis longa et familiaris conversatio plenius reddit notos; et intendentes mansuetudinis gratia experiri benignius, utrum residuum erroris ejusdem licore paterne gratie, temperato rigore, juxta nostra desideria extinguere ad laudem divini nominis valeamus; et confidentes in Domino, quod hujusmodi nostre dispositionis affectus tue sollicitudinis ministerio salutarem consequetur effectum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus predictis civibus preconia voce ac alias sollempniter et publice convocatis, et coram te denique constitutis juxta datam a Deo tibi gratiam, salutis verbo proposito omnibus ex eisdem civibus, qui extiterint hujusmodi crimine involuti credendo haereticorum erroribus, illis favendo vel eos etiam receptando, aut alias eis in depressionem catholice fidei adherendo, aut dando eis publice vel occulte consilium, auxilium vel favorem, trium mensium terminum a tempore publicationis presentium computandum peremptorie prefigas eisdem, infra quem suum spontanei confiteantur reatum, ad quod tanta talium multitudo esse, ac tam humilis ac pura confessio apparere poterunt, quod tempus hujusmodi consideratis que consideranda sunt in talibus esset merito adaugendum. Et ut ex hujusmodi confessione spontanea misericordie janua facilius aperiatur ad gratiam, et exinde pene mitigatio merito subsequetur, volumus quod illos, contra quos occasione hujusmodi criminis ad citationem, vocationem vel alias etiam processum non est sive ex habita quavis inquisitione, vel aliquorum depositione seu confessione, aut ex quibuscunque inquisitionis processibus contra eos inveniretur vel tangeretur aliquid, sive non, qui infra dictum terminum reatum suum humiliter tibi, vel alii aut aliis tui vel alterius ordinis, de quibus videris expedire, et quem vel quos ad id duxeris eligendos, super quo tibi et eis auctoritate presentium licentiam impertimur, confitebuntur, et plene aliosque bona fide detexerint, quos noverint hujusmodi crimine irretitos, sive decesserint, sive vivant, ad sua bona plene restituas; etiam si occasione propriorum delictorum publicata essent de jure, vel per sententiam hominis publicanda, dum tamen nondum sint per sententiam hominis publicata, quod de bonis suis testari, ac aliis, quibus possit de jure succedi ex testamento vel ab intestato legitime succedere valeant libere permissurus; et eorum posteritates a penis

indictis absolvas, predictis sic confessatis absque crucis vel carceris aut alterius notabilis signi impositione; alias tamen injuncta eis penitentia salutari, et pena alia competenti, de misericordia, que superexaltat judicium, prius ad ecclesie unitatem admissis.

Super restitutione vero ad famam et alios legitimos actus supersedeas ad presens; nam super hoc secundum qualitatem confitentium et signa conversionis et penitentie, que ostendent, poterit per sedem apostolicam dante Domino provideri. Si vero pretextu delicti alterius persone bona, que tenent, essent publicata de jure vel etiam publicanda, super hoc nostrum beneplacitum requiratur. Illorum insuper qui suum vel alienum hactenus reatum sunt minus plene confessi, sive citati vel vocati fuerint hactenus, sive non, et infra eundem terminum reatum suum humiliter confitebuntur, et plene aliosque bona fide detexerint, quos noverint hujusmodi crimine irretitos, sive decesserint, sive vivant, admictatur confessio, et super bonis, que tenent, sive ratione propriorum delictorum sint publicata de jure, sive per sententiam hominis publicanda, dum tamen, ut supra dictum est, per hominem super bonorum hujusmodi confiscatione processum non fuerit, quoquomodo nostrum beneplacitum requiratur. Volumus insuper, ut si qui se dixerint hactenus de hujusmodi crimine plene confessos, et infra terminum gratie supradictum voluerint iterando confessionem hujusmodi humiliter persistere in eadem, et detexerint bona fide alios, quos noverint hujusmodi crimine irretitos, et ratione propriorum delictorum ad confiscationem bonorum, que tenent, per hominem quoquomodo processum non est quantum libet ipsa bona ratione delictorum hujusmodi propriorum sint publicata de jure, vel per hominem publicanda, super eis nostrum beneplacitum requiratur. Provisurus attentius quod in omnibus casibus, in quibus beneplacitum nostrum requiri precipimus, non intromictas te quasvis penas imponere; donec, sicut predicitur, nos requisiveris super illis, et nos in premissis tibi contigerit respondere. Premissos autem gradus, quos in predictis observandos esse cum multa deliberatione providimus, clare ac distincte intelligi volumus, et per omnia observari : tanta enim sic prompta et laudanda poterit predictorum esse confessio, quod ampliorem erga eos gratiam extendemus; sed in istis gratiosis primordiis experiri decrevimus in illis, qualiter ad factas et faciendas eis gratias se coaptent. Quod si ad penas pecuniarias per te contra tales, vel eorum aliquos in casibus, in quibus juxta formam premissam fieri poterit, procedi contigerit, attente provideas, quod pecunia hujusmodi penes unum Predicatorum a priore, et unum Minorum a guardiano fratrum ordinum et eorum conventibus, unum clericum a venerabili fratre nostro .. episcopo et capitulo, et unum civem a communi Viterbiensi electos, quibus eodem modo alios substitui volumus, si eos vel eorum aliquos abesse contingeret vel deesse, in loco vel locis tutis sic provide sub eorum communi custodia deponatur, quod de dicta pecunia non fiat illa divisio, que secundum constitutiones apostolicas de tali pecunia fieri consuevit; nec ad manus tuas vel cujuscunque inquisitoris deveniat, sed libere ad mandatum nostrum possit haberi; cum nostre intentionis existat, quod eadem pecunia in pios usus et pietatis opera in eadem civitate vel ejus districtu, sicut et quando expedire viderimus, convertatur. Reservata nobis et tibi plenaria potestate ac libera facultate, ut si tales repperiri possint in confessione sua per te vel alium aut alios auctoritate presentium recipienda, ut predicitur, ecclesiam decipere voluisse, utpote quia ultra ea, que sic confessi fuerint inveniretur eos in hereseos crimine antea notabiliter deliquisse; aut, quod absit, in ipso crimine in posterum delinquerent, vel fidem catholicam impugnarent; seu inquisitionis contra hereticos officium impedirent, seu penitentiam sive penas eis propter hoc impositas vel imponendas malitiose seu culpabiliter non servarent; vel aliquis de liberis seu posteritate ipsorum in hereseos crimine deliquerit hactenus, vel delinqueret in futurum, aut impugnaret fidem catholicam, seu dictum officium impediret; tam nos quam tu predictos tales, ipsorum liberos et posteritatem ex culpis suis preteritis, quas non confitebuntur, si invenirentur, vel futuris. Illum vero, vel illos de liberis seu posteritate sua, ex eo quod appareret commisisse hactenus, vel commicterent in futurum quo ad se et suam posteritatem absolute et libere, prout nobis placuerit, vel tibi juxta formam in talibus traditam expedire videbitur, punire possimus, et etiam ex culpis predictis, pro quibus jam puniti fuerunt, ac si cum ipsis non fuisset actum misericorditer super illis ad aliarum penarum impositionem procedere libere valeamus, prout videbitur procedendum, etiam si culpe ipsorum preterite, per quarum occultationem decepissent ecclesiam, vel future; nec non et illius vel illorum de dictis liberis et posteritate culpe praeterite vel future ex sui qualitate ad tantam penarum acerbitatem per se sufficere minime viderentur. Non obstantibus processibus circa eos habitis et habendis, et declaratione, expressione ac penarum relaxatione, et aliis supradictis.

Per premissa autem vel aliquod premissorum nullam inquisitori vel inquisitoribus heretice pravitatis a sede apostolica in illis partibus deputatis vel imposterum deputandis, seu quibuscunque aliis, quibus hoc

de jure competeret, adimimus potestatem; quin potius illam reservamus expresse contra infectos labe hujusmodi juxta formam in talibus traditam procedendi; salvis tamen hiis, que superius exprimuntur, que in sua volumus semper stabilitate persistere; nec gratie concesse per nos gratioso effectu privari; et fiant ad perpetuam memoriam super premissis omnibus publica instrumenta. Si vero aliqui in hujusmodi feda voluerint inimici hominis suggestione fece putrescere, et suum reatum, ut premittitur, infra premissum terminum contempserint confiteri, tu extunc cessante omnino spe remissionis et gratie, contra eos procedas juxta formam contra respersos hujusmodi crimine tibi ab Apostolica Sede concessam, ut quos perfusio salutaris non mollit ad gratiam consequendam ordinata, in eos rigoris justitie justa severitas vel compescat a scelere vel justis aculeis feriat obstinatos. Rescripturus nobis clare ac distincte per tuas litteras harum seriem continentes quidquid in premissis duxeris faciendum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus maii, anno secundo. »

491 Saint-Pierre, 18 février 1279.

Collectoribus decime in regno Anglie mandat quatinus ab exactione decime desistant pensionis, in qua monasterium S. Oswaldi de Nostett priorisse et conventui monialium inclusarum monasterii S. Xisti de Urbe tenetur. (Fol. 145; an II, nº 85.)

« .. *Collectoribus decime concesse Terre Sancte subsidio in regno Anglie a sede apostolica deputatis.* Sua nobis dilecte in Christo filie .. priorissa et conventus monialium inclusarum monasterii Sancti Xisti de Urbe ordinis Sancti Augustini secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventes petitione monuerunt quod licet felicis recordationis G. papa X predecessor noster universis priorissis et conventibus sororum inclusarum monasteriorum predicti ordinis Sancti Augustini secundum instituta premissa viventibus per suas litteras duxerit concedendum ut de fructibus, redditibus et proventibus suis ecclesiasticis solvere decimam in generali concilio Lugdunensi Terre Sancte subsidio deputatam minime teneantur, ac nichilominus districtius inhibuerit ne quis pretextu ejusdem decime aliquid ab ipsis vel monasteriis earum seu quibuscunque aliis pro eis aut dictis monasteriis exigere vel extorquere presumat, vos tamen a priore et canonicis monasterii Sancti Oswaldi de Nostett predicti ordinis Sancti Augustini Eboracensis diocesis de pensione annua quinquaginta marcarum sterlingorum, in qua priorisse et conventui tenentur eisdem, contra hujusmodi tenorem indulti exigitis pro vestre libito voluntatis et eam nichilominus sequestratis in ipsarum priorisse et conventus ac dicti monasterii Sancti Xisti prejudicium et gravamen. Quare dicte priorissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita ab exactione predicte decime ipsius pensionis penitus desistentes, sequestrum hujusmodi relaxare curetis, dictos priorem et canonicos quominus eandem pensionem dictis priorisse et conventui integre persolvere valeant impedire nullatenus presumendo. Ita quod dictas priorissam et conventum non oporteat super hoc ab apostolica sede aliud remedium implorare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XII kalendas martii, anno secundo. »

492 Saint-Pierre, 23 mars 1279.

Abbati monasterii Case Dei, Claromontensis diocesis, mandat quatinus non permittat decanum et capitulum ecclesie Lugdunensis ab aliquibus indebite molestari, contra tenorem ordinationis ipsis a Gregorio papa decimo concesse et confirmate. (Fol. 145; an II, nº 86.)

« .. *Abbati monasterii Case Dei Claromontensis diocesis.* Sua nobis dilecti filii .. decanus et capitulum ecclesie Lugdunensis petitione monuerunt quod felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster, intellecto quod statutum erat in eadem ecclesia juramento vallatum ut tam personatus et dignitates in eadem ecclesia obtinentes et canonici quam alii beneficiati et beneficiandi ejusdem ecclesie, qui terras, possessiones et obedientias aut redditus et proventus ipsius ecclesie in portionibus sibi assignatis a dictis decano et capitulo vel etiam assignandis per quascunque divisiones sub annuo censu seu refusionibus certe pecunie bladi seu cujuslibet alterius rei obtinent, pro pagamentis que paia vulgariter nuncupatur, refectoriis anniversariis fabrice dicte ecclesie ac elemosinis faciendis ab eis, nisi censum et refusionem hujusmodi sine cujuslibet rei recompensationis obstaculo statutis ad hoc terminis annuatim persolverent, certas propter hoc penas incurrerent, que in statuto hujusmodi exprimuntur, et quod si illi, quos in hujusmodi penas incidere contingeret, eas subire nollent, in eadem ecclesia divine laudis suspenderentur organa non sine gravi scandalo plurimorum, predictum statutum volens eo excepto quod de suspensione organorum ipsorum in eodem continetur in posterum observari, illud per suas litteras confirmavit. Et ut statutum ipsum robur obtine-

ret perpetue firmitatis adjiciendo quedam super hoc duxit auctoritate apostolica statuenda ac etiam confirmanda, prohibuit tamen ne de cetero premissorum occasione divinarum laudum suspenderentur sollempnia in ecclesia memorata, prout in litteris dicti predecessoris super hoc confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque dictorum decani et capituli supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus eisdem decano et capitulo super premissis presidio efficacis defensionis assistens, non permictas ipsos contra tenorem prefate ordinationis ab aliquibus indebite molestari. Molestatores, etc. usque compescendo. Attentius provisurus ne de hiis que cause cognitionem exigunt et que prefatam ordinationem non contingunt te aliquatenus intromictas. Nos ergo si secus presumpseris tam presentes litteras quam etiam processum quem per te illarum auctoritate haberi contigerit omnino carere viribus ac nullius fore decernimus firmitatis. Hujusmodi ergo mandatum nostrum sic prudenter et fideliter exequaris, ut ejus fines quomodolibet non excedas, presentibus post triennium minime valituris. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, x kalendas aprilis, anno secundo. »

493 Saint-Pierre, 5 février 1279.

Episcopo Suessionensi mandat quatinus cum Thoma de Busentiaco, familiari regis Sicilie, et Agnete, qui quarto consanguinitatis gradu conjuncti matrimonium tamen contraxerunt, dispensare curet, recepto ab ipso Thoma juramento de transfretando in Terram Sanctam, tempore primi generalis passagii. (Fol. 145 v°, an II, n° 87.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Suessionensi.* Dilectus filius nobilis vir Thomas de Busentiaco familiaris carissimi in Christo filii nostri C. regis Sicilie illustris et nobilis mulier Agnes uxor ejusdem Thome Suessionensis diocesis nobis significare curarunt quod iidem Thomas et Agnes ignorantes quod alicujus consanguinitatis linea sibi adimvicem attinerent, de voluntate, consensu atque tractatu parentum et quam plurium consanguineorum et amicorum suorum communium matrimonium in facie ecclesie, bannis prius publice propositis, ut moris est, per unum mensem singulis diebus dominicis et festivis nulloque super hoc impedimentum aliquod opponente, per verba de presenti adinvicem contrahentes in matrimonio sic contracto per longi temporis spatium permanserunt. Demum autem ad eorum pervenit notitiam quod quarto sint gradu consanguinitatis convincti. Quare dicti nobiles nobis humiliter supplicarunt ut cum impedimentum consanguinitatis hujusmodi adeo sit occultum quod vix credatur illud posse probari nullusque prefatum impedimentum consanguinitatis hujusmodi obiciat nec exinde aliquod scandalum sit exortum et ex separatione dicti matrimonii si eam contingeret fieri graves dissentiones et inimicitie diversaque scandala et pericula provenirent, dispensare cum eis quod impedimento non obstante predicto in eodem matrimonio licite valeant remanere, prolem si quam susceperint legitimam decernendo, maxime cum dictus Thomas paratus sit in primo generali passagio in Terre Sancte subsidium signo vivifice crucis assumpto personaliter proficisci, de benignitate apostolica curaremus. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tua per apostolica scripta mandamus quatinus inquisitione super premissis prehabita diligenti, si predicta omnia que narrantur inveneris esse vera, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum prefatis Thoma et Agnete super hoc juxta hujusmodi eorum petitionem auctoritate nostra dispenses et recepto ab eo juramento de transfretando ut offert, in eum tempore dispensationis hujusmodi excomunicationis sententiam auctoritate nostra promulges, nisi hujusmodi signo suscepto votum suum in dicto passagio ad ejusdem terre subsidium efficaciter prosequatur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis februarii, anno secundo. »

494 Saint-Pierre, 17 avril 1279.

Eisdem mandat quatinus cum Willelmo de Castellario, fratre Petri archiepiscopi Tarentasiensis et Katerina nata Theobaldi de Chor, pro matrimonio inter ipsos contracto, dispensare ac prolem ipsam legitimam nuntiare curent. (Fol. 145 v°; an II, n° 88; Potthast 21566.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Augustensi et dilectis filiis .. abbati Altecumbe Cisterciensis ordinis et .. guardiano fratrum Minorum de Cambariaco Gebennensis et Gratianopolitane diocesum.* Exhibita nobis dilecti —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kalendas maii, anno secundo. »

495 Saint-Pierre, 14 mai 1279.

Monasterio S. Germani de Pratis, cujus provisionem post varias discussiones sibi reservavit, Raymundum tunc priorem de Cyriaco Mimatensis diocesis in abbatem preficit. (Fol. 146; an II, n° 89.)

« *Raymundo abbati monasterii Sancti Germani de Pratis*

Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti. Super electione sua. Debitum officii nostri —. Sane vacante dudum monasterio Sancti Germani de Pratis Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis Sancti Benedicti per resignationem liberam fratris Gerardi tunc abbatis nunc monachi, ejusdem monasterii conventus ipsius monasterii a carissimo in Christo filio nostro .. rege Francorum illustri, prout de consuetudine fore asseritur hactenus observatum, eligendi licentia postulata et vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, certa die ad eligendum prefixa convenientes in unum Spiritus Sancti gratia invocata fratrem Johannem de Verneto priorem de Gilliaco quasi per viam inspirationis ut dicitur elegerunt, sed immediate ad sonum campane conventu revocato predicto ad aliam electionem per viam scrutinii procedentes, cum essent septuaginta quatuor numero computato quodam ejusdem monasterii monacho qui dicitur fuisse comtemptus, tres scrutatores ordinarunt ex eis qui vota sua et aliorum etiam scrutarentur, quibus vota ipsa scrutantibus tandem compertum est quod triginta quatuor ex predictis conventu eundem priorem, de reliquis vero conventus ejusdem triginta et sex numero Johanne Capasino monaco ejusdem monasterii, qui variando a voto quem in Johannem ejusdem monasterii camerarium direxerat ante scrutinii publicationem recessit, non computato, eundem Johannem camerarium in eorum abbatem in discordia elegerunt. Negotio itaque hujusmodi ad apostolicam sedem deducto super illo coram nobis diversi habiti sunt processus. Et quia predictas electiones, de dicto priore primam videlicet non per inspirationem, quia in illa consensus omnium non advenit, diversis etiam tractatibus concurrentibus in eadem, et reliquam cui non apparet quod dictus Johannes Capasini, qui a voto quem in ipsum camerarium primo direxerat ante publicationem eandem dicitur recessisse, legitime consenserit, cum debitum eligentium numerum non haberet, etiam si tres ex aliis eligentibus dictum camerarium prout petierant procuratores dictorum eligentium dictum priorem coram nobis in judicio exclusissent, per dictos triginta quatuor taliter factas invenimus minus canonice celebratas, non vitio persone cassavimus, sed justitia exigente; sicque dicta electione facta de dicto camerario sub apostolico examine remanente, cum interim procuratores eligentium dictum camerarium cujus electio completum necessarium numerum non attigit de eligentibus dictum priorem excludere niterentur, dum super hoc variis discussionibus tractaretur, idem camerarius volens sue saluti consulere, ac monasterium ipsum a dispendiis preservare ne occasione sui quevis incurreret detrimenta, jus quod sibi ex electione hujusmodi competebat libere in nostris manibus resignavit. Nos autem hujusmodi resignatione recepta provisionem predicti monasterii ea vice nobis duximus reservandam et tandem de ipsius monasterii ordinatione utili et salubri, ne prolixioris dispendia vacationis incurreret, cogitantes et attendentes laudabile testimonium quod tibi de honestate morum et conversatione vite laudabilis perhibetur, te tunc priorem de Cyriaco Mimatensis diocesis de fratrum nostrorum consilio prefato monasterio Sancti Germani preficimus in abbatem tibique tandem per venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Portuensem fecimus munus benedictionis impendi firmam spem fiduciamque —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II idus maii, anno secundo. »

In e. m. conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis.

In e. m. universis vassallis monasterio Sancti Germani de Pratis Parisiensis.

In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Francorum illustri. Dat. ut supra.

496 Saint-Pierre, 15 mai 1279.

Ecclesie Neucastrensi, cum Robertus, qui pro episcopo se gerebat in eadem, in qua symoniacum habuerat ingressum, libere honori cesserit, Tancredum de Montefusculo, fratrem ordinis Minorum professorem in episcopum preficit. (Fol. 147; an II, n° 90; Potthast 21580.)

« *Venerabili fratri Tancredo de Montefusculo episcopo Neucastrensi. Super electione sua.* Militanti ecclesie —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum idibus maii, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Neucastrensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Neucastrensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Neucastrensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Neucastrensis.

In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Sicilie illustri. Dat. ut supra.

497 Saint-Pierre, 25 mai 1279.

Johannem episcopum Chymensem in ecclesiam Gurcensem transfert. (Fol. 147 v°; an II, n° 91; Potthast 21585.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Gurcensi.* Romani

Pontificis quem pastor ille —. Ecclesia siquidem Gurcensi dudum per obitum bone memorie Ditrici Gurcensis episcopi solatio destituta pastoris, dilecti filii .. prepositus, .. decanus et capitulum ipsius ecclesie vocatis venerabili fratre nostro .. archiepiscopo Salseburgensi loci metropolitano, et omnibus aliis qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa insimul convenerunt, et eodem archiepiscopo tres nominante personas, ut iidem prepositus, decanus et capitulum unam ex illis assumerent juxta quandam ordinationem inter partes dudum super hoc initam, prout in apostolico privilegio super hoc confecto dicitur contineri. Dictus prepositus, decanus et capitulum discordie materiam evitantes, in eundem archiepiscopum compromittere ac sibi commictere concorditer curaverunt, ut ipse vice sua et aliorum omnium, ea vice in futurum salvo dicto privilegio remanente, predicte Gurcensi ecclesie per electionem canonicam provideret, vel ad ipsius ecclesie regimen personam utilem et ydoneam postularet, et illam eis nominaret vel exprimeret, per eos communiter postulandam ab eo a quo de jure postulari deberet. Sicque dictus archiepiscopus hujusmodi compromisso ac commissione receptis, deliberatione habita diligenti, et habens pre oculis solum Deum, te tunc episcopum Chymensem in Gurcensem episcopum dictis preposito, decano et capitulo nominavit ad regimen ecclesie predicte a sede apostolica postulandum, ad quam nominationem votis prepositi, decani et capituli concurrentibus eorundem, illam predicti archiepiscopus, prepositus, decanus et capitulum admitti a nobis humiliter postularunt. Nos autem attendentes quod an processus hujusmodi sit admittendus ut canonicus vel ut indebitus reprobandus discussionem longiorem requireret propter modum juxta quem procedendum sit in provisione ipsius Gurcensis ecclesie ex conventionibus olim habitis inter archiepiscopum ipsum et capitulum supradictos, ac ordinatione seu confirmatione sedis apostolice que super hoc processisse dicuntur, ne ipsam Gurcensem ecclesiam diutius vacare contingeret in sui dispendium et jacturam, discussione ac indagine hujusmodi et pronuntiatione super justitia vel injustitia processum eorundem omissis ad viam compendii salubris videlicet ordinationis, de fratrum nostrorum consilio et nostre potestatis plenitudine, fios duximus convertendos, et considerantes postmodum quod in te vota predictorum archiepiscopi, prepositi, decani et capituli concurrerunt, et quod tu sicut fide dignorum testimonio accepimus in commisse tibi Chymensis ecclesie regimine prudenter ac utiliter te gessisti, et merito sperantes quod salubri continuato proposito, predictam Gurcensem ecclesiam laudabiliter et salubriter in spiritualibus et temporalibus gubernabis; te a vinculo quo eidem Chymensi ecclesie tenebaris absolvimus, teque absolutum eidem Gurcensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio ac plenitudine potestatis eisdem in episcopum preficimus et pastorem, plenam tibi et liberam concedentes licentiam te ad ejusdem (*sic*) Gurcensis ecclesie transferendi. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus apostolicis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas maii, anno secundo. »

In e. m. .. preposito, .. decano et capitulo Gurcensibus.

In e. m. clero civitatis et diocesis Gurcensium.

In e. m. populo civitatis et diocesis Gurcensium.

In e. m. universis vassallis ecclesie Gurcensis. Dat. ut supra.

498 Saint-Pierre, 27 avril 1279.

Abbati monasterii S. Victoris Massiliensis indulget ut pontificalibus insigniis, prout ipsius nonnulli predecessores usi sunt, libere uti possit. (Fol. 148 v°; an II, n° 92.)

« *Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancti Victoris Massiliensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti.* Petitio tua nobis exhibita continebat quod nonnulli monasterii tui abbates, qui fuerunt pro tempore mitra et anulo ac aliis insigniis pontificalibus usque ad tempus quondam G. de Gredona, ejusdem monasterii abbatis, cui tu immediate succedis, usi fuerunt a tempore cujus memoria non existit, credentes hec sibi ex concessione apostolice sedis licere. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum, sicut asseris, ejusdem sedis concessio abbatibus ejusdem monasterii facta dumtaxat super usu mitre et anuli predictorum appareat nec super aliis insigniis valeat repperiri ac episcopalis jurisdictio in tota valle de Tritis ad te pertinere noscatur, quam tam per te quam officium tuum nosceris exercere, providere super hoc paterna diligentia curaremus. Nos itaque volentes persone tue in hac parte gratiam facere specialem, ut premissis veris existentibus quamdiu vixeris et monasterio prefueris memorato, predictis pontificalibus insigniis super quorum usu facta tibi, seu prefatis predecessoribus a predicta sede concessio, ut premittitur, minime repperitur prout iidem predecessores usi sunt hactenus libere in posterum uti possis, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo, etc. nostre concessionis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V kalendas maii, anno secundo. »

499 Saint-Pierre, 24 avril 1279.

Episcopo Pragensi mandat quatinus inquisita diligentius veritate super rixa et morte malefactoris cujusdam, de quibus Buccobitius presbiter accusatur, si narrationem ipsius veram esse invenerit, ipsum denuntiet irregularitate aliqua propter premissa non teneri. (Fol. 148 v°; an II, n° 93; Potthast 21569.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Pragensi.* Petitio dilecti filii fratris Buccobitii presbiteri monachi monasterii Cladurbensis ordinis Sancti Benedicti tue diocesis, latoris presentium, nobis exhibita continebat, quod cum olim quidam iniquitatis filii ad predictum Cladurbense monasterium armata manu hostiliter accedentes, bona ipsius monasterii vellent nequiter asportare, idem monachus, quibusdam ipsius monasterii servitoribus associatis de sui abbatis mandato sub cujus erat obedientia constitutus, ad locum unde dicti malefactores bona recipere intendebant accessit, et mota hinc inde discordia, servitores monasterii qui cum monacho predicto convenerant, quemdam ex ipsis malefactoribus taliter vulnerarunt ibidem, quod post unam ebdomedam vulneratus dicitur expirasse, eodem monacho in mortem seu lesionem ipsius, verbo, signo, voluntate seu facto non dante ad hoc opem vel operam, consilium, auxilium seu favorem, nisi quia, prout premittitur, cum predictis servitoribus de sui abbatis accessit mandato ad defendendum monasterii sui bona; ceterum quia nonnulli vas nitentes incrustare sincerum, interdum calumpnie tenebris lucem veritatis obnubilant, supplicavit nobis humiliter, non conscientie sue, quam se super hoc proponit habere sinceram, sed fame que de facili corruptioni subicitur, dum a detrahente mordetur, per sedem apostolicam provideri. Quia vero de facto et facti circumstantiis tu habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super premissis diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, denunties ipsum, propter premissa, irregularitate aliqua non teneri, dummodo aliud canonicum non obsistat. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas maii, anno secundo. »

500 Saint-Pierre, 20 mai 1279.

Octavianum de Branca, canonicum Eugubinum, monasterio S. Petri ad Aram Neapolitano in abbatem preficit. (Fol. 149; an II; n° 94.)

« *Dilecto filio Octaviano de Branca abbati monasterii Sancti Petri ad Aram Neapolitani ordinis Sancti Augustini. Super promotione sua.* Militanti ecclesie disponente —. Dudum siquidem monasterio Sancti Petri ad Aram Neapolitano ordinis Sancti Augustini per mortem quondam Arnulphi abbatis ipsius monasterii pastoris solatio destituto et diversis electionibus in dicto monasterio per ipsius canonicos celebratis ac variis processibus tam super hujusmodi electionibus quam super provisione facienda ibidem de substitutione abbatis habitis, quia et electiones et processus hujusmodi finaliter non habuerunt effectum, propter hoc prefatum monasterium longo tempore remansit abbatis regimine destitutum. Nos igitur paterna meditatione pensantes, quod idem monasterium propter hujusmodi prolixam vacationem ipsius in spiritualibus et temporalibus gravia super quibus interno affectu sibi compatimur pertulit detrimenta et propter hoc de ipsius ordinatione utili et salubri ne prolixioris vacationis pretextu graviora quod absit incurrat dispendia in utrisque sollicite cogitantes ac denique attendentes laudabile testimonium quod tibi de honestate morum et conversatione vite laudabilis perhibetur, te tunc canonicum Eugubinum prefati ordinis, professorem de fratrum nostrum consilio eidem monasterio proficimus in abbatem, firmam spem fiduciamque tenentes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XIII kalendas junii, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii Sancti Petri ad Aram Neapolitani ordinis Sancti Augustini. Militanti etc. Quocirca universitatem vestram monemus etc. — Dat. ut supra.

501 Saint-Pierre, 1er janvier 1279.

Johanni episcopo, ab ecclesia Gadicensi ad Egitaniensem translato, cum ecclesie Egitaniensis pacificam possessionem habere nequiverit, propter generalem perturbationem regni Portugallie, inter prelatos et regem exortam, curam et administrationem ecclesie Gadicensis, sicut ante translationem, usque ad sue beneplacitum voluntatis, dum res ita versentur, committit. (Fol. 149; an II, n° 95; Potthast 21589.)

« *Johanni episcopo Egitaniensi.* Vacante dudum Egitaniensi —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis januari, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Gadicensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Gadicensis.

In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Castelle ac Legionis illustri. Dat. ut supra.

502 Saint-Pierre, 13 mai 1279.

Infrascriptis mandat quatinus monasterio S. Florentii Auximano personam ydoneam in abbatem preficiant, ac tot novos monachos instituant, quot ipsis expedire videbitur, juxta monasterii facultates. (Fol. 149 v°; an II, n° 96; Potthast 21579.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Auximano, et dilecto filio B. Marchie Anconitane rectori.* Olim, sicut accepimus, negotio electionis de Johanne monacho monasterii Sancti Florentii Auximani ordinis Sancti Benedicti, qui tunc pro abbate ipsius monasterii se gerebat, a conventu ejusdem monasterii celebrate, per appellationem Victoris monachi dicti monasterii se electioni hujusmodi opponentis ad apostolicam sedem delato, dum negotium ipsum inter eosdem Johannem et Victorem ventilaretur coram venerabili fratre nostro Rolando de Parma episcopo Spoletano tunc capellano sedis predicte, ac causarum palatii apostolici generali auditore, qui dictum negotium susceperat audiendum, idem auditor ad petitionem prefati Victoris certas pecunie quantitates pro expensis ad prosecutionem dicti negotii necessariis, de bonis dicti monasterii eidem Victori exhibendas fore decrevit, prout in instrumento publico inde confecto, dicti auditoris sigillo signato plenius dicitur contineri, felicis quoque recordationis Johannes papa XXI^us^ predecessor noster dilecto filio .. archipresbitero Firmano suis sub certa forma dedit litteris in mandatis, ut prefatas expensas de jam dictis bonis memorato Victori juxta instrumenti predicti tenorem faceret exhiberi, qui in prelibatum Johannem ac nonnullos alios monachos et conversos dicti monasterii, et etiam quamplures laicos aliqua de bonis dicti monasterii detinentes Auximane civitatis et diocesis, quia impediebant quominus secundum formam mandati apostolici expense hujusmodi solverentur, excommunicationis et tandem in dictum monasterium interdicti sententias promulgavit in omnes illos qui prefatis monachis in hoc prestarent auxilium vel favorem similem excommunicationis sententiam proferendo. Postmodum autem predicto Johanne sponte cedente juri, si quod ei ex electione predicta fuerat acquisitum, quidam fratres de ordine fratrum Predicatorum laicali fulti potentia dictum monasterium occuparunt, quos demum venerabilis frater noster .. episcopus Tusculanus, quem in causa quam super hoc dictus Victor et quidam alii ejusdem monasterii monachi contra prefatos fratres moverunt deputavimus auditorem, ab eodem monasterio duxit sententialiter ammovendos. Cum autem predictum monasterium ad presens abbatis destitutum regimine ac solito monachorum numero defraudatum, et alias in spiritualibus et temporalibus adeo collapsum fore dicatur quod nisi apponatur super hoc per providentiam sedis apostolice remedium oportunum irreparabile poterit idem monasterium incurrere detrimentum, nos volentes in hac parte ipsi monasterio paterna diligentia subvenire, ac de vestra circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus habentes pre oculis solum Deum, preficiatis ipsi monasterio personam ydoneam in abbatem, ac tot viros ydoneos instituatis in monachos in eodem quot instituendos fore videbitis juxta ipsius monasterii exigentiam facultatum, facientes insuper predicto Victori memoratas expensas secundum predictarum litterarum prefati predecessoris continentiam exhiberi, predictas excommunicationis et interdicti sententias juxta formam ecclesie relaxetis. Contradictores etc. usque compescendo. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III idus maii, anno secundo. »

503 Saint-Pierre, 27 avril 1279.

Infrascriptis concedit ut in suo monasterio quedam officia, auctoritate apostolica, statuere ac ordinare possint. (Fol. 150; an II, n° 97.)

« .. *priori et conventui monasterii de Chyriaco per priorem soliti gubernari ordinis Sancti Benedicti Mimatensis diocesis.* Ex parte dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Sancti Victoris Massiliensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti fuit propositum coram nobis, quod licet monasterium vestrum per priorem solitum gubernari dicto monasterio Sancti Victoris immediate subjectum, quod felicis recordationis Urbanus papa secundus predecessor noster propriis manibus consecravit quodque tam ipse quam plures alii predecessores nostri Romani Pontifices nonnullis privilegiis et libertatibus dotaverunt honorabile plurimum habeatur, in eo tamen amministrationes seu officia sibi congruentia non existunt. Nos ergo dictorum abbatis et conventus supplicationibus incliti presentium vobis auctoritate concedimus, ut in eodem monasterio vestro, dummodo ipsorum abbatis et conventus, necnon diocesani vestri et vester comuniter ad id accedat assensus, tria officia videlicet dispensatoriam, camerariam et infirmariam auctoritate nostra statuere possitis ac etiam ordinare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V kalendas maii, anno secundo. »

504 Saint-Pierre, 31 mai 1279.

Episcopo Spoletano mandat quatinus monasterium S. Salvatoris Reatini visitet, et in eo inquisitionis ac correctionis officium exerceat. (Fol. 150; an II, nº 98.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Spoletano.* Licet cunctarum ecclesiarum —. Olim siquidem dum essemus in minori officio constituti, et etiam postquam fuimus disponente Domino ad apicem summi apostolatus assumpti, pluria inconvenientia de statu monasterii Sancti Salvatoris Reatini, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti ac personis in eo degentibus ad nostram audientiam pervenerunt. Nuper quoque nobis clamosa insinuatio patefecit quod .. abbate ac conventu dicti monasterii ad invicem dissidentibus nec procurantibus prosequi que honestati ac observantie regularibus competere dinoscuntur, prefatum monasterium in spiritualibus et temporalibus adeo est collapsum quod nisi ei per sedis apostolice providentiam celeriter succurratur irreparabile incurrere potuit detrimentum. Nos igitur de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus personaliter ad monasterium ipsum accedens et habentes pre oculis solum Deum visitationis et inquisitionis ac correctionis officium in eo exerceas vice nostra, corrigendo et reformando ibidem tam in capite quam in membris que correctione ac reformatione noveris indigere, faciens quod decreveris auctoritate nostra firmiter observari. Contradictores et cetera. Non obstantibus —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II kalendas junii anno secundo. »

505 Saint-Pierre, 22 avril 1279.

Episcopo Acerrensi mandat quatinus petitionem abbatis et conventus monasterii Cavensis de proventibus prioratus S. Angeli de Nuceria Christianorum ad infirmariam monasterii tribuendis examinet, et quod expedire videbitur auctoritate apostolica largiatur. (Fol. 150 vº; an II, nº 99.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Acerrensi.* Lecta nobis dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Cavensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Salernitane diocesis petitio continebat quod cum officium infirmarie ipsius monasterii nullos omnino redditus determinatos habeat, oportuit abbates ejusdem monasterii qui fuerunt pro tempore ac eum qui nunc est de bonis camere seu mense sue monachis sive personis aliis ejusdem monasterii, quotiens illos infirmari contingit, necessaria ministrare. Unum pluries accidit quod dicti monachi et persone infirmitate gravati defectum in hujusmodi necessariis sustinuerunt hactenus et adhuc frequenter etiam patiuntur. Quare pro parte dictorum abbatis et conventus humiliter petebatur a nobis, ut cum monasterium ipsum percipiat proventus sive censum annuos triginta unciarum auri in vino, lino et pecunia consistentes in regulari ecclesia seu prioratu Sancti Angeli de Nuceria Christianorum supradicte diocesis, in qua vel quo pleno jure et immediate subjecta sive subjecto monasterio memorato idem abbas priorem instituit et destituit, ponit et exinde amovet pro sue libito voluntatis, ejusdem abbati et conventui deputandi perpetuo dictos proventus sive censum hujusmodi officio ipsius infirmarie convertendos in sustentationem infirmorum ipsorum concederemus liberam facultatem. Quia vero nobis non constitit de premissis, nos de tua circumspectione confisi presentium tibi tenore committimus quatinus vocatis .. priore et monachis ipsius prioratus Sancti Angeli ac ceteris aliis qui vocandi fuerint, si premissis veritas suffragatur et hoc fieri possit sine juris prejudicio alieni, consideratis diligenter circumstantiis universis que in hiis, super quibus tuam conscientiam onerare intendimus, fuerint attendende, dictis abbati et conventui si de comuni consensu eorundem abbatis et conventus fuerit et nichil a quoquam in contrarium rationabile ostendatur et secundum Deum expedire videris auctoritate nostra super hoc postulatam licentiam largiaris, proviso attentius quod in supradicta ecclesia seu prioratu prior et solitus monachorum aliorumque ministrorum numerus conserventur et propter hoc in suis necessariis et aliis dicti prioratus seu ecclesie oneribus debitis supportandis defectum nullatenus patiantur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis maii anno secundo. »

506 Saint-Pierre, 5 mai 1279.

L. Ostiensi episcopo mandat quatinus castrum Planetti, quod Forolivienses indebite occuparunt, sub manu sue potestatis suscipiat, Foroliviensium stipendiis custodiendum et denique monasterio S. Ylarii de Galiata restituendum. (Fol. 150 vº; an II, nº 100.)

« *Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato.* Significarunt nobis nobilis vir .. potestas .. capitaneus, anciani, consilium et commune Forolivienses, quod abbate et conventu monasterii Sancti Ylarii de Galiata ordinis Sancti Benedicti Foroliviensis diocesis proponentibus quod ipsi castrum Planetti ejusdem diocesis ad dictum monasterium pleno jure perti-

nens indebite occuparant et detinebant contra justitiam occupatum, tu eisdem dedisti tuis litteris in mandatis, ut castrum ipsum libere cessante qualibet difficultate infra certum temporis spatium restituerent abbati et conventui memoratis et demum in eos, quia parere mandato hujusmodi neglexerunt, excomunicationis et in civitatem Foroliviensem interdicti sententias promulgasti. Quare prefati potestas, capitaneus, anciani, consilium et comune nobis humiliter supplicarunt, ut cum ipsi super hiis parere mandatis ecclesie sint parati, relaxari hujusmodi sententias de benignitate sedis apostolice mandaremus. Licet igitur processus tuus super hoc habitus laudabilis censeatur, nos tamen in hac parte volentes sic equitate rigorem justitie temperare, quod mandatum tuum debito non vacuetur effectu, dictumque monasterium omnino reddamus indempne, considerantes quoque quod sicut asseritur illarum partium utilitati consulitur, si castrum ipsum impresentiarum de dubiis erectum manibus constituatur sub indubitate fidei potestate, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus predictum castrum sub manu tue potestatis suscipias per te et dilectum filium nobilem virum Bertoldum rectorem Romaniole, potestatis, capitanei, ancianis, consilii et comunis predictorum stipendiis custodiendum diligentius usque ad nostre beneplacitum voluntatis, et restituendum denique monasterio memorato, relaxaturus postquam illud receperis juxta formam ecclesie sententias antedictas. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas maii, anno secundo. »

507 Saint-Pierre, 5 mai 1279.

Eidem mandat quatinus pecuniam a Foroliviensibus in castro Meldule in prejudicium ecclesie Ravennatis exactam recipiat, rectori Romaniole tradendam, et ipsis ab exactione cessantibus sententias excommunicationis relaxare studeat. (Fol. 151; an II, n° 101.)

« *Eidem.* Significarunt nobis nobilis vir .. potestas, capitaneus, anciani, consilium et comune Forolivienses quod cum nobilis vir Bertoldus rector Romaniole pro quibusdam negotiis que pro statu illarum partium procurando pacifico ei prosequenda incumbunt, comunitatibus civitatum, castrorum, villarum et aliorum locorum earundem partium de ipsarum comunitatum assensu quamdam decrevisset imponi collectam, tandem idem potestati, capitaneo, ancianis, consilio et comuni mandavit eisdem ut Foroliviensibus ac castrorum et villarum consistentium in districtu Foroliviensi comunitatibus certam imponerent et tandem exigerent ab eis pecunie quantitatem. Cumque prefati potestas, capitaneus, anciani, consilium et comune pretextu mandati hujusmodi hominibus castri Meldule de eodem districtu quandam pro rata imposuissent pecunie quantitatem illamque exegissent etiam ab eisdem, venerabilis frater noster .. archiepiscopus Ravennas tibi exponens quod castrum ipsum spectabat ad ecclesiam Ravennatensem pleno jure, propter quod hujusmodi exactio pecunie prestande ab hominibus memoratis in prejudicium ipsius ecclesie non modicum redundabat, instantius petiit ut super hoc indempnitati ipsius ecclesie diligentius provideres. Quare tu dispendiis ejusdem ecclesie occurrere cupiens in hac parte potestati, capitaneo, consilio, ancianis et comuni prefatis tuis litteris injunxisti ut ab hujusmodi ulteriori exactione pecunie omnino cessarent et redderent jam exactam, et in eos demum quia parere mandato hujusmodi neglexerunt excomunicationis et in civitatem Foroliviensem interdicti sententias promulgasti. Quare prefati potestas, capitaneus, consilium, anciani et comune ad nostram providentiam recurrentes nostre provisionis super hoc gratiam humiliter implorarunt. Nos itaque imminentem necessitatem promotionis negotiorum que in illis partibus ingruunt et utilitatem pensantes ac propterea volentes hac vice ut procedat prestatio pecunie jam exacte, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus hujusmodi pecuniam ut premittitur jam exactam absque archiepiscopi et ecclesie Ravennatis, potestatis, capitanei, consilii, ancianorum et comunis ac hominum predictorum prejudicio recipias ad manus tuas tradendam denique memorato rectori eaque recepta dictisque potestate, capitaneo, ancianis et comuni ab exactione cessantibus memorata, sententias hujusmodi juxta formam ecclesie studeas relaxare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, ut supra. »

508 Saint-Pierre, 7 mai 1279.

Priori et fratribus ordinis Predicatorum de Urbe ecclesiam S. Maguti, olim ecclesie S. Marcelli subjectam, et nunc ab ejus jurisdictione liberam, ipsis a Jacobo S. Marie in Via Lata diacono cardinali donatam cum cimiterio et platea, ortum quoque et domos quasdam ab eodem ipsis venditos confirmat. (Fol. 151; an II, n° 102; Potthast 21573.)

« .. *priori et fratribus ordinis Predicatorum de Urbe.* Petitio vestra nobis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis maii, anno secundo. »

509 Saint-Pierre, 4 mai 1279.

Cum infrascripto dispensat ut, defectu non obstante quem

patitur de conjugato genitus et soluta, possit ad omnes ordines promoveri ac obtinere ecclesiam beneficiatam, etiam si curam habeat animarum. (Fol. 151 v°; an II, n° 103.)

« *Dilecto filio Guillelmo nato dilecti filii Petri dicti Manecti civis Romano clerico.* Illegitime genitos quos —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII nonas maii, anno secundo. »

510 Saint-Pierre, 15 mai 1279.

Matheum, abbatem monasterii S. Silvestri de Urbe, ad monasterium S. Pauli transfert. (Fol. 151 v°; an II, n° 104.)

« *Dilecto filio Matheo abbati monasterii Sancti Pauli de Urbe.* Inter nostre mentis —. Nuper siquidem monasterio Sancti Pauli de Urbe per obitum quondam Johannis ipsius monasterii abbatis pastoris solatio destituto, nos ipsius provisionem provenire celerem et felicem tanto specialius affectantes, quanto venerabilius infra claustrum venerandi altaris ipsius monasterii Sancti Pauli illius egregii totius gregis doctoris reliquie condite venerantur, cujus tuba dulcisona aures allicit, mentes instruit et sublevat in virtutes et tetras cordium cellulas luce ineffabilis eruditionis illustrat, vigilias nostras convertimus ad scrutinium personarum de quarum numero aliquam denique susciperemus auxilio divino ministro personam que meritorum splendore circumamicta Deo dilecta, nobis grata, ipsius monasterii apta utilitatibus censeretur et preconiis fragraret humanis. Propterea siquidem in personam tuam tunc ad regimen monasterii Sancti Silvestri de Urbe assumptam, quam infra scrutinium hujusmodi laudabilis discretionis industria, vite munditia, honestatis professio, fervor religionis quo incales acceptam in hac parte nostris desideriis presentarunt oculis attentionis nostre directis, absolventes te a vinculo quo tenebaris prefato monasterio Sancti Silvestri astrictus, te de fratrum nostrorum consilio prefato monasterio Sancti Pauli, ne sub nube viduitatis nubilis diutius languescat successibus, preficimus in abbatem, ad dictum monasterium Sancti Pauli transferentes eundem, firma spe —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus maii, anno secundo. »

In e. m. decano et conventui monasterii Sancti Pauli de Urbe.

In e. m. universis vassallis monasterii S. Pauli de Urbe.

511 Saint-Pierre, 27 juin 1279.

Guardiano et fratribus ordinis Minorum de Villafranca usum et habitationem loci fratrum de Penitentia concedit, proprietate ejusdem loci sedi apostolice reservata. (Fol. 152; an II, n° 105; Potthast 21618.)

« .. *guardiano et fratribus ordinis Minorum de Villafranca Elnensis diocesis.* Nuper exponentibus vobis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V kalendas julii, anno secundo. »

512 Saint-Pierre, 27 juin 1279.

Episcopo Elnensi et abbati S. Michaelis de Coxano mandat quatinus fratres ordinis Minorum de Villafranca in ejusdem loci possessionem inducant. (Fol. 152 v°; an II, n° 106; Potthast 21619.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Elnensi et dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Michaelis de Coxano Elnensis diocesis.* Exposuerunt nobis dilecti —. Dat. ut supra. »

513 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Infrascripto, nondum ad sacerdotium promoto, indulget ut ecclesiam parrochialem de Sancto Gervasio licite valeat retinere; ei mandat quatinus infra annum, cum ecclesia Pictavensis pastore vacet, a quocunque maluerit episcopo se faciat ordinari. (Fol. 152 v°; an II, n° 107.)

« *Magistro Arnaldo de Rupe acolito rectori ecclesie de Sancto Gervasio site in archipresbiteratu de Roffiaco, Pictavensis diocesis.* In nostra proposuisti presentia constitutus, quod tu qui olim triennio et amplius jam elapso post constitutionem a felicis recordationis Gregorio papa decimo predecessori nostro editam in qua cavetur ut is qui ad regimen ecclesie parrochialis assumitur infra annum se faciat ad sacerdotium promoveri, alioquin nulla monitione premissa sit eadem ecclesia ipsius constitutionis auctoritate privatus, parrochialem ecclesiam de Sancto Gervasio Pictavensis diocesis fuisti canonice assecutus, pro eo te infra annum a tempore collationis tibi facte de ipsa ecclesia non fecisti ad sacros ordines promoveri, quia Pictavensis ecclesia tunc pastore per quem eras ordinandus carebat, de quo nondum eidem Pictavensi ecclesie est provisum. Quare a nobis humiliter petiisti ut providere tibi circa retentionem tam ipsius ecclesie de Sancto Gervasio quam fructuum ex ea interim perceptorum de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, volentes in hac parte tibi gratiam facere specialem, ut premissis veris existentibus tam dictam ecclesiam de

Sancto Gervasio, si non sit in illa jus alteri acquisitum, quam fructus predictos constitutione predicta nequaquam obstante licite valeas retinere auctoritate tibi presentium indulgemus. Volumus autem quod exnunc successive infra annum a quocunque malueris episcopo gratiam et communionem apostolice sedis habente, cum ecclesia Pictavensis pastore vacare dicatur ad presens, te facias statutis temporibus promoveri. Super quo tibi per presentes litteras concedimus potestatem, alioquin hujusmodi gratia per presentes litteras tibi facta nullius penitus sit momenti. Nulli ergo nostre concessionis et cetera. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus junii, anno secundo. »

514 Saint-Pierre, 1er juillet 1279.

Infrascriptis mandat quatinus de Riccardi de Villeio, monachi monasterii S. Severi in abbatem electi meritis et de processibus electionis veritatem inquirant, ac si electionem invenerint canonice celebratam, auctoritate apostolica eandem confirmant. (Fol. 153; an II, nº 108.)

« .. *abbati monasterii Sancti Stephani de Cadomo Baiocensis diocesis, et magistro Gaufrido de Astreyo thesaurario Abrincensi.* Petitio dilecti filii Riccardi de Villeio monachi monasterii Sancti Severi ordinis Sancti Benedicti Constantiensis diocesis nobis exhibita continebat quod olim monasterio ipso abbatis regimine destituto et vocatis ad electionem futuri abbatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, major et sanior pars conventus ejusdem monasterii dictum Riccardum in abbatem ipsius monasterii canonice et concorditer elegerunt dictusque Riccardus postmodum hujusmodi electioni consensit, et demum, quia bone memorie Johannes Constantiensis episcopus loci diocesanus presentatam sibi electionem predictam contra justitiam renuit confirmare, ad sedem apostolicam appellavit. Verum causa que inter eundem Riccardum et predictum episcopum super hoc exorta extitit ad sedem eandem legitime devoluta, felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster bone memorie Ubertum Sancti Eustachii diaconum cardinalem dedit in causa ipsa partibus auditorem, coram quo inter episcopum et Riccardum predictos lite in causa hujusmodi legitime contestata et factis quibusdam positionibus et ad eas responsionibus subsecutis ac formatis articulis, quia utraque pars ad probandum intentionem suam intendebat producere quosdam testes, dictus predecessor dilecto filio .. abbati monasterii Montis Morelli Abrincensis diocesis ejusque collegis examinationem producendorum testium partium predictarum per suas litteras sub certa forma commisit, qui testes pro parte ipsius Riccardi productos, eodem episcopo viam universe carnis ingresso, recipientes et juxta formam predictarum litterarum diligenter examinantes, ipsorum depositiones sub sigillis suis inclusas, ad nostram presentiam remiserunt nosque dilecto filio nostro Jordano Sancti Eustachii diacono cardinali examinari hujusmodi negotii duximus committendum. Idem vero Jordanus cardinal cum sibi de ipsius electi meritis pro eo quod absens erat constare non posset ad expeditionem ejusdem negotii non processit. Quare pro parte ipsius electi fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipse propter paupertatem ejusdem monasterii qua nimis opprimitur nequeat propter hoc personaliter predictam sedem adire, predicto monasterio quod ex hujusmodi vacatione ipsius non modicum in spiritualibus et temporalibus est collapsum et verendum est ut nisi ei celeri ejusdem sedis remedio succurratur incurrat irreparabile detrimentum, providere in hac parte paterna sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi et inquisita super ejusdem electionis processibus et dicti electi meritis diligentius veritate, si electionem predictam inveneritis de persona ydonea canonice celebratam aliudque rationabile non obsistat, eandem electionem auctoritate nostra confirmetis, facientes eidem electo munus benedictionis impendi et a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores et cetera. Non obstante —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis julii, anno secundo. »

515 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Episcopo Ulixbonensi mandat quatinus in provisione infrascriptarum ecclesiarum, reservatione et decreto Johannis pape vigesimi primi non obstantibus, libere officii sui debitum exequatur. (Fol. 153 vº; an II, nº 109.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Ulixbonensi.* Presentata nobis tua petitio continebat quod felicis recordationis Johannes papa vigesimus primus predecessor noster Sancte Marie de Alcazona, Sancte Herene Sancteranensis et Sancte Marie de Launana ecclesias tue diocesis vacantes rectoribus per suas litteras donationi apostolice reservavit et decrevit irritum et inane si quid de eis quavis auctoritate contra hujusmodi reservationem per quemcunque contingeret attemptari, quodque pretextu reservationis et decreti hujusmodi dictarum ecclesiarum protracta provisio in spiritualibus et temporalibus dis-

pendiosa nimium existit eidem. Quare nobis humiliter supplicasti ut providere super hoc ecclesiis ipsis de oportune provisionis remedio dignaremur. Nos itaque ecclesiarum dispendiis occurrere sollicite cupientes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus reservatione et decreto hujusmodi non obstantibus in provisione dictarum ecclesiarum si ad tuam collationem alias pertinere noscatur prout canonicum fuerit libere officii tui debitum exequaris. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus junii, anno secundo. »

516 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Infrascriptis per magistrum Nicolinum de Camilla, capellanum suum, examinatis tabellionatus officium concedit. (Fol. 153 v°; an II, n° 109.)

« *Dilecto filio Dominico de Novavilla clerico in minoribus ordinibus constituto Tullensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v idus junii, anno secundo. »

In e. m. Bartholomeo nato Theodini de Podio Sancti Johannis clerico in minoribus ordinibus constituto Reatine diocesis.

517 Saint-Pierre, 3 février 1279.

De canonicis et beneficiatis basilice S. Petri inservientibus, de cultu divino et capitularis menso rebus complura sancit. (Fol. 154; an II, n° 110; Potthast 21531.)

« *Ordinatio facta in ecclesia beati Petri de Urbe per sanctissimum patrem dominum Nicolaum papam III. Nicolaus etc. Ad perpetuam rei memoriam.* Civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de celo a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo militans figurare valet ecclesia, ut sit civitas per militantium unitatem sancta, per conversationis exempla Jerusalem in vita pacifica, nova ut juventus sua renovetur ut aquila, peccatorum vetustate repulsa, descendens, per timorem reverentia Deo pariter et prelatis, de celo, per gratiam in ecclesiasticis sacramentis, a Deo parata per fidem, virtutes et opera, sicut sponsa ornata viro suo per decentiam et decorem. Hec est illa Jerusalem, que secundum prophetam hedificatur ut civitas, id est ad similitudinem civitatis illius, cujus participatio in idipsum. Hanc Christus sponsus amplificat per multitudinem conversorum, nobis patenter insinuans illam amplificandam fore per numerum servitorum. Hec est super cujus muros cum timore cognoscimus nos a Deo positos esse custodes; in ejus tam custodia confitentes, sine qua frustra vigilant qui custodiunt civitatem. Profecto etsi cunctarum ecclesiarum nos sollicitudo sollicitet, si cotidiana ipsarum ad nos hec pulset instantia, precipue tamen excitat mentem nostram apostolorum principis cura basilice, ut hec velut cuntarum ecclesiarum speculum et exemplar ordine debito dirigatur, temporalibus adaucta subsidiis, et spiritualibus semper proficiat incrementis. Excitat nos ad hoc cuntis quasi Christicolis ad illam innata devotio, invitat origo, Petri sedes inducit, allicit immediata subjectio, quin potius unita conjuntio. Movent nos tantorum in ea martirum gloriosa prejacta semina, de quibus quasi tota seges ecclesie pullulavit. Maxime autem motus nostros impellit ipsa veneranda basilica, ut precipue ad illam se noster extendat intuitus, in qua quiescit sanctitatis ecclesie principatus. Cujus Romani pontificis animum tot motiva non moveant cujus vel saxeam mentem ipsius beati Petri sola devotio ad sollicitam curam sue basilice non accendant.

» Sane hoc ab olim nostris adhesit affectibus, conceptum istum diutius mens nostra portavit quem tandem cum decentia possibilitatis indulxit, prout potuit manifestavit et peperit. De divina semper confisi clementia, ut ille in hoc nostrum juvaret intentum, qui in se petra Petrum et ejus ecclesiam ore proprio stabilivit. Et dum nos cura minoris status habebat, in tanto rerum pondere mirabilia speculabamur Altissimi, et horum potissime ac parentum nostrorum, quorum inibi corpora requiescunt, consideratio nostros ad basilicam ipsam direxit affectus, firmavit intuitus et devotionem inclitam solidavit. Et tandem nobis, tempore felicis recordationis Johannis pape vigesimi primi predecessoris nostri, archipresbyteratus ipsius basilice cura commissa nostri ad illam nos ipsos excitarunt affectus; et circa statum ipsius, qui collapsus in diminutione divini cultus et in nonnullis aliis deformatus multipliciter apparebat, eratque ad tantam paucitatem numerus residentium canonicorum in basilica ipsa redactus, quod non ultra quam decem, quorum quidam erant debiles et nonnulli variis egritudinibus laborabant, nec aderant alii, qui tantum defectum circa divinum cultum precipue in tam venerabili et excelso templo supplerent; ab intimis cogitantes et amplectentes animo, quod jam nostris humeris incumbebat ad ordinationem et reformationem basilice predicte, studia nostra convertimus et multa que Deo accepta et basilice predicte salubria fore putavimus, de assensu et voto unanimi ac concordi capituli basilice memorate ordinanda duximus et etiam

statuenda : que omnia redacta fuerunt in scripturas nostri tunc archipresbyteri et ejusdem capituli sigillorum munimine roboratas; et postmodum dictus predecessor eadem ordinata et statuta ex certa scientia confirmavit; et supplens omnem defectum, si quis forsan in illis extiterat, de apostolice plenitudine potestatis tenores scripturarum earumdem fecit in apostolicis litteris de verbo ad verbum seriosius annotari.

» Et quia sine augmentatione facultatum, ministrorum numerus servientium in dicta basilica non poterat convenienter augeri, nos tunc archipresbyter prefate basilice apud eumdem predecessorem studio devote supplicationis institimus, ut ad eamdem basilicam sue munificentie dexteram aperiret; sicque provide, quod leti referimus compertum est, quod tum ex hiis, que idem predecessor nostris precibus annuens prefate basilice clementi liberalitate donavit, preter c libras proveniens. annis singulis de proventibus altaris predicte basilice Romano pontifici debitas, quas dictus predecessor extunc usque ad XX annos eidem basilice donavit liberaliter et concessit; tum etiam ex hiis, que nos ante, ac post promotionem nostram de bonis, que cardinalatus nostri tempore habebamus, pro possessionum et redditum emptione contulimus; necnon ex hiis que aliunde per nostram sollicitudinem ipsi basilice obvenerunt, quatuordecim millibus et centum octuaginta libris proveniens. et ultra in emptione hujusmodi collocatis, est eidem de bonorum temporalium augmento provisum, et redditus ac proventus ipsius non modicum sunt adaucti.

» Nobis igitur ad apostolatus apicem evocatis, facta est de voluntate necessitas, et fervor noster exhuberat, ut que per alios fieri obtabamus pro statu basilice principalis, nunc in sede principis ipsius celesti providentia presidentes, sinceritatis affectum operis efficatia comprobemus. Et licet nobis sit omnium ecclesiarum Domino disponente cura commissa, eo tamen ferventius ad basilicam ipsam afficimur et prosecutione sollicita nostros extendimus cogitatus ac dilatamus affectus, quo strictius illam infra precordia nostra constringimus, et velut Deus in orbe celesti ac terrena providentia constitutam, quadam specialitate nobis unimus suarum precellentia dignitatum; et cupimus ut ipsa prosperis augeatur auspiciis, fecundetur amplis successibus, dirigatur provide ac majoribus observantiis propensius decoretur. Ad que studiosius intendentes, preter alia supradicta, et mille libras proveniens., que sunt in camera dicte basilice, impresentiarum pro anima nostra, consanguineorum, benefactorum et aliorum fidelium defunctorum, quinquemilia librarum proveniens. de bonis cardinalatus nostri ac aliis ex nostra provisione ac sollicitudine acquisitis, ipse venerande basilice offerimus, concedimus et donamus; ac quingentas marcas sterlingorum, de quibus obtinendis haberi creditur sufficiens certitudo deputamus ad possessiones emendas, de quarum proventibus ejusdem basilice possint excrescere facultates. Hec quidem non ad humanam extollentiam rememoramus inaniter, sed ut presentibus patere possit et posteris, quibus initiis et qualibus incrementis presens ordinatio radicetur; et alii processu temporis ad premissorum Fol. 155. augmentum et conservationem prosperam devotius excitentur, presentem itaque statum ipsius in augmentatione hujusmodi attendentes et considerantes in Domino, qui sic brevi tempore redditus ipsos adauxit, quod in futurum amplius adaugebit et majora, dante Domino, suscipient incrementa; nec minus advertentes quod preteritis temporibus, dum ordinationi vacabamus eidem, conditiones dicte basilice predecessori prefato in suis quasi primordiis et nobis propter brevitatem temporis suscepti tunc a nobis archipresbyteratus officii erant pro majori parte non cognite, quodque canonici tunc in basilica ipsa degentes, quorum assensum in talibus volebamus, cum jam quasi in antiquate deformitatis impressione callescerent, ad ea que nostris inherebant affectibus de facili non poterant inclinari, conspitientes quoque per nos sicut predicitur hactenus ordinata, eaque postmodum et earum circumstantias majori perlustratione palpantes, tam ex illis ordinatis quam ex aliis per nos postmodum visis et consideratis attentius pro salubri et solido statu sepedicte basilice, actus nostros in unum conflavimus et restrinximus cogitatus. Et cum jam per Dei gratiam in plantatis de novo canonicis et beneficiatis reformationem amplectentibus securiores simus effecti, et de observantia debita Deo et nobis accepta, sub provida cura regiminis dilecti filii nostri M., Sancte Marie in porticu diaconi cardinalis archipresbyteri ejusdem basilice, ac successorum ipsius in sic de novo plantatis et successoribus eorum plenius confidamus, ad infrascripta ordinanda maturius, distinguenda clarius et solidius statuenda, ut in eadem basilica predicta ordinatione cessante, loco ejus ordinatio ista succedat, et que in ipsa connectimus inviolabiliter inibi perpetuis temporibus observentur, sic duximus ad laudem divini nominis procedendum.

» Licet igitur in suprascripta basilica non sit certus canonicorum numerus institutus, quamquam per pie memorie Innocentium papam quartum predecessorem nostrum vicenarius quintus numerus portionum, archipresbyteri, camere, necnon et que ad mete custodiam deputatur, portionibus in predicto vicenario quinario numero computatis, in ea statutus fuerit et taxatus, prout

in privilegio vel indulgentia super hoc a predicto predecessore Innocentio concessis plenius continetur, volumus tamen et ordinamus in primis quod, preter archipresbyterum et camere ac mete predictarum portiones, ad minus XXII canonici semper instituantur in ipsa basilica, et singulis ipsorum cedentibus vel decedentibus, infra sex mensium spatium alii subrogentur. Et hoc ipsum fiat cum ad tricenarium canonicorum numerum deveniri contigerit, ut inferius exprimetur, nisi circa predictum semestre tempus diminuendum vel augendum aliud de Romani pontificis procederet voluntate, ita quod juxta dictarum vigintiquinque portionum numerum portio nulla vacet. Quem numerum portionum et canonicorum ad certas portiones receptorum pro isto tempore acceptamus et admictimus, nullo unquam tempore minuendum nec etiam augmentandum, preter quam in casu seu casibus augmenti inferius exprimendis, ita tamen, quod sicut infra dicetur aliqua portio valorem LX librarum proveniens., computatis omnibus, quibusdam exceptis, annis singulis non excedat.

» Et ut ad infrascripta efficaciter exequenda via commodior et habilior habeatur, statuimus et ordinamus quod dicti canonici in prefata instituti basilica, necnon et qui deinceps in perpetuum futuris ibidem instituentur temporibus portiones non recipiant nec admictantur ad eas, etiam si alias eis de jure juxta sue institutionis ordinem deberentur, nisi fuerint in ipsa ecclesia residentes et in sacris ordinibus constituti. Et tunc etiam in primo anno sue residentie non recipiant, nisi dimidias portiones de omnibus que ad divisionem veniunt, ut infra dicitur, singulis duobus mensibus faciendam; necnon et omnibus cotidianis distributionibus, tam in diebus ferialibus quam in festis et anniversariis defunctorum, preterquam quando distribuitur denarius unus solus, quem dividi nolumus, de ceteris tamen integram habeant portionem.

» Si tamen canonicus aliquis non existens in sacris, cui alias ut predicitur de jure portio deberetur, residere vellet et in eadem basilica deservire, libere possit hoc facere; et tunc sicut ceteri cotidianas duntaxat distributiones recipiat et ad eas libere admittatur; non tamen stallum in choro et in capitulo vocem habeat sive locum nec ad ipsius admictatur tractatus, quousque ad sacros ordines sit promotus, et tunc anno primo sue residentie inchoande, postquam in sacris fuerit, contentus sit, ut dictum est, dimidia portione, ad stallum in choro et locum in capitulo et tractatus capituli admittendus; non tamen vocem habeat seu respondeat infra annum, nisi ab archipresbitero vel capitulo, absente archipresbitero, sibi super hoc gratia facta fuerit specialis, quod in omnibus ad portionem admictendis ulterius observetur.

» Quia vero XXII canonicis preter archipresbiterum institutis in ipsa, tam veneranda et sollempnis ecclesia sufficientem ministrorum numerum non haberet ad divina officia et ministeria inibi, ut condecet, peragenda, duximus ordinandum ut numerus dictarum XXV portionum processu temporis facultatibus superexcrescentibus, ut infra dicitur, augmentetur usque ad tricenarium tertium inclusive. Ita quod preter dictas tres portiones, scilicet archipresbiteri, camere atque mete, XXX sint in universo portiones in ipsa basilica processu temporis, dante Domino, XXX canonicis assignando.

» Verum quia octo portionum adjungendarum dictis XXV non sic cito forsan proveniret augmentum, considerantes vigintiduorum canonicorum numerum non sufficere tante basilice, ut est dictum, cum etiam vix aut nunquam accideret quin multi ex eis diversis causis abessent, aciem mentis nostre direximus ut ex nostra presenti ordinatione aliqui clerici, usque ad XXX inclusive, perpetuo beneficientur in ea, quos, postquam instituti fuerint, licet ex institutione ipsa jus beneficiatorum dicte basilice assequantur, ad solidioris tamen caritatis augmentum per archipresbiterum vel ejus vicarium et capitulum predictos ad pacis osculum recipi volumus in beneficiatos chori basilice supradicte, et ad ea omnia que ex hac nostra ordinatione beneficiatis hujusmodi conceduntur, et tandem institutos taliter et receptos ceteri beneficiati ad pacis osculum recipere teneantur. Predicti vero beneficiati non sint canonici et nullum jus habeant canonice, non tamen propterea sint aut reputentur ab eadem basilica alieni, sed in ipsa sint beneficiati perpetuo et etiam beneficiati chori basilice Sancti Petri vocentur, et in eadem basilica beneficia sua et omnia alia tam spiritualia quam temporalia que ex presenti ordinatione eis conceduntur, eo ipso quod beneficiati sunt, plene juxta formam infrascriptam percipiant et exequantur, et eis competant suo jure : quibus cedentibus vel decedentibus infra sex mensium spatium semper alii subrogentur; quorum beneficiatorum numerum tricenarium statuimus, nullo unquam tempore minuendum, hujusmodi vero beneficiati nec ad tractatus capituli admictantur, nec vocem in capitulo habeant, nec aliquam Fol. 156.
potestatem de juribus, bonis seu quibuscunque negotiis ad ipsam basilicam pertinentibus disponendi, nisi ubi de alienatione rerum immobilium vel jurium dicte basilice ageretur, tunc enim assentiendi et dissentiendi hujusmodi tractatibus voces habeant. Et quia verisimile est quod numerus beneficiatorum canonicorum nu-

merum in vocibus predictis excederet, taliter providemus quod si plures beneficiati quam canonici tractatibus ipsis intererint, cum omnes istis tractatibus interesse velimus, tot de ipsis beneficiatis dumtaxat voces in hujusmodi tractatibus habeant, quot fuerint in capitulo canonici tunc presentes. Quo casu priores beneficiatorum eorumdem juxta sue receptionis ordinem usque ad quantitatem predictam canonicorum tunc presentium ad voces hujusmodi tantummodo admictantur. Nec beneficiati predicti sint collegium nec universitas sive corpus, nec prelatum sibi possint constituere, eligere vel habere, seu sigillum aut archam communem sed subsint archipresbitero et capitulo, prout inferius continetur. Possint tamen pro suis juribus, que in eadem basilica eis competunt, prosequendis tam in judicio quam extra, non solum singulariter sed etiam in communi agere et defendere ac illa prosequi : in hoc casu dumtaxat, tanquam collegium, universitas sive corpus, excepto, quod nec in hoc casu nec in alio commune sigillum habere valeant nec communi sigillo quomodolibet uti possint. Hujusmodi tamen institutis stallum in choro beati Petri cui deserviunt, post canonicos vel sub canonicis assignetur ad mandatum archipresbyteri et capituli basilice supradicte. Unusquisque autem dictorum beneficiatorum de camera seu redditibus aut proventibus ejusdem basilice usque ad XXX libras proveniens. senatus inclusive ad minus pro suo beneficio sub certo modo ac ordinatione, ut infra dicitur, annis singulis percipiat, in nullo casu diminuendas, preterquam in eo qui inferius subsequetur, videlicet cum portio canonici residentis L librarum non attingeret quantitatem, juxta modum et formam inibi clara expressione distinctos, salvis aliis, que eis ex presenti ordinatione competere dinoscuntur. Si tamen eisdem beneficiatis in communi donarentur alique res immobiles vel legarentur seu quomodolibet obvenirent, ipse res eo ipso intelligantur dicte basilice applicari, et in jus et proprietatem ejusdem basilice transeuntes, omnino sortiantur et transeant in naturam ceterorum bonorum immobilium pertinentium ad eamdem.

» Hec itaque ordinatio sit illibata et inconcussa permaneat et irrefragabiliter observetur, quod nec dictarum portionum aut canonicorum, quibus assignande fuerint, nec beneficiatorum numerus minuatur, nec beneficiorum ipsis beneficiatis debitorum quantitas in hac ordinatione taxata diminutionem recipiat aliquam, preterquam in casibus inferius annotatis.

» Porro dicte portiones canonicis debite, quibus propter incertitudinem redditum et obventionum dicte basilice facile non potuit decens quantitas certa et indubitata taxari, quam scilicet certitudinaliter esset unusquisque canonicorum, portionem habens, annis singulis percepturus, set ut via pararetur in posterum ad redditus et proventus ejusdem basilice augmentandos, ex quibus predictorum VIII canonicorum numerus augeretur, certa quantitas, ut supra dicitur, pro unaquaque portione taxatur, non ut minor esse non possit, sed ne valeat aliquo casu transcendi, volumus et irrefragabiliter ordinamus ut ipsa quantitas, scilicet sexaginta librarum proveniens., aliquatenus transcendi nequeat, et nichil ultra quantitatem ipsam archipresbyter et canonici de bonis ipsius ecclesie, preter quedam excepta ut infra dicitur percipere valeant, quousque postquam ad statum predictum XXX canonicorum perventum fuerit, aliud quoad impinguationem seu majoritatem portionum canonicorum, seu beneficium ipsorum beneficiatorum, vel augmentationem numeri canonicorum seu beneficiatorum vel utrorumque ut dictum est per sedem apostolicam vel de ipsius beneplacito per archipresbyterum et capitulum utiliter ordinetur. Si autem contingeret aliquando quovis modo canonicorum numerum excedere numerum portionum, recepti seu jus canonice habentes, quibus nondum esset portio assignata, nichil de bonis ipsius basilice possint percipere vel habere seu petere quod nove portiones pro ipsis in eadem basilica statuantur set teneantur absque perceptione aliquorum proventuum expectare quousque portiones eis de jure debitas vacare vel forsan excrescere contigerit, sibi prout justum fuerit assignandas. Set et nec eis portiones absentium quousque absentes fuerint, vel proventus aliqui provenientes ex absentia canonicorum ab ecclesia vel ab horis, nec provenientes ex medietatibus portionum residentium primo anno, seu quecunque alia ad commune seu cameram ecclesie provenientia aliquatenus assignentur : cum de hiis omnibus deductis que deducenda sunt juxta modum et formam ordinationis istius, possessiones et bona immobilia sint emenda, ex quibus canonicis et beneficiatis valeat provideri.

» Et ut ad emptionem hujusmodi immobilium possit efficaciter perveniri, statuimus quod de redditibus, fructibus, proventibus, oblationibus, donationibus seu legatis, censibus et quibuscunque obventionibus undecunque et qualitercunque ad dictam basilicam provenientibus, exceptis quibusdam minutis obventionibus inferius exprimendis, singulis annis, quousque processum fuerit ad majorem numerum portionum, per camerarios circa finem anni diligens consideratio habeatur de omni eo quod ordinatis xxv portionibus et xxx beneficiatorum beneficiis juxta quantitatem in presenti ordinatione contentam, et deductis necessitatibus et ex-

pensis camere residuum fuerit, ut juxta ipsius residui quantitatem procedatur ad augmentum numeri portionum; ut scilicet cum facultates ecclesie sic excreverint quod una portio, ultra dictas xxv, statui valeat et fundari, tunc statuatur dicta portio et fundetur et canonicus assumatur ad eam, et deinde vicissim per ordinem annis singulis, addita portione de novo fundata, consideratio similis habeatur, quousque tricenarius tercius portionum numerus sit completus.

» Minute autem obventiones que excipiuntur et in predictis portionibus minime computantur sunt hec : in primis denarii, qui distribuuntur in choro in anniversariis defunctorum preteritis et futuris, tam in vesperis et vigiliis, quam in missa infrascriptis modo et forma servatis; item denarii qui die aliquo ex devotione fidelium ad ipsam basilicam mitterentur pro decantandis semel, seu diebus aliquibus, vigiliis vel officiis pro defunctis, seu pro speciali reverentia aliis divinis officiis quibuscunque; item denarii, quos perciperent de aliquibus denariis, datis beneficiatis quasi in communi, debentibus aliquod divinum officium celebrare. De anniversariis autem et aliis supradictis infra dicitur, et de distributionibus prefigitur certa forma de cetero observanda. Item infrascripta excipiuntur et in predictis portionibus minime computantur, et dividantur fiatque de eis quod et sicut hactenus fieri consuevit; videlicet quicquid obveniet de oblationibus majoris altaris, et omnium aliorum in filis, candelis et thure et faculis et torticiis; denarii, candele et facule, que obvenirent canonicis de helemosina, que fit in die depositionis defuncti presentibus clericis; denarii, qui dantur pro jaconia seu diaconia defunctorum, eaque in pane, vino, carnibus, piscibus et aliis commestibilibus pro septima, tricesima ac etiam annuali, capitulo seu canonicis transmictuntur; set si quid in denariis mitteretur, id
Fol. 157. camere applicetur. Illa que aliquando non ex debito sive jure, sed ex mera et pura liberalitate seu curialitate mictentium, in croco et aliis commestibilibus ipsi capitulo destinantur; denarii, qui de obventionibus majoris altaris, in matutinis quarundam festivitatum tantum, canonicis cantoribus tunc presentibus exhibentur; denarii qui contribuuntur canonicis presentibus illis horis, quas canonicorum aliquis seu quivis alius propter alicujus sancti reverentiam, non ex ordinatione vel obligatione perpetua vel in longum, sed pro sue devotionis arbitrio interdum faceret in ipsa basilica decantari; galline quas illi de Rucceia capitulo in carnisprivio quolibet anno mittunt; singuli duo solidi quos duo habeant sacerdotes, qui in festo omnium Sanctorum et die sequenti sedent ad valvas ecclesie vel alibi ad recipiendas helemosinas, que tunc dantur pro memoriis defunctorum; quicquid vero, deductis IIII solidis supradictis, de helemosinis ipsis superesse continget ad communem cameram supradicte basilice deducatur. Prandium sive pabulum charitatis quod fieret per aliquem in canonicum receptum, et post sue portionis possessionem adeptam, ex mero arbitrio et libera voluntate, si quid vero in pecunia absolute et liberaliter ab ipso recepto fuerit elargitum, illud communi camere applicetur. Procurationes seu commestiones, quas canonici prelibati recipiunt, ad festum alicujus capelle ipsi subjecte basilice accedentes; centum viginti panes, unus porcus et unus castratus, qui ab ecclesia Sancte Marthe, ac sex croci et quatuordecim piperis libre, que ex debito vel de jure basilice debentur eidem; et vigintiquatuor castrati, qui dantur dicte basilice de erbaticis; facule et XII denarii, quos quando vadunt ad hospitale Sancti Spiritus cum effigie Jesu Christi sunt singuli canonici percepturi. De centum vero solidis, qui a preceptore et fratribus hospitalis ipsius dantur, fiat per omnia, quod infra de anniversariis ordinatur. Procurationes, que canonicis tam pro personis suis quam equorum vecturis et expensis aliis, juxta basilice predicte jura vel consuetudines antiquas debentur, illis scilicet, qui ad visitandum loca aliqua vel alias quomodolibet de mandato et beneplacito archipresbiteri vel ejus vicarii et capituli, vel solius capituli in ipsorum archipresbiteri et vicarii absentia mitterentur; denarii, qui dabuntur canonicis presentibus in computis faciendis; denarii, quos canonici percipient, qui in Quadragesima et in Adventu presentis ordinationis intererunt lectioni; denarii qui dantur canonicis portantibus ad altare et reportantibus cathedram Sancti Petri; denarii, qui consueverunt dari canonicis numeratoribus vel electoribus monetarum; canistra peponum, uvarum et aliorum fructuum arborum seu ortorum, et alia hiis similia, que capitulo seu canonicis contingeret provenire; residuum facularum, quas minores hactenus perceperunt; denarii, quos de oblationibus altaris Sancte Marie de Cancellis perceperunt hactenus cum ipsi altari in missa deserviunt presbyter et ministri; item denarii, qui in hac ordinatione unicuique camerariorum, ut infra dicitur, conceduntur. Non teneantur tam sacerdotes quam inferioris gradus canonici deducere in commune vel camere applicare que non capitulo vel canonicis in communi, set alicui canonico specialiter dantur in elemosinam, vel ut pro vivis seu defunctis missarum seu officiorum divinorum vel orationum suffragia impetrentur. Quod et generaliter intelligatur de omnibus, que canonico alicui dinoscentur personaliter obvenire. Volumus quoque quod

minuta et excepta predicta inter canonicos et beneficiatos dicte basilice distribuantur ita videlicet quod canonici tunc presentes et qui pro presentibus sunt habendi de minutis et exceptis eisdem duas partes inter eos pro virili equaliter dividendas recipiant; et beneficiati presentes et pro presentibus habendi similiter tertiam habeant portionem inter ipsos modo simili dividendam. Non autem intendimus quod ea que de predictis exceptis interdum juxta ritus et consuetudines dicte basilice pro personalibus obsequiis seu ministeriis per certas ex eis faciendis taliter obsequentibus vel ministrantibus exhibentur, cum aliqua ex eis ex sui qualitate in divisione non cadant, quedam vero laborantibus defalcari non deceat, in divisionem vel partitionem cum aliis absque consensu sic obsequentium vel ministrantium convertantur.

» Unaqueque autem dictarum portionum, in ea computatis vigintiquatuor libris proven. vel circiter pro cotidianis distributionibus canonico deservienti per totum annum in singulis horis canonicis, prout infra dicitur, deputatis, etiamsi in toto vel in parte ipsas vigintiquatuor libras a canonico recipi non contingat, quia ab horis omnibus vel aliquibus forsan abesset, valorem sexaginta librarum provisinorum annis singulis aliquatenus non excedat; quantumcunque aliquo forsan anno obventiones seu facultates ipsius basilice excrescerent vel eas contingeret ampliari. Sed si deductis singulis xxx libris proven. singulis beneficiatis debitis, et eis que pro camera ad expedienda communia negotia ipsius basilice fuerint oportuna, proventus et obventiones ipsius ad tantum possent ascendere, quod unaquaque portio, computatis omnibus, quibusdam exceptis, ut dictum est, sexaginta libras proven. valere possit in anno absque diminutione, unaqueque portio illo anno LX libras proven. sit valoris; ita quod preter dictas XXIIII libras unicuique presenti canonico pro cotidianis distributionibus distribuendas in horis, triginta sex libras proven. percipiat unusquisque canonicus residens in ipsa ecclesia juxta formam inferius annotatam. Quecunque tamen bona immobilia, seu pro mobilibus bonis emendis, et que in paramentis, vasis argenteis et aureis, et ceteris ad ornatum altaris et ministrorum ejus pro cultu divino eidem ecclesie obvenirent, pro portionibus et beneficiatorum beneficiis deducendis ad quamcunque summam seu quantitatem in hac ordinatione taxatam, nullatenus distrahantur set remaneant in communi.

» Denique si portio camere deputata ad expensas faciendas pro ipsius basilice negotiis et necessitatibus, puta domorum refectionibus vel constructionibus, causis seu litibus, et aliis quibuscunque necessariis vel utilibus casibus emergentibus, non sufficere videretur, de omnibus communibus proventibus ipsius basilice tantum ad arbitrium archipresbiteri et capituli assumatur, quantum sufficere viderint ad ipsius basilice communia negotia procuranda et utiliter exequenda.

» Predictorum quoque beneficiatorum institutio et destitutio, scilicet perpetua amotio a suo beneficio et basilica supradicta, ad archipresbyterum et capitulum ipsius basilice pertineat pleno jure. Correctio vero, reformatio, privatio suorum beneficiorum ad tempus vel suspensio ab eisdem, et omnis jurisdictio et censura, necnon et omnis ordinatio et dispositio status eorum, salvis hiis que ex presenti ordinatione ipsis beneficiatis prout in ea continetur competere dinoscuntur, preter dictas institutionem et destitutionem seu amotionem perpetuam, ad prefatum archipresbiterum pertineant per se vel suum vicarium, sive canonicus fuerit sive alius, exercende. Sed et questiones omnes, controversie, discordie sive lites, quas inter ipsos beneficiatos inter se oriri contigerit, vel inter ipsos beneficiatos seu eorum aliquem ex una parte et predictum capitulum, vel aliquem de capitulo ex altera, per archipresbyterum seu ejus vicarium terminentur. Eo tamen tempore quo basilica predicta archipresbyterum non haberet, vel quo idem archipresbyter ageret in remotis, nullo pro se dimisso Fol. 153.
vicario, premissa omnia ad capitulum ipsum pertineant; illo casu dumtaxat excepto, in quo capitulum in defendendo partem faceret vel agendo; in eo namque casu adiri alius competens judex posset. Nullus etiam canonicus per se jurisdictionem seu imperium vel dominationem seu auctoritatem quamcunque exercere possit in aliquem de beneficiatis eisdem nec ipsos superbis vel ampullosis verbis seu factis injuriosis exasperet, quanquam ipsi beneficiati universos et singulos canonicos tamquam majores honore condigno prosequi debeant sicut decet.

» Preterea de communibus proventibus ipsius basilice seu de camera communi singulis annis absque omni diminutione singulis predictorum beneficiatorum distribuantur et solvantur in horis canonicis prout inferius distinguetur, singulis xx libre proven. Sen. ad minus vel circiter. Si tamen forsan aliquo anno ad tantam tenuitatem seu exilitatem, quod absit, portiones canonicis residentibus debite, et in omnibus horis canonicis per totum annum deservientibus devenirent quod L librarum proven., computatis omnibus juxta presentem ordinationem in ipsis portionibus computandis, non attingerent quantitatem, illo anno, si placeret capitulo, diminutio xxx librarum concessarum beneficiatis eisdem, in ea dumtaxat et non majori possit fieri quantitate pro

rata, quod singuli canonici residentes et cotidianas distributiones recipientes horarum, per suppletionem eis faciendam de dictis xxx libris singulorum beneficiatorum duplo majorem tantum, quam ipsi beneficiati percipiant portionem.

» Cum autem inter alia specialiter ordinemus quod xxx libre proven. beneficiatis eisdem, xx videlicet vel circiter in cotidianis distributionibus, et x pro suis beneficiis assignentur, sic ipsas x libras distribui volumus quod qui presentes fuerint in festo apostolorum Petri et Pauli, seu qui pro presentibus sunt habendi, illi soli percipiant, qui per totum annum precedentem fuerint residentes et deservientes in ipsa basilica reputandi. Non enim si forsan interdum a choro abessent, cum tunc chori distributione priventur, istis x libris privari deberent set illi soli eis sicut rationabile videbitur possint in toto vel in parte privari, qui judicandi essent merito in chori servitio notabiliter negligentes et quibus pena hujusmodi infligenda merito videretur.

» Rursus statuimus, ordinamus et inviolabiliter volumus observari ut de omni eo, quod quolibet anno finito in camera supererit ex omnibus obventionibus et cunctis que ad cameram ex canonicorum seu beneficiatorum absentiis vel quomodolibet devenissent, exceptis vasis et aliquibus que pro cultu divino viderentur archipresbitero et capitulo retinenda, deductis et solutis sexaginta libris proven. pro singulis archipresbiteri, canonicorum, mete et camere portionibus, et xxx libris proven. pro singulis beneficiatorum beneficiis, necnon et expensis camere pro necessitatibus ejusdem, prout superius est expressum, possessiones et alia immobilia bona emantur, ex quibus possint proventus et ipsius basilice redditus augmentari. Ut hec salubris ordinatio, in qua provide agitur ut ad tricesimum canonicorum numerum non multum post tempore dante Domino valeat proveniri, citius et celerius ad finem debitum deducatur, propter quod interdicimus et districtissime prohibemus ut nichil de eo, quod remanserit de omnibus obventionibus, factis deductionibus ut supra proxime est expressum, inter canonicos dividatur omnino seu usibus aliis deputetur.

» In cotidianis autem distributionibus inter canonicos distribuendis in horis, hanc formam et modum statuimus et volumus observari ut scilicet, exceptis casibus infrascriptis, nullus eas percipiat nec alicui concedantur, nisi presens in choro fuerit et hore intersit, in qua distributio fuerit facienda. Non reputabitur autem presens nisi chorum intraverit in matutinis ante finitum Gloria primi psalmi, qui dicitur post venite, et in missa ante finitum ultimum Kirie eleison, in omnibus autem aliis horis ante finitum Gloria primi psalmi, qui in ipsa hora cantatur, et presens fuerit, quando circa finem misse et hore fuerit denariorum distributio facienda. Caveat autem sibi quod absque causa necessaria vel evidenter utili chorum non exeat neque divinum officium intermictat. Si quis autem de hoc vitiosus fuerit, prout sua mala consuetudo meruerit, corrigatur.

» Illi autem qui de mandato archipresbyteri vel ejus vicarii et capituli, seu solius capituli, absentibus ab ecclesia archipresbytero et ejus vicario, absentes ab ecclesia fuerint vel ab horis propter servitia seu negotia ecclesie procuranda, quamdiu sic absentes fuerint, percipiant distributiones horarum et portionem suam integre, sicut ceteri residentes, et in hiis pro residentibus habeantur. Propter perceptionem tamen hujusmodi majus temperamentum et moderamen poterit adhiberi circa expensas eorum de proventibus ecclesie seu camere faciendas.

» Si qui autem de residentibus canonicis sic infirmati vel debilitati fuerint, eo scilicet tempore quo in ipsa ecclesia resident vel pro residentibus sunt habendi, tantaque seu talis esset eorum infirmitas seu debilitas quod absque periculo proprii corporis vel multum notabili et magna indecentia, que posset orrorem vel scandalum generare, scilicet ex legaturis et emplaustris in locis patentibus vel hujusmodi, horis interesse non possint, non excludantur a distributionibus supradictis, sed ipsas percipiant, durantibus ipsis infirmitatibus et debilitatibus et indecentiis, quas etiam percipiant medicinati semel in anno diebus quatuor et minuti sex vicibus in anno duobus diebus in unaquaque minutione; dummodo predicti in ipsa ecclesia fuerint residentes vel in urbe, de licentia tamen archipresbiteri vel ejus vicarii et capituli vel solius capituli, absentibus ab ecclesia archipresbytero et ejus vicario, commorentur.

» Si quis autem ab archipresbytero vel ejus vicario et capitulo, seu solo archipresbytero vel solo capitulo in ipsius absentia vel solis etiam camerariis haberetur suspectus quod infirmitatem vel debilitatem seu indecentiam non haberet, que ipsum propter periculum vel indecentiam, juxta quod dictum est, a chori vel horarum servitio merito redderet excusatum; hujusmodi suspitione durante, sibi distributionum medietas subtrahatur, quousque rationabiliter ostenderit se nichil agere simulate, et sibi non esse juxta hanc ordinationem distributiones hujusmodi subtrahendas, vel evidenter appareret ipsum eas percipere non debere. In quo casu sicut privandus est omnibus sic et in alio sibi debent distributiones integre ministrari: suspicionis tamen tempore medietatem tantum recipiat, ut dictum est. Ab hac etiam

cotidiana distributione nullus canonicorum portionem habens vel ad portionem admissus seu cujus portio debita sibi vacet, licet efficaciter non sit admissus ad eam, quia non est promotus ad sacros, aliquatenus excludatur; etiam si in ipsa ecclesia non resideat, si forsan aliquando in choro hore in qua fit distributio ipsum supradicto modo interesse contingat. Nam regulariter soli residentes in ipsa ecclesia et qui pro residentibus habentur sunt juxta formam premissam ad perceptionem distributionum hujusmodi admittendi.

» Dictarum autem cotidianarum distributionum exhibitio vel distributio ipsis canonicis ita fiet : singulis diebus, tam ferialibus quam festivis, in matutinis percipiat III denarios proven. unusquisque : in prima unum, in missa III, in tertia unum, in sexta unum, que deinceps in eodem choro cantetur; in nona unum, in vesperis tres, in completorio unum, quod deinceps in
Fol. 159. choro immediate post vesperas decantetur; preterquam in Quadragesima, in qua hora consueta cantetur. Et in ipsa Quadragesima unus denarius adimatur in vesperis et completorio adjungatur; ita quod duos denarios in vesperis et duos in completorio percipiat unusquisque. In infrascriptis autem festivitatibus et diebus predictis distributionibus fiat additio, sicut inferius distinguetur. Nam preter distributiones predictas, in vesperis vigilie apostolorum Petri et Pauli unusquisque percipiat x denarios proven., in vigiliis x, in matutinis x, in missa x, et in vesperis festi x. In unaquaque autem infrascriptarum festivitatum, scilicet in octavis apostolorum Petri et Pauli, in festo dedicationis basilicarum suarum, in festo Nativitatis Dominice, in Epiphania, in festo Ascensionis Dominice, et in Pentecostes unusquisque percipiat VII denarios provenien.; in vesperis vigilie VII, in vigiliis VII, in matutinis VIII, in missa et in vesperis festi VII. In festo vero Resurrectionis Dominice, in quo vigilie non cantantur, in vesperis que Sabbato Sancto dicuntur, percipiat unusquisque novem denarios, in matutinis novem, in missa novem et in vesperis festi novem. In unaquaque autem infrascriptarum festivitatum unusquisque percipiat duos denarios in vesperis vigilie, in vigilia duos, in matutinis duos, in missa duos et in vesperis festi duos. Festivitates autem sunt hec : Festum assumptionis beate Virginis, Sancti Mathei apostoli, Sancti Luce, Sanctorum Symonis et Jude, omnium Sanctorum, commemoratio Mortuorum, dedicationis altaris Sancte Marie de Cancellis, Sancti Andree, dominica de Gaudete, Sancti Stephani, cathedra Sancti Petri, dominica Quinquagesime, in qua dentur in missa IIII denarii, cum vigilie non precedant; dominica, in qua cantatur ego sum Pastor Bonus, in qua dentur IIII denarii in missa, cum vigilie non precedant, et Sancte Petronille. In singulis vero festivitatibus infrascriptis de cetero vigilie decantentur, in quibus duos denarios in vigilia et duos in missa percipiat unusquisque. Festivitates autem sunt hec : commemoratio Sancti Pauli, Sancti Martialis, Sanctorum Processi et Martiniani, Sancti Alexii, Sancte Marie Magdalene, Sancti Jacobi, Sancti Petri ad Vincula, Sancti Laurentii, Sancti Bartholomei, Sancti Egidii, Nativitatis Sancte Marie, exaltationis Sancte Crucis, Sancti Michaelis, Sancti Francisci, dedicationis basilice Salvatoris, Sancti Martini, dominica de Adventu, in cujus missa dentur IIII denarii, cum vigilie non precedant; Sancti Nicolai, secunda dominica de Adventu, in qua IIII denarii dentur in missa, quia vigilie non precedunt; Sancte Lucie, Sancti Thome, Sancti Johannis Evangeliste, Sancti Silvestri, circumcisionis Domini, conversionis Sancti Pauli, purificationis Sancte Marie, Sancti Mathie, dominica Passionis, in qua dentur IIII denarii in missa, cum vigilie non precedant; annuntiationis beate Virginis, Sancti Longini, dominica Palmarum, in cujus missa dentur IIII denarii, quia vigilie non precedunt; Sabbato Sancto, in cujus missa dentur IIII denarii, quia vigilie non precedunt; Sancti Marchi, Sanctorum Philippi et Jacobi, inventionis Sancte Crucis, apparitionis Sancti Michaelis, Sancti Barnabe, nativitatis Sancti Joannis, Sanctorum Johannis et Pauli, et Sancti Leonis pape. In singulis quoque vigiliis beate Virginis, que cantantur diebus Veneris, si festum novem lectionum non occurrat, a dominica prima post Pentecostem usque ad dominicam de Adventu, et ab octavis Epiphanie usque ad dominicam de Passione, singulis canonicis presentibus vel qui pro presentibus sunt habendi de camera preter alia denarii duo dentur.

» Illos autem canonicos haberi pro residentibus et residentes esse in ecclesia statuimus, qui in canonica sive infra claustrum ipsius canonice commorantur; unde residens habeatur canonicus illa die, qua infra claustrum ipsius canonice pernoctabit. Et ubicunque extra claustrum ipsum pernoctare contigerit, non reputetur vel habeatur residens illa die : illis casibus dumtaxat exceptis, in quibus ex presenti ordinatione alibi pernoctantes percipiunt sua beneficia, ut canonici residentes.

» Amplius, quia hujusmodi cotidiane distributiones horarum ad XXIIII libras proven. ascendere dinoscuntur in anno, restat quod illo anno quo portio ad LX librarum quantitatem ascendit, XXXVI libre proven. in pecunia vel in rebus preter ipsas distributiones cuilibet canonico residenti debentur. Harum autem XXXVI libra-

rum solutionem seu divisionem sic ordinamus et disponimus faciendam ut scilicet finitis singulis duobus mensibus, unicuique canonicorum residentium, VI libre proven. persolvantur in pecunia vel in rebus pro residentia, in ipsis duobus mensibus jam completa. Illis autem mensibus, in quibus bladi, annone et vini distributio fuerit facienda, si habita consideratione numeri portionum, quantitas harum rerum tanta fuerit ut id quod posset pro sua portione ad unumquemque canonicorum residentium pervenire, juxta veram extimationem ad majorem summam ascenderet, quam sit quantitas sex librarum, nihilominus in hoc casu in rebus predictis non diminuatur portio canonici residentis, set diligens consideratio est habenda quantum in ipsis rebus ultra VI libras receperit unusquisque. Et hoc redacto diligenter in scriptis, tantum (cum ex residentia precedenti suum non fecerit quod ultra valorem VI librarum proven. tunc receperit) de portione proximo sequenti, vel si illa ad hoc non sufficeret, de aliis portionibus continue sequentibus adimatur, quod ipse canonicus redigatur ad statum, in quo in fine anni, exceptis distributionibus et aliis, que sunt ex hac nostra ordinatione excepta, non ultra XXXVI libras proven. reperiatur aliquatenus percepisse. Et si forsan verisimiliter dubitaretur de aliquo quod se deberet ab ecclesia absentare et ad eam longis temporibus non redire, non fiat ei ultra valorem VI librarum ipsarum rerum assignatio, nisi sufficienti prestita cautione, quod si propter suam absentiam non posset de sequentibus suis portionibus illo anno ecclesie satisfieri de eo quod ultra summam VI librarum percepisset, ecclesie seu camere redderetur quicquid sibi fuisset ultra solutum.

» Illo autem anno, quo forsan ad summam LX librarum, computatis omnibus preter excepta, verisimiliter videretur non posse ascendere portionem solutionis dictarum VI librarum, vel in singulis terminis fiat diminutio pro rata quantitatis, ad quam videtur posse ascendere portio ipso anno, vel provideatur sic quod in solis terminis circa finem anni, uno vel pluribus, sic diminutio ipsa fiat quod, solutionibus omnibus computatis, non reperiatur in fine anni percepisse ultra id, quod sibi ex hac ordinatione debetur. Talis quoque per eos, per quos hec solutio imminet facienda, providentia et provisio habeatur; tantumque semper reperiatur in camera, quod in fine singulorum duorum mensium semper possit canonicis residentibus secundum modum predictum solutio provenire.

» Si quis autem canonicus extra dictam canonicam seu claustrum ipsius pernoctaverit, in casu in quo residens non habetur, pro singulis diebus, quibus extra pernoctaverit, singuli duo solidi proven. sibi adimantur, et ecclesie sive camere applicentur; de solutione in proximo sibi termino, scilicet in fine duorum mensium facienda, que solutio, sive presens sive absens fuerit, sibi fiat deductis singulis duobus solidis pro diebus singlis, pro quibus residens non habetur : ut sic premissa recipiant soli residentes et non alii, vel qui pro residentibus sunt habendi. De gratia tamen concedimus quod si per totum anni circulum, pro suis vel amicorum suorum expediendis negotiis seu ex quacunque alia honesta causa, XX diebus interpolatis seu continuis extra canonicam seu claustrum ipsius voluerit pernoctare, libere possit hoc facere, absque dictorum duorum solidorum defalcatione seu diminutione aliqua facienda; set hoc ad plures dies quam ad viginti nullatenus extendatur. Contra fraudem autem vel detestandam negligentiam aliquorum, qui licet pernoctarent in canonica sive claustro et in nullo vel in modico in horis et aliis ecclesie obsequiis deservirent, provideatur per subtractionem proventuum in toto vel in parte aliqua per archipresbyterum et capitulum, prout eis secundum Deum videbitur expedire. Et quia canonicorum, quibus in nonnullis casibus committerentur ipsius basilice negotia procuranda, provida diligentia circa ipsa magnum subsidium hiis, ad que tendit presens ordinatio, prestare poterit, in futurum sic duximus statuendum ut quilibet canonicus circa negotia sibi commissa officii sui debitum sic fideliter, sic sollicite studeat adimplere quod ex hoc Deo et apostolorum principi se reddat acceptum, et ipsa basilica in proventibus augeatur. Et si forsan ex ipsius malitia, dolo seu fraude ipsi basilice dampnum aliquod proveniret, preter id quod ipse tenetur dampnum hujusmodi resarcire, idem canonicus juxta qualitatem sui reatus et quantitatem dampni taliter puniatur quod ipsius pena aliis transeat in exemplum. Fol. 160.

» Statuimus insuper et ordinamus quod annis singulis quatuor de canonicis residentibus et portiones recipientibus, et duo de beneficiatis residentibus et beneficia percipientibus, fide digni et per quos credantur negotia prefate basilice debere tam fideliter quam prudenter et utiliter pertractari, per archipresbyterum et capitulum assumantur ad camerariatus officium exercendum. Quorum assumptio, vivente archipresbytero, nunquam fiat absque requisitione et consensu archipresbyteri in Urbe vel in vicinis partibus existentis, etiamsi abesset ab Urbe, et ejus vicarius in ecclesia resideret; in camerariis enim istis multa est fidelitas et industria requirenda. Predicti autem sex camerarii recipiant omnes fructus, redditus et proventus, et obventiones quoscunque, undecunque et qualitercunque ad ipsam ecclesiam

pertinentes, preter quedam minuta inter excepta contenta, et in portione minime computanda, que ad manus camerariorum nec oportet nec congruit devenire nec hactenus devenerunt. Et ad manus eorum cuncta deveniant, que ad ipsam perveniunt basilicam seu ex hac ordinatione vel quocunque modo sunt communi ipsius basilice vel camere applicanda. Omnia quoque contenta in ordinatione presenti, que ad partitionem, distributionem et conservationem et expensas pertinent, servent, exequantur et faciant juxta formam, modum et ordinem in eadem ordinatione contentos. Et omnia que recipiunt, distribuunt, dividunt et expendunt, et cetera que ad ipsorum spectant officium, puta, canonicorum absentias ab ecclesia vel ab horis et aliis similia, determinando tempora et personas et ceteras circumstancias, prout ad declarandum in hujusmodi statum ecclesie seu camere fuerit opportunum, sic diligenter et separatim unusquisque conscribat ut in VI libris sive quaternis reperiantur cuncta conscripta, quatinus manifeste appareat quid et quantum in camera fuerit ad possessiones emendas, pro ecclesie proventibus augmentandis, et an canonicis et beneficiatis sufficienter juxta hanc ordinationem de suis portionibus et beneficiis fuerit satisfactum. Sub sex quoque clavibus, quarum unusquisque custodiat unam, omnia bona que ad manus ipsorum devenerint, tanta et tali digna custodia conserventur, presertim pecunia, necnon et alia que ratione sui valoris aut pretio seu qualitate pro utilitate ecclesie diligenter fuerint conservanda. Rationem et computum dictis archipresbytero vel ejus vicario et capitulo in fine duorum mensium, cum distributio sex librarum fuerit canonicis facienda, reddant et faciant diligenter, ut pro illo tempore status basilice sive camere sciri possit. In fine tamen anni post finitum suum officium, infra XV dies vel infra tempus eis ab archipresbytero vel ejus vicario et capitulo assignandum, de omnibus ad suum officium pertinentibus reddant ipsis et faciant computum generalem, ut status ecclesie quo ad temporalia sciri possit, et novi possint camerarii super omnibus informari : de quibus assumendis, priusquam annus camerariorum precedentium finiatur, est per archipresbyterum et capitulum sollicite providendum.

» Residentes autem canonici sollicite conveniant ad computum audiendum ; et singulis eorum, qui in computo interfuerint et perstiterint quousque computus terminetur, in unoquoque computo in fine duorum mensium de communi camere ab ipsis camerariis denarii duo dentur ; in generali quoque computo faciendo, anno finito, dentur singulis XII denarii ab eisdem. Illi vero, qui non convenerint ad computum audiendum, non solum non habeant quod in ipso computo fuerant percepturi, sed de partitione, que finitis duobus mensibus imminet facienda, eorum singlis singli duo solidi subtrahantur. De partitione quoque proximo sequenti computum generalem subtrahantur unicuique X solidi, communi camere applicandi, nisi eos infirmitas vel debilitas seu injuncta ipsis ecclesie negotia juste et rationabiliter excusarent. Ut autem ipsorum camerariorum, tam canonicorum quam beneficiatorum, sollicitudo et labor aliqualiter levigentur, in unoquoque computo in fine duorum mensium faciendo, ultra canonici portionem vel beneficiati beneficium, que vel quod ipsum contingit, dictorum canonicorum singulos VIII solidos, et dictorum beneficiatorum singulos IIII solidos percipiat unusquisque. Et si aliquem illorum in longum ab executione sui officii contingeret impediri, alius sibi per archipresbyterum et capitulum subrogetur, ut ceteri juramenti vinculo astringendus. Ne autem dictos beneficiatos lateat status ecclesie, sed ex ipsius status notitia apud personas, quarum interest et que prodesse valeant, possint ejusdem basilice commoda procurare, statuimus quod in singulis computis faciendis duo priores presbyteri, duo priores diaconi et duo priores subdiaconi de ipsis beneficiatis, qui presentes tunc fuerint et potuerint, eisdem computis debeant interesse, non ut vocem habentes in capitulo seu de statu ipsius ecclesie vel proventuum seu computationis ipsius aliquid disponentes ; et unusquisque ipsorum recipiat medium ejus quod recipiet canonicus, qui computis ipsis intersit.

» Nulli de cetero in predicta basilica obedientiarii fiant, sicut consueverunt hactenus fieri ; sed predicti sex camerarii obedientias exerceant universas et dictorum obedientiariorum officia fideliter exequantur, quousque per Sedem Apostolicam vel de Romani Pontificis conscientia per archipresbyterum et capitulum super hoc aliud contingeret ordinari. Et si aliquem propter predictorum executionem ab Urbe abesse contigerit, reliqui suum officium faciant, ita tamen quod semper tres vel duo ad minus remaneant ad suum officium exercendum.

» Cum vero ipsis camerariis camere committetur officium, presentibus archipresbytero vel ejus vicario et capitulo, jurabunt tactis sacrosanctis Evangeliis sub hac forma : Nos tales, ad exercendum officium camere nostre basilice, a presenti die usque in annum completum Fol. 161.
assumpti, tactis sacrosanctis Evangeliis, promittimus et juramus quod officium nobis commissum fideliter exequemur ; proventus et obventiones omnes ad dictam pertinentes seu pervenientes basilicam, pro posse nostro procurabimus, ut nobis absque diminutione integre as-

signentur; ipsosque custodiemus fideliter et dividemus et portiones faciemus, et tam canonicis in distributionibus et aliis pro suis portionibus quam beneficiatis chori basilice Sancti Petri pro suis beneficiis, integre satisfaciemus de bonis ejusdem basilice seu camere; et que residua fuerint fideliter conservabimus, juxta quod hec omnia singillatim distincta sunt in ordinationibus seu statutis factis per sanctissimum patrem dominum Nicolaum Papam III, prout in ipsius privilegio seu litteris sua bulla bullatis plenius continentur. Extimationem quoque rerum assignandarum canonicis secundum statuta predicta pro suis portionibus bona fide, juxta communem valorem, secundum nostram conscientiam faciemus. Nulli canonico seu beneficiato scienter de bonis ipsius basilice dabimus, aut ipsum pro posse nostro auferre vel recipere permittimus, ultra id quod eis debetur ex premissis ordinationibus seu statutis; et servabimus modum, formam et ordinem expressos ibidem. Si sciverimus vel non leviter crediderimus aliquem canonicum seu beneficiatum, in percipiendo ultra quod deberet secundum premissa statuta percipere, ecclesiam defraudasse, nobis pro ecclesia seu camera, quod male receptum fuerit per fraudatorem, si poterimus, restitui faciemus; vel tantum de portione seu beneficio defraudatoris retinebimus, quod ecclesia reddetur indempnis. Si non possemus hoc facere, quia negaret forsitan defraudator, id ad notitiam archipresbyteri et capituli deducemus. Veritatem quoque dicemus absque falsitatis ammixtione cujusquam, super omnibus que ad nostrum spectant officium, archipresbytero et capitulo, vel utrique ipsorum separatim in omnibus et super omnibus officium nostrum contingentibus, ex quorum taciturnitate credemus posse pati nostram ecclesiam detrimentum. Finito autem nostro officio et etiam quandocunque archipresbytero vel ejus vicario et capitulo seu soli capitulo, archipresbyteratu vacante, placuerit, omnia integre resignabimus, que apud nos vel in camera fuerint de bonis ad beati Petri basilicam pertinentibus, vel aliis, qui ab eis ad hoc fuerint deputati. Et basilicam ipsam reddemus indempnem de omni eo, in quo ex certa nostra scientia tam a nobis quam ab aliis ipsa basilica per nostram malitiam dampnificata fuisset. Fidelem quoque rationem seu computum, juxta quod in predictis statutis ordinatum est, de omnibus faciemus. Sic nos Deus adjuvet et hec sancta Dei Evangelia.

» Statuimus quod de cetero nullus canonicus admittatur ad residentiam in eadem ecclesia faciendam, nisi de verbo ad verbum in capitulo ejusdem basilice sub forma infrascripta prestiterit juramentum, exceptis existentibus infra tempora pubertatis qui statim postquam ad illam devenerint, illud prestent : quod si prestare forsitan recusarent, nec habeantur pro residentibus nec morari permittantur in ipsius basilice capitulo vel in claustro. Nulli quoque portio concedatur aut detur, nisi prius sub forma juraverit infrascripta. Processu tamen temporis in forma juramenti canonicorum, camerariorum et beneficiatorum alia capitula adici poterunt et adjungi, prout secundum emergentes eventus et casus, animarum salute ac prefate basilice utilitate pensatis, Romano pontifici vel de ipsius conscientia, archipresbytero et capitulo videbitur expedire. Forma autem hec est :

» Ego talis basilice Principis Apostolorum canonicus, juro et promitto quod fidelis ero beato Petro necnon et dicte basilice ipsius Principis Apostolorum de Urbe; possessiones et jura, bona tam immobilia quam mobilia ad ipsam basilicam pertinentia, adjutor ero bona fide ad conservandum, custodiendum et defendendum, salvo meo ordine; nec basilicam ipsam in predictis rebus et juribus scienter dampnificabo seu pro posse meo dampnificari permittam. De bonis ipsius ecclesie nichil, sive magnum sive parvum fuerit, scienter, malitiose percipiam seu recipiam ultra id quod de bonis ipsis habere ac recipere mihi licet. Et si forsan per ignorantiam sive fraudem vel alias quocunque modo aliquid de bonis ipsis ultra id quod mihi licet reciperem vel haberem, si postquam pro certo cognovero, me aliquid illicite recepisse vel etiam habuisse, reddam basilicam predictam indempnem et id restituam infra mensem, reatum perjurii non incurram. Si scivero vel cognovero, aliquem in bonis mobilibus vel immobilibus velle ipsam basilicam defraudare vel etiam defraudasse, volentis conatus impediam, si potero, bono modo. Et si eadem ecclesia fuerit defraudata, illud quatenus absque meo periculo fieri poterit, dampni consideratione pensata, archipresbytero seu capitulo vel illis manifestabo personis, per quas indempnitati ecclesie utilius consuli posse credam. Secretum archipresbyteri et capituli, quod secretum esse cognovero, ad dampnum ecclesie me sciente nemini revelabo; sed et nulli pandam aliquid quod ab eisdem archipresbytero vel ejus vicario et capitulo seu a solo archipresbytero vel a solo capitulo, dictis archipresbytero et ejus vicario ab ecclesia eadem absentibus, injunctum mihi fuerit secretum servandum sub secreto capituli vel sub fide prestiti juramenti : in hoc tamen archipresbyterum non includo, quin sibi revelem, cum ei secreta capituli minime sint celanda. Ipsius archipresbyteri et archipresbyteratus jurisdictiones et jura, quantum in me fuerit, scienter nec imminuam nec infringam. Ordinationes et statuta facta per sanctissimum patrem dominum Nicolaum papam III, illa videlicet, in quibus inter

cetera continentur institutio sive plantatio xxx beneficiatorum chori basilice Sancti Petri, augmentum numeri canonicorum usque ad xxx inclusive, et ordinatio anniversarii et trium missarum celebrandarum pro anima summi pontificis supradicti, prout in ipsius privilegio seu litteris sua bulla bullatis plenius continetur, quoad numerum portionum et valorem seu quantitatem ipsarum numeri dictarum portionum et canonicorum augmentum institutionem beneficiatorum chori basilice Sancti Petri et ipsorum numerum et quantitatem beneficiorum suorum, jurisdictionem in beneficiatos eosdem; casus in quibus sunt bona camere applicanda et canonicis seu beneficiatis non danda, et immobilia bona emenda pro facultatibus ecclesie ampliandis, quantum in me fuerit, inviolabiliter observabo et nullo unquam tempore veniam contra ea. Et ut breviter omnia comprehendam, non ero in consilio aut in facto, quod ordinationes seu statuta predicta, vel aliquod ex eis etiam quoad alia que continentur in eis a capitulo ejusdem basilice
Fol. 162 immutentur vel ipsum capitulum veniat contra ea. Quin potius, si opus fuerit, pro posse meo opem et studium adhibebo, quod ab ipso capitulo serventur et minime negligantur. Anniversaria in ipsa ecclesia hactenus statuta vel imposterum statuenda, quoad dicendum missas et cetera officia pro defunctis, et distributionem denariorum faciendam in eis, quantum in me fuerit procurabo quod a capitulo, juxta quod fuerint ordinata, fiant perpetuo et nullatenus ommittantur; et specialiter quod ordinatum est de tribus missis per tres presbiteros beneficiatos et totidem ministros beneficiatos, cum precedentibus vigiliis diebus singulis celebrandis in altari, quod ad honorem Sancti Nicolai idem sanctissimus Pater in eadem basilica construi fecit et erigi; et de singulis sex denariis proven. predictis singulis presbyteris celebrantibus et singulis tribus denariis dictis tribus ministris diebus singulis de camera exhibendis; et de una missa conventuali cum precedentibus vigiliis dicenda semel in anno, scilicet in die anniversarii ejusdem summi pontificis post obitum suum annis singulis a canonicis et beneficiatis dicte basilice, et libris proven. tunc distribuendis inter canonicos et beneficiatos eosdem; necnon et anniversariis patris, matris, patrui et duorum fratrum suorum, et de denariis distribuendis in eis, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Nullum de cetero canonicum ad residentiam in ipsa ecclesia faciendam seu ad portionem percipiendam admictam, nisi prius sub hac eadem forma coram ipso capitulo de verbo ad verbum tactis sacrosanctis Evangeliis prestiterit juramentum, preterquam si aliquis infra annos pubertatis admitteretur ad residentiam faciendam. Sic Deus me adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.

» Forma quoque juramenti, quam a beneficiatis chori basilice Sancti Petri et ab eorum successoribus in perpetuum prestari statuimus et etiam ordinamus, hec est. Ego talis beneficiatus chori basilice Sancti Petri, tactis sacrosanctis Evangeliis, juro et promitto quod fidelis ero beato Petro, et basilice ipsius Principis Apostolorum de Urbe, necnon et fidelis ero secundum ea que continentur in ordinationibus factis per sanctissimum patrem dominum Nicolaum papam III, archipresbytero et capitulo basilice supradicte, in hiis scilicet in quibus ipsi archipresbytero sive capitulo tenentur juxta seriem et modum ordinationis ipsius, possessiones et jura, bona tam mobilia quam immobilia ad ipsam basilicam pertinentia, adjutor ero bona fide ad conservandum, custodiendum et defendendum salvo meo ordine; nec basilicam ipsam in predictis rebus et juribus scienter dampnificabo seu pro posse meo dampnificari permictam. De bonis ipsius ecclesie nichil, sive magnum fuerit sive parvum, scienter malitiose percipiam seu recipiam ultra id quod de bonis ipsis habere ac recipere michi licet; et si forsan per ignorantiam sive fraudem vel alias quocunque modo aliquid de bonis ipsis ultra id quod mihi licet reciperem vel haberem, si postquam pro certo cognovero me aliquid illicite recepisse vel etiam habuisse reddam basilicam predictam indempnem et id restituam infra mensem, reatum perjurii non incurram. Si scivero vel cognovero aliquem in bonis mobilibus vel immobilibus velle ipsam basilicam defraudare vel etiam defraudasse, volentis conatus impediam, si potero, bono modo. Et si eadem ecclesia fuerit defraudata, illud quatenus absque meo periculo fieri poterit, dampni consideratione pensata, archipresbytero seu capitulo vel illis manifestabo personis, per quas indempnitati ecclesie utilius consuli posse credam. Secretum archipresbyteri et capituli, quod secretum esse cognovero, ad dampnum ecclesie me sciente nemini revelabo, set et nulli pandam aliquid, quod ab eisdem archipresbytero vel ejus vicario et capitulo, seu a solo archipresbytero vel a solo capitulo, dictis archipresbytero et ejus vicario ab eadem ecclesia absentibus, injunctum mihi fuerit secretum servandum, sub secreto capituli vel sub fide prestiti juramenti : in hoc tamen archipresbyterum non includo quin sibi revelem, cum ei secreta capituli minime sint celanda. Ipsius archipresbyteri et archipresbyteratus jurisdictiones et jura, quantum in me fuerit, scienter nec imminuam nec infrangam. Ordinationes, statuta omnia facta per sanctissimum patrem dominum Nicolaum papam III, illa videlicet in quibus inter cetera continentur insti-

tutio sive plantatio xxx beneficiatorum chori basilice Sancti Petri, augmentum numeri canonicorum usque ad xxx inclusive, et ordinatio anniversarii et trium missarum celebrandarum pro anima summi pontificis supradicti, prout in ipsius privilegio seu litteris sua bulla bullatis plenius continentur, quoad taxationem beneficii mei, modum et formam in dicta basilica residendi et deserviendi in divinis officiis et percipiendi distributiones vel beneficium meum; necnon et quoad potestatem et auctoritatem archipresbyteri et capituli, simul vel separatim, et ut ubi distinguitur, et omnia et singula, que statum meum et aliorum beneficiatorum circa institutionem, destitutionem, correctionem, reformationem status beneficiatorum, ordinationem, vacationem beneficiorum ex lapsu temporis vel alias et quecunque alia beneficiatorum statum contingentia sunt inibi ordinata. Et ut breviter omnia comprehendam, non ero in consilio aut in facto quod ordinationes seu statuta predicta vel aliquod ex eis a capitulo vel beneficiatis aliquatenus immutentur vel ipsum capitulum seu beneficiati veniant contra ea; quin potius, si opus fuerit, opem et studium, quantum in me fuerit, adhibebo quod a predictis serventur et minime negligantur. Anniversaria in ecclesia hactenus statuta et in posterum statuenda, quoad dicendum missas et cetera officia pro defunctis, quantum in me fuerit studium, si opus erit, dabo et operam quod a capitulo et beneficiatis ipsis fiant perpetuo et nullatenus omittantur, juxta quod fuerit ordinatum; et specialiter quod ordinatum est de tribus missis per tres presbyteros beneficiatos et totidem ministros beneficiatos cum precedentibus vigiliis diebus singulis celebrandis in altari, quod in honore Sancti Nicolai idem sanctissimus pater in eadem basilica construi fecit et erigi, et de singulis VI denariis proven. predictis singulis presbyteris celebrantibus et singulis tribus denariis dictis tribus ministris diebus singulis de camera exhibendis; et de una missa conventuali cum precedentibus vigiliis dicenda semel in anno, scilicet in die anniversarii ejusdem summi pontificis post obitum suum annis singulis a canonicis et beneficiatis dicte basilice, et x libris proven. tunc distribuendis inter canonicos et beneficiatos eosdem; necnon et anniversariis patris, matris, patrui et duorum fratrum suorum. Studium quoque, si opus erit, quantum in me fuerit, dare curabo et operam quod nulli beneficiato chori basilice Sancti Petri beneficium assignetur nec ad residentiam se *(sic)* chorum vel distributiones aliquatenus admittatur, nisi prius sub hac eadem forma coram capitulo prefate basilice de verbo ad verbum, tactis sacrosanctis evangeliis, prestiterit juramentum. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei Evangelia.

» Cum autem predicti beneficiati chori basilice Sancti Petri non solum principaliter sed quantum penitus ad hoc tantum ex presenti ordinatione ad predictam basilicam assumantur, ut in divinis officiis, tam diurnis quam Fol. 163
nocturnis, pro vivis et mortuis in eadem ecclesia decantandis, ipsi basilice et choro eidem studeant jugiter et continue, prout Dominus dederit, deservire, statuimus et ordinamus perpetuis temporibus observandum quod nullus beneficiatus percipiat seu jus percipiendi habeat suum beneficium xxx librarum seu aliquid de ipsis xxx libris, nisi residens in ipsa basilica fuerit et in horis canonicis deservierit juxta modum inferius annotandum, exceptis casibus infrascriptis. Beneficiatus autem in ipsa ecclesia residens habeatur illo die quo pernoctaverit infra claustrum canonice supradicte; infra quod claustrum cuncti beneficiati morentur in domibus pro ipsorum habitatione eis, prout ordinatum est vel ordinabitur, assignandis. Hoc autem ordinamus et volumus observari quod si absque licentia ejus, qui ad hoc fuerit deputatus, extra dictam canonicam sive claustrum beneficiatum ex quacunque causa contigerit pernoctare, nichil de distributionibus cotidianis seu beneficio suo percipiat quousque in ipsa ecclesia residens in horis omnibus absque perceptione aliqua deserviat tot diebus quot absque licentia pernoctaverit extra claustrum, ut sic non solum dierum et noctium, quibus extra pernoctaverit, set etiam totidem dierum et noctium distributiones ammittat, in quibus deservire nichilominus teneatur. Illi tamen qui ex quacunque causa absque licentia pernoctantes hujusmodi frequentarent pene graviori subdantur; proviso quod si hoc fieret ex causa inhonesta, illicita sive turpi, sic pernoctantes prout meruerint acerbissime puniantur. Si qui etiam beneficiati essent notabiliter negligentes aut etiam defectivi in non deserviendo ecclesie in horis canonicis sive choro, preter penas in hac ordinatione contentas, dure, prout expedire videbitur, puniantur et etiam castigentur.

» De predictis autem xxx libris xx libre proven. vel circiter in horis distribuantur hoc modo. Unusquisque beneficiatus diebus singulis, tam ferialibus quam festivis, in missis et in horis certo ingrediens tempore et persistens, sicut supra de canonicis seriosius est expressum, percipiat infrascripta. Percipiat itaque in matutinis duos denarios, in prima unum, in missa tres, in tertia unum, in sexta unum, in nona unum, in vesperis duos, in completorio unum; in quadragesima vero unus denarius adimatur a vesperis et completorio adjungatur, ita quod unum denarium in vesperis et duos in completorio percipiat unusquisque. In omnibus autem horis supradictis, festivitatibus et diebus, in quibus dis-

tributionibus canonicorum est additio facienda, et beneficiatorum distributionibus fiat additio, sed in dispari quantitate. In quinque siquidem horis festi Apostolorum Petri et Pauli, in quibus uniuscujusque canonici distributioni x denariorum additio fieri debet, beneficiato cuilibet in eisdem horis vi denarii adjungantur. In aliis vero vii festivitatibus, in quarum quatuor horis singulis canonicis vii et in missa viii denariorum est additio facienda, quatuor denarii in ipsis horis singulis beneficiatis addantur. In aliis quoque festivitatibus et diebus, in quibus in duabus horis cuilibet canonico duo denarii adjunguntur, in eisdem duabus horis cuilibet beneficiato unus denarius adjungatur. Et quia inter festivitates et dies predictos dies aliqui computantur, in quibus vigilie non precedunt, in ipsis diebus in missis denarii duo dentur. In singulis quoque vigiliis beate Virginis, que cantantur diebus Veneris, si festum novem lectionum non occurrat, a dominica prima post Pentecosten usque ad dominicam de Adventu, et ab octavis Epyphanie usque ad dominicam de Passione, singulis beneficiatis presentibus vel qui pro presentibus sunt habendi de camera preter alia denarius unus detur.

» Casus autem, in quibus beneficiati pro residentibus et in horis canonicis deservientibus, etiamsi non deserviant, sunt habendi, sunt infirmitas, debilitas, indecentia propter ligaturas, et hujusmodi sumptio medicine, et minutio sanguinis, prout et sicut de canonicis est predictum. Beneficiati quoque morantes extra claustrum dicte canonice pro predictis casibus cum licentia archipresbyteri vel sui vicarii integre percipiant distributiones horarum, necnon et quando de mandato archipresbyteri vel ejus vicarii pro servitiis ecclesie ipsos abesse contigerit ab ecclesia vel ab horis; et tunc circa expensas poterit temperamentum et moderamen haberi, sicut de canonicis est premissum.

» Ne autem beneficiatorum ministeriis seu servitiis chorum ipsius basilice vel ipsam basilicam diutius contingeret defraudari, statuimus inviolabiliter observandum ut quicunque beneficiatus receperit aliquod ecclesiasticum beneficium, sive curam animarum habeat sive non, in quo de jure eum oporteret vel de facto etiam personaliter residere, et eum a tali residentia consuetudo juste ac rationabiliter nullatenus excusaret, eo ipso absque monitione, sententia, judicio vel processu in ipsa basilica beneficium suum vacet, alii libere conferendum. Beneficiatorum quoque beneficia, si qua talia forsan haberent eo tempore quo in beneficiatos ejusdem basilice admittuntur, pro renuntiatis habeantur ab eis et vacent et intelligantur ipso jure vacare, per illos ad quos illorum collatio pertinet libere ordinanda. Illa tamen beneficia eos retinere et recipere minime prohibemus, que ipsius basilice residentiam seu chori servitium nullatenus impedirent. Si qui autem de beneficiatis predictis ab ipsa basilica continue absentaverit se per annum, ab archipresbytero vel ejus vicario licentia non obtenta, eodem anno elapso, ipso jure et eo ipso absque monitione, sententia, judicio vel processu in eadem ecclesia beneficium suum vacet et pro renuntiato habeatur ab eo et alii conferatur; contra eum tamen procedi possit nihilominus infra annum ad amotionem perpetuam vel suspensionem ad tempus prout utilitas ecclesie suggeret et justitia suadebit.

» Ne autem diutius basilica ipsa vacet archipresbyteri regimine, quo multum dinoscitur indigere, statuimus ut infra iii menses a die vacationis capitulum ipsius Romano pontifici supplicet reverenter ut secundum providentiam et beneplacitum apostolice sanctitatis aliquem de sacrosancte Romane ecclesie cardinalibus in archipresbyterum dignetur concedere basilice supradicte.

» Juxta numerum canonicorum in eadem basilica residentium est per archipresbyterum vel ejus vicarium et capitulum sollicite providendum qui et quot canonici ad sacerdotium et diaconatum et subdiaconatum fuerint promovendi, ne reperiri possit in ea defectus notabilis ministrorum. Illi ergo quibus injunctum fuerit ut ad ordines superiores ascendant obediant reverenter et, si pertinaciter recusarint, prout rationabile fuerit puniantur.

» Statuimus quod omnes supradicti xxx beneficiati sint in sacris ordinibus constituti, sex dumtaxat exceptis qui poterunt in minoribus deservire : de dictis autem xxx, xii in sacerdotes, vi in diaconos et vi in subdiaconos ordinentur et ad predictorum susceptionem ordinum, si oportuerit, compellantur vel in ipsis jam constituti ordinibus assumantur.

» Quoniam compositus habitus et honestus statum satis ordinis clericalis exornat, statuimus quod omnes basilice supradicte canonici in ecclesia et in choro, quando divina officia celebrantur et etiam aliis horis, presertim in publico cum est ibi advenientium multitudo, habitum habeant uniformem, a vigilia scilicet omnium Sanctorum usque ad Sabbatum Sanctum, supersuccas lineas deferant capas nigras de sagia simplices Fol. 164.
vel, si voluerint, foderatas a cingulo vel circa ex parte anteriori fixas inferius et apertas ; deinde vero usque ad festum omnium Sanctorum lineis togis superpelliciis sive cottis absque capis utantur: quod et hactenus, ut accepimus, fieri consuevit. Sive autem pauci essent in ecclesia sive nulli, nunquam appareant in eadem quin

saltem succas habeant, et super eas clamides ante pectus vel post collum annexas; licet gratius nobis esset quod semper in eo, quem gestant in choro, habitu apparerent. Beneficiati autem nullo tempore appareant in ecclesia preterquam in habitu chori, quem omnino similem cum canonicis omni tempore habeant, sucis et cape apertura exceptis. Ipsi namque super clausa vestimenta clausas capas habeant, non apertas, modica dumtaxat in fine cape et ante pectus apertura dimissa, per quam brachium possit extrahi juxta morem.

» Ad omnes horas canonicas campane pulsentur plures vel una, sicut hora ex more requirit; sollempnius tamen et prolixius in diebus sollempnibus et festivis et in sollempnibus anniversariis ad devotionem populi excitandam. Ad matutinas sic tempestive pulsetur quod distincte ad intelligentiam que legenda fuerint legi possint et que cantanda cantari. Misse quoque ac omnia divina officia tam pro vivis quam pro defunctis in ipsa decantanda ecclesia vel legenda non dicantur per sincopam vel transcursum, set a canonicis et beneficiatis quantum eis Dominus dederit studiose celebrentur pariter et devote misse omnes conventuales, festive, feriales et etiam pro defunctis, omnesque hore canonice et anniversaria cum cantu peragantur et nota; in Parasceve tamen fiat quod fieri consuevit. In omnibus missis conventualibus diaconus et subdiaconus, sacris induti vestibus, prout utriusque ordo requirit, ministrent presbytero celebranti. Omnia quoque fiant sollempniter plus vel minus, juxta quod exigunt festi celebritas, diei ac temporis qualitas, sollempnis anniversarii conditio ex beneficii perceptione majoris.

» Silentium a canonicis et beneficiatis sic in choro servetur, cum divina officia celebrantur, quod nec strepitus sive vociferatio ibi fiat, nec per verba inutilia mens a devotione divini officii retrahatur. Si quis tamen de hiis que ad officium vel ministerium pertinent seu aliis utilibus socio loqui vellet, breviter et silenter hoc faciat, ut impediri seu turbari propterea divinum officium non contingat. Ad incensandum altare, cum hoc ex more fuerit faciendum, non in capa lanea sed serica, que pluviale dicitur, sacerdos accedat.

» Ordinamus quod juxta statutum felicis recordationis Gregorii pape IX de cetero quoad jam receptos a tempore predicte ordinationis, quam fecimus, cum in eadem basilica archipresbyteratus officio fungebamur, et recipiendos in ipsa observetur, ut presbyteri primum locum, diaconi secundum, subdiaconi tertium obtineant, tam in capitulo quam in choro, etiam si posterius admittantur. Et hoc idem inter beneficiatos volumus observari; non tamen mixtum inter hos et illos hec consideratio locum habet, cum ut dictum est canonici omnes in choro sint beneficiatis omnibus preferendi, nec inter hos et illos sit interscalaris facienda mixtura.

» Et ne contentarum in ordinatione presenti quicquam oblivio deleat, statuimus et ordinamus quod anno quolibet ordinationes et statuta presentia canonicis et beneficiatis omnibus in ipsius basilice capitulo propter hoc insimul congregandis per aliquem ex canonicis duabus vicibus perlegantur. Ad lectionem autem hujusmodi tam canonici quam beneficiati sollicite studeant convenire; que fiat in hebdomata post primam dominicam Quadragesime, et in edomeda *(sic)* sequenti primam dominicam de Adventu, diebus qui ad hoc magis accomodi videbuntur; exponatur quoque si oportuerit propter non intelligentes aliquos hujusmodi lectio in vulgari. Singulis vero canonicis convenientibus et usque ad finem persistentibus lectionis a camerariis de camera XII dentur denarii et beneficiatorum unusquisque VI denarios percipiat ab eisdem. Puniantur autem hoc modo qui ad hujusmodi non convenerint lectionem; canonico scilicet IIII solidi et beneficiato duo solidi de proximis eis dandis portionibus seu distributionibus adimantur.

» Statuimus ut singulis septimanis tres ex canonicis edomedarii vel septimanarii, scilicet presbyter, diaconus et subdiaconus, et in eisdem ordinibus totidem ex beneficiatis ad ministrandum in missis conventualibus assumantur; canonici siquidem ad ministrandum altari majori, cum cardinalem in ipso contigerit celebrare, nec beneficiatus aliquis ad ipsius altaris ministerium admittatur. Ipsi etiam edomedarii canonici ministrent in missis conventualibus, diebus dominicis et festivis sollempnibus que occurrent, in illis presertim in quibus juxta presentem ordinationem est certa cotidianis distributionibus denariorum additio facienda, et in sollempnibus anniversariis, que ratione majoris percepti beneficii sunt sollempniter celebranda, beneficiati quoque ad ministrandum in missis ceteris que pro vivis et mortuis occurrerint decantanda. Possint etiam in ipsis canonici ministrare, et beneficiatus, cum hoc edomadario placeret, in eo canonico sui ordinis cedere teneatur. Quod si plures conventuales misse duabus interdum occurrerint celebrande, juxta predictam distinctionem festivitatum et dierum, de canonicis et beneficiatis provideatur attente ut nullus sit defectus in eadem basilica ministrorum. Si vero canonicus infirmitate seu debilitate excusabili non detentus in septimana sua predictis diebus in ordine suo non deserviret altari nec hora competenti efficaciter procuraret pro se canonicum alium deservire, si misse illi eum non ministrantem in-

teresse contingeret, nihilominus illius misse distributionem ammittat; si vero abesset a missa, et illam ammictat et tantundem sibi de suis proventibus adimatur camere applicandum. Hoc idem de beneficiato per omnia mandamus et volumus observari. Quantumcunque tamen hujusmodi pene procedant, basilica non est debito ministerio defraudanda; unde predictis deficientibus, sequentes edomadarii ipsorum teneantur supplere defectum, non tamen deficientes a dictis penis propterea excusentur.

» De anniversariis autem preteritis seu statutis hactenus et de cetero in dicta basilica statuendis, sic duximus ordinandum ut denarii, qui distribuendi fuerint in ipso anniversario, inter canonicos et beneficiatos, ut infra proximo dicitur, dividantur. Tot enim fiant partes ex ipsis quot canonici et beneficiatorum binarii fuerint in anniversario ipso presentes, et unicuique canonico in anniversario presenti una de dictis partibus et similiter unicuique beneficiato presenti medietas unius partis tantummodo assignetur ut canonicus partem duplo habeat beneficiato majorem : et sic totalis pecunia anniversario deputata inter canonicos et beneficiatos presentes in choro, et qui pro presentibus in choro juxta hujusmodi ordinationis seriem sunt habendi, sive hos solos vel illos, si sint absentes ceteri, dividatur. Hoc idem fiat per omnia de denariis, qui die aliquo ex devo-
Fol. 165. tione fidelium ad ipsam basilicam mitterentur pro decantandis semel vel diebus aliquibus, vigiliis vel officiis pro defunctis, seu pro speciali reverentia aliis divinis officiis quibuscunque. Si qui autem denarii beneficiatis darentur quasi in communi, ut sive pro vivis sive pro defunctis die aliquo uno vel pluribus divinum officium facerent hoc vel illud, illos recipere poterunt camerariis assignandos, et inter ipsos et canonicos dividendos, sicut supra proximo est expressum. Et ea que beneficiatos recipere contigerit de premissis in dictis xxx libris, quas pro suis debent percipere beneficiis, nullatenus computentur. Non computentur et etiam xxvii denarii, quos cotidie debent percipere vi beneficiati : tres scilicet presbyteri et tres ministri, unusquisque scilicet presbyter vi denarios et minister suus iii; ad hoc assumendi edomedarii singulis septimanis ad celebrandum cotidie tres missas et vigilias in vita nostra, et etiam totidem missas et officium defunctorum pro anime nostre remedio, postquam de hac luce contigerit nos migrare; quod alibi per archipresbiterum et capitulum est seriosius ordinatum, et hoc in similibus, si similis occurret ordinatio, de cetero observetur. Non computentur etiam denarii quos canonicorum aliquis eis daret pro aliquibus vigiliis vel missis alicujus sancti ex speciali devotioni cantandis. Et quicquid specialiter alicui beneficiato daretur in elemosinam, ut pro vivis seu defunctis missarum seu divinorum officiorum vel orationum suffragia impetrentur : quod et generaliter intelligatur de omnibus que beneficiato alicui dinoscerentur personaliter obvenire, sicut de canonicis est predictum.

» Preterea cum ad honorem beati Nicolai quoddam altare in eadem basilica construi et erigi fecerimus, quod divina nobis assistente clementia disponimus propriis manibus consecrare, et ad ejusdem altaris ac ministrorum ornatus duas rubei, duas violatii, duas albi colorum planetas et alios pannos siricos ac v camisos, duos calices, crucem, duo candelabra, turibulum, naviculam, cocleare, duas fiolas et duo bacilia argentea, libros et nonnulla alia ad predictum ornatum duxerimus assignanda, et ornatum ipsum velimus in decenti statu servari, statuimus et ordinamus quod, si predicta vel eorum aliquod vetustate deformari vel consumi aut alias deficere vel deperdi contigerit, semper de ipsius basilice camera taliter suppleantur et etiam restaurentur, quod ornatus ipse in decenti vigore perpetuo conservetur.

» Ceterum ordinationes, statuta et alia supradicta per nos de communi consensu et unanimi voluntate archipresbyteri et capituli predictorum ad decorem domus Dei et dilatationem cultus divini majorem facta clare, distincte ac in omni maturitate, cum multo labore discussa, universaliter et singulariter in perpetuum volumus observari. Non obstantibus constitutionibus, statutis, sententiis excomunicationis vel aliis juramentis, quibuscunque observantiis et privilegiis contrariis seu quibuscunque aliis factis in ipsa basilica vel servatis, que hujusmodi nostris ordinationibus et statutis possent obsistere vel ea quomodolibet impedire; statutis salubribus hactenus editis in eadem basilica et rationabilibus et approbatis ipsius consuetudinibus suo robore duraturis in hiis dumtaxat casibus, articulis vel capitulis, et non aliis, de quibus non facit presens ordinatio mentionem, vel ad que se ipsa ordinatio aliquatenus non extendit. In illos, qui presens privilegium ad ejus memoriam abolendam, quive plantationem beneficiatorum sic provide non sine multis laboribus et expensarum oneribus institutam, et qui anniversarium nostrum ac missas ut premittitur celebranda abolere, extinguere, delere seu tollere niterentur ex nunc excomunicationis sententiam proferentes. Et si postquam predictus tricesimus canonicorum numerus erit juxta ordinationem prescriptam Domino propitiante completus, circa numerum personarum, vel augmentum redditiuum aliquid ordinari vel forsitan immutari contigerit, nihilominus presens or-

dinatio in abolitionem, vel oblivionem nullo unquam tempore veniat propter nonnulla, que in ipsa sunt salubriter instituta, in posterum observanda : et specialiter ut in perpetuum sciri possit quam stabilita et firmiter radicata sit in basilica memorata canonicorum et beneficiatorum novella plantatio ac missarum et anniversarii hujusmodi ordinatio in ea perpetuis temporibus durature. Ad hec autem, ut predicitur, nos conceptus devotionis allexit et induxit affectus, nec menti nostre quietem indulximus quousque horum finem sic prosperum sortiremur, ex quo sicut speramus et credimus eterno Patri gloria in excelsis adveniet, extolletur Apostolorum Principis principatus et ipsa basilica venerationibus amplianda fecundis alias ut magistra salubriter diriget per exempla et claritatum radiis illustrabit, et ad illam cetus gentium per universa mundi climata majori devotione consurget, et augebitur devotio populi christiani. Quare successores ipsius Apostolorum Principis cujus in hac parte res agitur atque nostros Romanos pontifices, quorum cum nostris speramus in hiis vota concurrere, studiosius deprecamur, excitamus attentius et obsecramus in Christo quatenus presens privilegium cum statutis, ordinationibus et aliis supradictis jubeant et faciant inviolabiliter observari, ut a Deo premium consequi mereantur eternum et nos in pio nostro desiderio non fallamur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionum, ordinationum seu provisionum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. usque incursurum.

» Ego NICOLAVS Catholice Ecclesie episcopus subscripsi.

» † Ego Ordonius Tusculanus episcopus ss.

» † Ego Fr. Bentevenga Albanensis episcopus ss.

» † Ego Frat. Robertus Portuensis episcopus ss.

» † Ego Guillelmus tituli Sancti Marci presbiter cardinalis ss.

» † Ego Jacobus Sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis ss.

» † Ego Gottifridus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis ss.

» † Ego Matheus Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis ss.

» † Ego Jordanus Sancti Eustachii diaconus cardinalis ss.

» † Ego Jacobus Sancte Marie in Via lata diaconus cardinalis ss.

» Dat. Rome apud Sanctum Petrum, per manum magistri Petri de Mediolano sancte Romane ecclesie vicecancellarii, III nonas februarii, indictione VII, incarnationis Dominice anno MCCLXXVIII°, pontificatus vero Domini Nicolai pape III anno secundo. »

518 Saint-Pierre, 13 et 22 juin 1279.

Cum electio de Nicolao preposito Transilvanensi facta post examinationem a temporibus Gregorii pape decimi inchoatam tandem cassata fuerit et postulatio de Vesprimiensi episcopo in eadem ecclesia Strigoniensi celebrata propter quasdam circumstantias non admissa fuerit, provisionem ipsius ecclesie Strigoniensis ad Sedem Apostolicam reservans, ad eandem sedem Lodoverium episcopum Waradiensem transfert. (Fol. 166; an II, n° 111, Potthast 21608.)

« *Venerabili* (1) *fratri Lodoverio episcopo quondam Waradiensi Strigoniensi electo.* Ad utilem provisionem —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus junii anno secundo. »

In e. m. venerabilibus fratribus suffraganeis ecclesie Strigoniensis.

In e. m. .. preposito et capitulo Strigoniensis ecclesie.

In e. m. clero civitatis et diocesis Strigoniensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Strigoniensis.

In e. m. vassallis ecclesie Strigoniensis. Dat ut supra.

In e. m. carissimo in Christo filio Ladizlao regi Ungarie illustri. Illum hortatur ut si quedam ex bonis temporalibus ejusdem ecclesie in manibus suis vel suorum existant eidem electo sine cunctatione vel diminutione ea restituat et alios restituere compellat (Potthast 21616). « Ad utilem provisionem —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X kalendas julii, anno secundo. »

519 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Cum super injuriis que hominibus castri Montis S. Petri, Firmane diocesis, ecclesie Romane fidelibus intulerunt beneplacitis Sedis Apostolice stare juraverint, eorumdem petitioni assentiens, sententias remittit quas in eos archiepiscopus Januensis et quondam Fulco de Podio Aycardi in temporalibus tunc marchie Anconitane rectores promulgaverunt, et infrascripta castra eisdem restitui precipit. (Fol. 167 v°; n° 111², Potthast 21599.)

« *Dilectis filiis .. potestati, consilio et communi civitatis Firmane. Ex parte vestra.* —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V idus junii, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis .. Turris Palme .. Marani .. Criptarum ad mare .. Montisfalconis et Morissi castrorum seu villarum

(1. En marge : *Electio Strigoniensis.*

castellanis Firmane diocesis. Ex parte dilectorum —. Dat. ut supra. (POTTHAST 21600.)

In e. m. B. abbati monasterii Montis Majoris capellano suo Marchie Anconitane rectori. Dat. ut supra. (POTTHAST 21601.

520 Saint-Pierre, 1er juin 1279

B. principem Antiochenum propter sacrilegam ejectionem episcopi Tripolitani et diversas alias injurias eidem illatas vehementer vituperat; mandat ei quatinus, premissa damna corrigens, infra octo menses post receptionem presentium nuncios ad Sedem Apostolicam destinare procuret, ut plena satisfactione data gratiam reconciliationis obtinere possit. (Fol. 168; an II, n° 112; POTTHAST 21590.)

« *Nobili viro B. principi Antiocheno, comiti Tripolitano.* Quia salutem tuam plenis desideriis affectamus graviter noster animus perturbatur cum ea de tuis actibus referuntur, qua noscuntur in aliorum presertim ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum injuriam et gravamen ac in derogationem ecclesiastice libertatis non sine manifesta divine majestatis offensa, tueque salutis ac fame dispendio redundare, propter quod cum expedit super horum emendatione paterno affectu apostolicas tibi monitiones dirigimus, te ad id nichilominus inducere si forsan, quod non credimus, monitiones ipsas contempseris juxta officii nostri debitum salutaribus cohertionibus intendentes. Ad audientiam siquidem apostolatus nostri pervenit quod tu non attendens ut convenit quod venerabilem fratrem nostrum P. episcopum Tripolitanum te decet tam rationi officii pontificalis, quo preeminet, quam etiam consanguinitatis qua sibi nosceris conjunctus intime dilectionis affectu prosequi ac multipliciter venerari, eumque ac Tripolitanam ecclesiam tanquam devotionis filium non solum aliquibus injuriis non afficere vel molestiis perturbare, verum etiam ipsos a quibuscunque tue ditioni subjectis eos indebite molestantibus potestate sibi tradita defensare; sed ad injurias et gravamina ejusdem episcopi ad suggestionem forsitan aliquorum, qui tuum non zelantur comodum vel honorem, aspirans, dictum episcopum preter atroces injurias et gravamina per te ac tuos sibi sueque familie irrogata, Dei timore ac reverentia quam ad ipsum episcopum tanquam patrem spiritualem habere teneris postpositis, ab episcopali sede Tripolitana ausu sacrilego ejecisti, et tam bona ejusdem ecclesie occupata quam familiares, vassallos et homines ipsius episcopi captos et carceri mancipatos detinens pro tue libito voluntatis eidem episcopo dampna gravia in casalibus, redditibus aliisque bonis ipsorum episcopi et ecclesie presertim in quodam casali quod Alma dicitur et quod fere totum tua fuit instigatione combustum et bonis omnibus spoliatum intulisti. Nec hiis contentus, dum dictus episcopus in domo militie Templi Tripolitani maneret, in qua se propter metum qui cadere poterat in constantem cum sua familia receptarat, contra episcopum ipsum tam Christianorum quam Saracenorum exercitu congregato, eum in domo ipsa hostiliter obsedisti; erectisque pluribus machinis contra ipsum, ac demum eodem episcopo de dicto domo turpiter et violenter ejecto eamdem domum nequiter invasisti, bonisque omnibus inventis ibidem ablatis, deputasti ad ejus custodiam Sarracenos, Dei nomen in illa jugiter blasphemantes, ut que domus Dei et orationis esse consueverat fieret infidelium synagoga. Nec expavisti ad Sanctorum reliquias et alia divino cultui dedicata sacrilegas manus extendere, illa irreverenter de dicte domus sacrario asportando. Propter que ac alios manifestos excessus per te contra eosdem episcopum et ecclesiam Tripolitanam commissos tam tu quam alii eorundem excessuum patratores auctoritate ipsius fuisti excommunicationis sententia innodati; et demum tuis et tuorum culpis exigentibus Tripolitana civitas eadem auctoritate fuit supposita ecclesiastico interdicto; et in illos, qui interdictum hujusmodi non servarent, similis excommunicationis sententia promulgata clericos quoque ac presbiteros civitatis et diocesis Tripolitane fecisti diro carceri mancipari, et quosdam ex eis tormentis exponens aliquos suis temporalibus bonis privans, alios vero timore mortis exterrens proprias domos relinquere coegisti, nonnullos eorum per Sarracenos tuos in conspectu populi contumeliose trahi faciens velud suspendio jam dampnatos ac excommunicationis sententiam latam a canone, quam pro hujusmodi violentiis et injuriis illatis prefatis presbiteris clericis et ecclesiis incurristi, necnon et hujusmodi excommunicationis et interdicti sententias ut predicitur auctoritate ipsius episcopi promulgatas dampnabiliter vilipendens, non solum eas observare contempnis sed quod nefarius est ipsas observari ab aliis non permittis, cum eisdem excommunicationis ligatus sententiis prefato etiam interdicto durante missarum sollempniis et aliis divinis officiis temere te immiscens campanas dicte domus exinde de tuo mandato ablatas et in quadam turri dicte civitatis positas, que vulgo porta ferri dicitur, campanis aliis a pulsatione suspensis, fecisses in Dei contemptum per singulas horas diei et noctis prolixius resonari, pauperes etiam moniales monasteriorum civitatis ejusdem per tuorum et aliarum ecclesiarum subtractionem compulisti divina officia celebrare a nonnullis parrochialibus ecclesiis civitatis ejusdem temeritate propria ejectis rectoribus in eisdem ec-

clesiis et etiam capella tua civitatis predicte per quosdam clericos qui tecum officiis ipsis intersunt faciens sollempniter celebrari, nonnullos quoque proventus dictarum ecclesiarum ad tuum usum recipiens alios qui bona ipsarum ecclesiarum temere occuparunt et ea detinent occupata non sinis ad restitutionem compelli, sed eos tuis viribus sustines et tueris. Ad hec quosdam de tuis satellitibus custodes in ejusdem civitatis ecclesiis deputasti faciendo violenter corpora decedentium tradi ecclesiastice sepulture cunctosque tue jurisdictioni subjectos ab excommunicatis audire divina officia et alia e ccesiastica percipere sacramenta in omnes crudeliter seviendo qui, sequentes sane conscientie puritatem, predictas ejusdem episcopi sententias tanquam a vero pastore prolatas volebant velut obedientie filii observare. Grecos quidem, quos ab obedientia Romane ecclesie vetus error abduxit, non permittis ad unitatem et catholice Sedis obsequium, juxta quod majores eorum Romane ecclesie promiserunt in Lugdunensi concilio novissime celebrato, et tam eos, quam alias personas ecclesiasticas, diversos ritus habentes, que Romane ecclesie obedientes existunt, cujuscunque sint ordinis et dignitatis ecclesiastica libertate uti non sinens eos capi et incarcerari facis, et cogis redimi sicut servos. In quosdam insuper Italicos presertim Romanos, qui zelo fidei ac devotionis accensi ad partes se contulerant transmarinas intendentes illic personaliter se Crucifixi obsequio deputare ; quosque quondam B. princeps Antiochenus pater tuus de ipsorum strenuitate, consilio ac probitate confisus eos ad proprie persone custodiam, sueque terre munimen suscepit, illos tanquam sibi et eidem terre perutiles decentibus feudis et stipendiis honorando; qui ei, dum viveret, grata servitia fideliter impenderunt; immaniter seviens oblitus servitiorum hujusmodi dictique patris erga ipsos vestigia non secutus eorum aliquos crudeliter perimi, quosdam in tua domo et alibi acerrimis cedi verberibus, aliquos diversis contumeliis affici impune permittens, reliquos per te bonis suis omnibus destitutos cogis miserabiliter mendicare.

De dampnis vero et gravaminibus per dictum patrem tuum prefatis episcopo et ecclesie Tripolitane illatis, super quorum satisfactione felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster suas monitorias litteras eidem patri direxit, quarum continentia, quanquam littere ipse dicto patri tuo nequivissent propter ipsius obitum presentari, ad tuam noscitur notitiam pervenisse, nedum ipsis episcopo et ecclesie satisfacere contempsisti quinimmo velud in hoc paternorum actuum imitator eadem dampna et gravamina per iterationes frequentes et multiplices innovasti. Et licet nos tibi per nostras sub certa forma litteras preces monita direximus et mandatum ut de injuriis et dampnis que dictis episcopo et ecclesie irrogatas satisfacere, ac predicta bona ipsi ablata restituere necnon familiares et vassallos prefatos a carceribus liberare curares, et a similibus imposteorum abstineres dantes venerabilibus fratribus nostris .. Sidoniensi et .. Beritensi episcopis per alias nostras litteras in mandatis ut te ad id monitione prehabita per censuram ecclesiasticam appellatione postposita coartarent, tuque receptis prefatis tibi directis litteris respondisses te velle monitis et mandatis apostolicis obedire, postmodum tamen quod sic respondendo promiseras adimplere contempnens alia diversa dampna et injurias episcopo et ecclesie predictis inferre pertinaci animo presumpsisti.

Attende fili diligenter et respice, sunt premissa que de te dicuntur opera christiani, sunt hec laudabilia tue primordia juventutis in qua zelo fidei et divine fervore dilectionis accensus pro defensione matris ecclesie totum te deberes exponere, totum dare. Quo animo nos et nostre jurisdictioni subjectos ad succursum Terre Sancte disponimus, quo exemplo ad id reges et principes de totius mundi finibus invitamus, cum te ipsorum suffragiis non modicum indigentem tam dirum ipsius ecclesie Tripolitane jurium et libertatum ipsius persecutorem conspicimus, et in fideles Christi sevire tam crudeliter intuemur. Reprehensibiliter quippe contra infideles ipsos nostra dirigetur intentio priusquam te a via veritatis errantem videamur ad devotionem matris ecclesie revocasse. Ecce qualis de te fama circumvolat, qualem te futurum esse demonstras, quales etiam de te fructus expectantur in posterum qui malitiis tempestive deditus jam in flore marcescis. Nec attendis quantum indiges divine veritatis auxilio quantumque tibi posito in medio nationis perverse Apostolice Sedis expediat provisio repentina, qui clausis oculis sane mentis erigendo male verticem contra Deum, Tripolitanam ecclesiam imo fidem diversis afflictionis jaculis impugnasti, ad cujus devotionis obsequia etsi te premiorum merita repromissa fidelibus non invitant deberet saltem Dei timor et Apostolice Sedis ira terrere, que quantumcunque in molestatores suos cujuscunque excellentie, dignitatis vindictam differat ultionis finaliter tamen verbo virtutis et opere destruit cornua superborum, quod in diebus tuis si bene respicis multis regibus et principibus erigentibus calcaneum contra eam invenies accidisse. Nec credas quod abreviata sit dextera Domini et Apostolice Sedis potentia imminuta, ut te quamvis in remotis positum apprehendere nequeat manus nostra sed quia te

affectu paterno diligimus emendationem tuam ex nostris monitis expectamus. Recordare quanta predecessores tui exhibuerunt ecclesie Romane servitia quantaque illis provenerunt ex ipsius ecclesie studiis incrementa, et dum a predecessorum ipsorum nobilitate per premissos actus degenerasse conspexeris, et apostolicis te fecisse beneficiis alienum exuto vetere homine cum actibus suis amotis etiam a te consiliariis qui tam pravis moribus tuam instruunt juventutem. Novum hominem qui secundum Deum creatus est per quem creatori tuo et nobis placere valeas induas, ne forte quod absit in ipsis operibus pertinaciter perseverans acriorem in te vindictam excipias quam quidam predecessorum tuorum ab ipsius ecclesie devotione recedens in amissione civitatis Antiochene justo Dei judicio noscitur excepisse, cujus pena transivit in posteros et in te fili patenter agnoscis quamdiu Antiochena civitas infidelibus subjacet tuus scilicet titulus dominii principalis.

Volentes igitur tui casus obviare principiis et affectu paterno tue corrigere maculas juventutis, nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes quatinus premissa per te provide corrigens et te obedientem ad futura disponens infra octo mensium spatium post receptionem presentium sollempnes et ydoneos nuntios plenam a te potestatem habentes prefatis episcopo et ecclesie Tripolitane immo nobis de hujusmodi injuriis et dampnis illatis satisfactionem congruam exhibendi ad presentiam nostram destinare procures, ut prout rationabile fuerit satisfacto plenarie in nostra presentia de premissis gratiam reconciliationis obtineas digneque nostrum te possimus de cetero filium appellare. Quod si monitionibus et mandatis nostris parere contempseris, quia premissos excessus transire nolumus, prout nec debemus etiam impunitos nedum in iniquitatibus gloriaris, labores in casum scire te volumus quod ad vindictam eorum per spiritualem et temporalem penam maxime in brachio dilectorum filiorum magistrorum et fratrum domus militie Templi, hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Sancte Marie Theotonicorum aliorumque Christi et ecclesie Romane fidelium religiosorum et aliorum adeo efficaciter intendens, quousque te correctum patenter agnoscas, et pena tua transeat aliis in terrorem; per hoc autem quod te in presenti littera cum solite benedictionis eloquio salutamus, quia nondum nobis patet judicialiter veritas narratorum, scutum alicujus confidentie non assumas quo minus hominis et canonis sententiis si veritas hoc habeat sis ligatus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis junii, anno secundo. »

521 Saint-Pierre, 22 avril 1279

Cum in ecclesia S. Mathei, que in fundo magistri Nicolai, civis Castellanetensis nuper reedificata est, monasterium de novo erigendum sit, electo Consano et ministro provinciali fratrum minorum in provincia Sicilie mandat quatinus de juribus abbatis Cavensis et episcopi Castellanetensis, sicut expedire viderint, providere curent. (Fol. 169 vo; an. II, n° 113; Potthast 21568.)

« *Dilectis filiis L. electo Consano et .. ministro provinciali fratrum minorum in provincia Sicilie.* Lecta nobis dilecti —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X kalendas maii, anno secundo. »

522 Saint-Pierre, 13 juin 1279.

Monasterio S. Johannis Parmensis, longe vacationis detrimentum incurrenti, infrascriptum diaconum, ejusdem monasterii monachum, auctoritate apostolica in abbatem preficit. (Fol. 170; an II, n° 114.)

« *Dilecto filio Boninsegne abbati monasterii Sancti Johannis Parmensis ordinis Sancti Benedicti.* Rationis oculis intuentes —. Monasterio siquidem Sancti Johannis Parmensi ordinis Sancti Benedicti dudum per mortem quondam Symonis abbatis ejusdem monasterii regimine pastoris proprii destituto, dilecti filii .. prior et conventus ipsius ad tractandum de futuri substitutione abbatis convenientes in unum ac tandem per viam salutaris compromissi procedere cupientes, in tres de ipso conventu, ita quod infra certos terminos ad hoc prefixos personam ydoneam sive de ipsis, sive de aliis monachis dicti conventus in abbatem ipsius monasterii eligerent, compromittere decreverunt. Et si forsitan dicti tres infra eosdem terminos ad electionem hujusmodi non procederent, venerabili fratri nostri .. Parmensi episcopo loci ordinario extunc eligendi de gremio ipsius monasterii personam ydoneam in abbatem ejusdem dicti prior et conventus concesserunt plenariam potestatem. Verum licet iidem prior et conventus nominatim hujusmodi tres compromissarios elegissent, quia tamen pendentibus terminis super hoc eisdem compromissariis assignatis felicis recordationis Johanni pape XXI predecessori nostro suggestum extitit quod occasione electionis celebrande in dicto monasterio de abbate gravis erat in civitate Parmensi discordia suscitata, predecessor ipse suggestione commotus hujusmodi memoratis priori et conventui suis dedisse dicitur litteris in mandatis ut ad electionem aliquam de abbate sibi preficiendo nullatenus procederent, sed sine more dispendio tres ex se ipsis

fidedignos et ydoneos eligerent ipsosque plenam et liberam potestatem ac speciale mandatum providendi cum ipsius predecessoris consilio et assensu eidem monasterio de abbate ab eis habentes ad ipsius predecessoris nostri presentiam infra unius mensis spatium a receptione litterarum ipsarum destinare curarent. Dictus quoque predecessor nichilominus extunc per easdem litteras decrevisse dicitur irritum et inane si secus super premissis predictos priorem et conventum contingeret attemptari. Postmodum vero, sicut asseritur, cum memorati prior et conventus non possent in premissos tres mittendos ad Sedem Apostolicam concordare, quedam pars monachorum ipsius monasterii tres et reliqua pars illorum totidem monachos sepedicti monasterii ad ipsius predecessoris nostri presentiam transmiserunt. Prefatus etiam episcopus ad predecessorem accedens eundem supplicavit humiliter et instanter petiit ut hujusmodi mandatum suum per easdem litteras directum priori et conventui memoratis ac decretum hujusmodi in litteris contentum eisdem utpote per falsi suggestionem et veri suppressionem obtenta revocare curaret. Set eodem predecessore viam interim universe carnis ingresso dictisque sex monachis super hoc ad sedem destinatis eandem exinde recedentibus, hujusmodi mandati et decreti revocatio dictique monasterii provisio retardate fuerunt duobus annis et amplius jam elapsis. Cum itaque sepedictum monasterium occasione hujusmodi vacationis sue tam in spiritualibus quam in temporalibus olim incurrerit et adhuc incurrat sicut accepimus non modicum detrimentum, eodem episcopo penes nos suppliciter insistente ut mandatum et decretum eadem revocare misericorditer curaremus, nos tandem sepedicto monasterio super hujusmodi vacatione sic sibi dampnosa paterno compatientes affectu eique ne prolixioris vacationis pretextu graviora detrimenta in premissis incurrat precavere volentes, electionem abbatis in eodem preficiendi monasterio ad nos de ejusdem episcopi coniventia ea vice duximus retinendam et demum de te ipsius monasterii monacho ac in diaconatus ordine constituto monasterio sepedicto auctoritate apostolica de consilio fratrum nostrorum providimus eisque te prefecimus in abbatem, tibi administrationem ipsius tam spiritualiter quam temporaliter committentes, firma concepta fiducia —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus junii, anno secundo. »

In. e. m. priori et conventui monasterii Sancti Johannis Parmensis ordinis Sancti Benedicti. Dat. ut supra.

In e. m. vassallis monasterii Sancti Johannis Parmensis ordinis Sancti Benedicti. Dat ut supra.

523 Saint-Pierre, 12 juin 1279.

Cum in monasterio Crassensi infrascriptus, tunc monachus monasterii Montisolivi, in abbatem electus sit, eandem electionem, a temporibus Gregorii pape decimi examinatam, confirmat. (Fol. 171 ; an II, nº 115.)

« *Dilecto filio Augerio abbati monasterii Crassensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Carcassonensis diocesis* (1). Imminente nobis locorum —. Sane Crassensi monasterio nobis et eidem ecclesie immediate subjecto ordinis Sancti Benedicti Carcassonensis diocesis dudum per mortem quondam Petri Raymundi abbatis ipsius monasterio regimine pastoris proprii destituto, dilecti filii monachi ejusdem monasterii tunc ibidem presentes, vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt et debuerunt comode interesse, diem ad eligendum abbatem sibi et dicto monasterio prefixerunt, ac demum dilectus filius .. abbas monasterii Sancti Andree de Sureda ejusdem ordinis Elnensis diocesis vocem in hujusmodi electione de quadam consuetudine obtinens, nec non major et sanior pars dictorum monachorum in capitulo ipsius monasterii Crassensis convenientes in unum, vocatis legitime quibusdam aliis eidem monasterio Crassensi monachis merito et numero paucioribus, qui se malitiose exinde absentantes etiam post canonice vocationis et citationis edictum interesse hujusmodi electioni contumaciter non curarunt, te tunc monachum monasterii Montisolivi ejusdem ordinis predicte Carcassonensis diocesis in suum et ipsius monasterii Crassensis abbatem per viam scrutinii concorditer et canonice eligendo postulare ac postulando eligere curaverunt. Te itaque de licentia dilecti filii abbatis et conventus prefati monasterii Montisolivi hujusmodi electioni seu postulationi de te facte prebente consensum, duo ex eisdem electoribus ad Sedem Apostolicam accedentes electionem seu postulationem eandem a Sede predicta petierunt humiliter confirmari sicque felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster electionem seu postulationem ipsam bone memorie S. tituli Sancti Martini presbitero cardinali tunc viventi examinandam commisit, quo faciente fieri citationes debitas in audientia publica ut est moris, duo demum de prefatis monachis se ut premittitur inde absentantibus coram cardinali comparuerunt eodem dicentes constanter quod pro se ipsis tantummodo electioni seu postulationi predicte se opponere intendebant. Verum libello super confirmatione electionis seu postulationis ipsius coram eodem cardinali porrecto ac lite super eo

(1) En marge : *Super promotione sua.*

legitime contestata, juramento de veritate dicenda hinc inde prestito, factis ab utraque parte positionibus, et ad eas responsionibus subsecutis, formatis quoque articulis et super eis aliquandiu litigato, quia dictus cardinalis diem interim clausit extremum, pie memorie Johannes papa vigesimus primus predecessor noster causam hujusmodi dilecto filio nostro G. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali commisit in eo statu in quo tunc coram cardinali remanserat supradicto. Cumque postmodum testes et instrumenta fuissent super premissis coram eodem diacono cardinali producti, publicate depositiones ipsorum testium et examinate rubrice sumpte de ipsis renuntiatum hinc inde allegationibus facti et juris, in causa quoque conclusum a partibus et ab eis sententia postulata necnon per eundem diaconum cardinalem ordinata extitisset relatio et ab ipsis partibus approbata, demum eis omnibus nobis fideliter recitatis per assertionem procuratoris dictorum duorum monachorum se electioni seu postulationi premisse opponentium constanter factam coram nobis comperimus quod jam dicti duo monachi post hec omnia viam fuerunt universe carnis ingressi. Quia igitur per relationem eandem et alia premissa nobis legitime constitit electionem seu postulationem predictam fuisse de persona ydonea canonice celebratam, eam auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam teque sepedicto Crassensi monasterio preficimus in abbatem, tibi administrationem ipsius tam spiritualiter quam temporaliter committentes, firma concepta fiducia —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II idus junii, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii Crassensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Carcassonensis diocesis. Dat. ut supra.

In e. m. vassallis monasterii Crassensis etc. Dat. ut supra.

524 Saint-Pierre, 17 juin 1279.

Episcopo Agathensi mandat quatinus Augerium abbatem monasterii Crassensis ad ordinem sacerdotii rite promoveat. (Fol. 171 v°; an II, n° 116.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Agathensi.* Presentatam nobis electionem —. Verum prefato Crassensi monasterio super eo quod pretextu vacationis prolixe dampna gravia in spiritualibus et temporalibus incurrisse dicitur paterno compatientes affectu, ac propter hoc ipsius abbatis laboribus et ejusdem monasterii Crassensis expensis parcere intendentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eundem abbatem auctoritate nostra statuto tempore ad ordinem sacerdotii cum super hoc fueris humiliter requisitus rite promoveas, sibique postmodum vice nostra munus benedictionis impendas, recepturus ab eo pro nobis et Romana ecclesia fidelitatis solite juramentum juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit de verbo ad verbum, nobis per ejus patentes litteras sub sigillo signatas per proprium nuntium quamtotius destinare procures. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XV kalendas julii, anno secundo. »

525 Saint-Pierre, 13 juin 1279.

Cum frater Stephanus de Orsinigo, a capitulo ecclesie Consane in archiepiscopum concorditer electus, omne jus quod sibi ex electione hujusmodi competebat, libere in manibus pape resignaverit, fratrem Laurentium de Tuderto eidem ecclesie auctoritate apostolica in archiepiscopum preficit. (Fol. 171 v°; an II, n° 117.)

« *Fratri Laurentio de Tuderto electo Consano* (1). In suppreme dignitatis —. Sane dudum Consana ecclesia pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa prout moris est, convenientes in unum fratrem Stephanum de Orsinigo monachum monasterii de Vibodono Cisterciensis ordinis Mediolanensis diocesis in Consanum archiepiscopum unanimiter et concorditer elegerunt. Procuratoribus itaque dicti capituli et eodem Stephano ad nostram presentiam accedentibus et petentibus electionem hujusmodi confirmari, tandem dictus Stephanus omne jus quod sibi ex electione hujusmodi competebat libere in nostris manibus resignavit. Nos autem hujusmodi resignatione recepta provisionem ejusdem ecclesie illa vice nobis duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus a quoquam contingeret attemptari. Et postmodum precavere volentes ne dicta ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurreret, te fratrum Predicatorum ordinis professorem eidem Consane ecclesie de fratrum nostrorum consilio in archiepiscopum preficimus et pastorem, tibi administrationem predicte Consane ecclesie in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firmam spem fiduciamque —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus junii, anno secundo. »

(1) En marge : *electio Consana.*

In e. m. capitulo ecclesie Consane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Consane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Consane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Consane.
In e. m. suffraganeis ecclesie Consane.
In e. m. carissimo in Christo filio C. regi Sicilie illustri. Dat. ut supra.

526 Saint-Pierre, 22 juin 1279.

Cum Petrus de Archia a capitulo ecclesie Acheruntine in archiepiscopum electus sit, eandem electionem, a temporibus Johannis pape vigesimi primi examinatam, confirmat. (Fol. 172 v°; an II, n° 118.)

« *Petro de Archia electo Acheruntino* (1). Sollicitudinis apostolice studium —. Sane Acherontina ecclesia dudum pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, ad tractandum de futuri substitutione pastoris insimul convenerunt certisque super hoc ad invicem tractatibus habitis, demum in hujusmodi electionis negotio per viam scrutinii procedentes, tres ex eis videlicet Berardum archidiaconum, Johannem cantorem et Saxonem canonicum Acherontinum ad scrutandum vota cunctorum juxta formam generalis concilii assumpserunt. Eisdem igitur archidiacono, cantore ac canonico sua et omnium aliorum canonicorum ejusdem ecclesie qui propter hoc convenerunt vota scrutantibus et mox publicantibus, in communi compertum extitit quod omnes in te vota sua unanimiter direxerunt sicque collatione habita ut est moris dictus archidiaconus de mandato et consensu aliorum omnium predictorum sua et eorum vice te in Acherontinum archiepiscopum et pastorem elegit tuque prebuisti hujusmodi electioni consensum. Porro electione ipsa felicis recordationis Johanni pape vigesimo primo predecessori nostro ex parte dicti capituli presentata, dictus predecessor electionem eandem bone memorie B. Sabinensi episcopo et dilectis filiis nostris A. tituli Sancte Praxedis presbitero et M. Sancte Marie in Porticu diacono cardinalibus juxta formam quam in talibus Romana servat ecclesia examinandam commisit et tandem eodem predecessore ac postmodum dicto episcopo viam universe carnis ingressis nos venerabili fratri nostro B. Albanensi episcopo in hujusmodi negotio dicto Sabinensi episcopo subrogato electionem eandem examinari fecimus diligenter et quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam teque ipsi ecclesie preficimus in archiepiscopum et pastorem. Firmam spem —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X kalendas julii, anno secundo. »

(1) En marge : *Electio Acherontina.*

In e. m. capitulo Acherontino.
In e. m. clero civitatis et diocesis Acheruntine.
In e. m. populo civitatis et diocesis Acheruntine.
In e. m. suffraganeis ecclesie Acheruntine.
In e. m. carissimo in Christo filio C. regi Sicilie illustri. Dat. ut supra.

527 Saint-Pierre, 22 juin 1279.

Electionem in ecclesia Surrentina de Johanne de Magistro judice factam confirmat. (Fol. 173; an II, n° 119.)

« *Johanni de Magistro judice electo Surrentino.* Dudum ecclesia Surrentina pastoris solatio destituta capitulum ejusdem, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, pro futuri substitutione pastoris prout moris est convenerunt in unum et demum procedere ad electionem hujusmodi per viam scrutinii cupientes Marinum Siri Marini, magistrum Cesarium et Petrum Romanum canonicos dicte ecclesie scrutatores votorum suorum concorditer elegerunt, qui scrutinii hujusmodi suscepto ministerio protinus secedentes in partem secreto et singillatim singulorum de dicto capitulo vota scrutari diligentius curaverunt et demum dictis capitulo in communi hujusmodi scrutinio publicato et comperto in ipso quod in te tunc canonicum ecclesie prefate vota omnium canonicorum ejusdem ecclesie concorditer concurrebant, mox dilectus filius Marinus Guardotus primicerius predicte ecclesie pro sua et ejusdem capituli parte te in archiepiscopum Surrentinum elegit. Cumque tu postmodum electioni hujusmodi consensisses dicti capitulum per dilectos filios abbatem, Constantium diaconum et Mathiam presbiterum predicte ecclesie canonicos fecerunt nobis decretum electionis hujusmodi presentari humiliter supplicantes ut confirmare electionem hujusmodi dignaremur. Nos itaque decretum prefatum per venerabilem fratrem .. episcopum Tusculanum et dilectos filios nostros G. tituli Sancti Marci presbiterum et J. Sancte Marie in Cosmidin diaconum cardinales et te examinari fecimus diligenter et demum quia electionem hujusmodi per ipsorum relationem fidelem invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam de tue providentie studio concepta fiducia quod eadem ecclesia sub tuo regimine in spiritualibus —.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum. X kalendas julii, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Surrentine.
In e. m. clero civitatis et diocesis Surrentine.
In e. m. populo civitatis et diocesis Surrentine.
In e. m. universis vassallis ecclesie Surrentine.
In e. m. universis episcopis suffraganeis ecclesie Surrentine.
In e. m. carissimo in Christo filio C. regi Sicilie illustri.
Dat. ut supra.

528 Saint-Pierre, 23 mars 1279.

Commemorat quibus decretis Gregorius papa decimus guerris et questionibus inter ecclesiam Lugdunensem et cives agitatis finem imponere curaverit; et secundum petitionem capituli Lugdunensis, infrascriptis mandat quatinus vocatis archiepiscopo Lugdunensi et episcopo Eduensi, burgensibus quoque diligenter interrogatis, si statuta premissa ita esse confiteantur ut narratur omnia redigi faciant ad perpetuam rei memoriam in publica instrumenta. (Fol. 173 v°; an II, n° 120.)

« *Dilectis filiis .. priori Sancti Petri Matisconensis .., Bisuntine et .. Lingonensis ecclesiarum decanis.* Sua nobis dilecti filii capitulum ecclesie Lugdunensis petitione monuerunt quod olim super omnibus guerris tunc motis et questionibus excitatis inter ipsos et capitulum ecclesie Sancti Justi Lugdunensis ex parte una et cives Lugdunenses ex altera facta in felicis recordationis Gregorium papam decimum predecessorem nostrum submissione alte et basse nomine pie memorie Innocentii pape quinti predecessoris nostri tunc archiepiscopi Lugdunensis et partium earundem prout in instrumentis publicis, quorum unum per manus quondam Bassi tunc camere apostolice reliqua vero per manus Johannis de Filiguis notariorum publicorum confecta sunt, dicuntur plenius contineri, idem predecessor G. ne predicte guerre seu questiones veluti sine fine remanentes recidivum aliquod paterentur, eas infrascripta determinatione sopivit. Voluit siquidem dictus predecessor Gregorius, ordinavit, decrevit et statuit ut omnis rancor et quevis injurie occasione predictarum guerrarum illate hinc inde remitterentur omnino et injurias ipsas tam ex vi submissionis predicte quam etiam de potestatis plenitudine duxit totaliter abolendas, decernens ex tunc de consensu et expressa voluntate partium injurias ipsas in ipsius predecessoris Gregorii presentia sibi invicem remittentium eas haberi penitus pro remissis ita ut ipsarum occasione nulla unquam earundem partium vel adjutores ipsarum in judicio vel extra quomodolibet impeti valeant seu etiam molestari super illis sed sit firma pax et concordia perpetuis temporibus inter eas et adjutores seu valitores ipsarum. Preterea idem predecessor Gregorius omnes excomunicationis et interdicti necnon et privationis sententias predictarum questionum et guerrarum occasione prolatas de eadem potestatis plenitudine relaxavit. Statuit insuper, ordinavit atque decrevit ut munitiones seu fortillicie quas prefati cives in civitate Lugdunensi fecerant quasque dictus predecessor Gregorius auctoritate submissionis ejusdem mandavit et fecit destrui perpetuo remaneant omnino destructe et si que ex eis superessent funditus non destructe, illas similiter decrevit destrui et mandavit, statuens ut in perpetuum sic dirute sic destructe remaneant ut nullo unquam tempore ab ipsis civibus sine archiepiscopi qui pro tempore fuerit et dictorum capituli Lugdunensis licentia earum aut similium vel quarumlibet aliarum restitutio vel constructio attemptari deberet. Ad hec prefatus predecessor Gregorius prohibuit ne ipsi cives sigillum commune haberent vel sigillo uterentur communi neve in eadem civitate catenas, barras seu quodcunque aliud viarum impedimentum absque simili ponere aut poni procurare seu sub quocunque colore comuniam facere vel aliqua que ad jus comunitatis vel universitatis pertinent sine ipsorum archiepiscopi et capituli Lugdunensis consensu presumerent exercere, conjurationes, convocationes, collectas sive levas faciendo aut consules aut rectores alios quovis nomine appellentur constituendo in eadem civitate seu alia hujusmodi presumendo; mandans nichilominus ut si quod commune sigillum haberent illud dicto predecessori Gregorio ante suum assignarent recessum, custodia quoque clavium portarum civitatis ejusdem libera maneret apud eundem archiepiscopum Lugdunensem, sede vero Lugdunensi vacante apud predictos Lugdunensem capitulum eadem custodia resideret.

Pro dampnis autem datis in domibus ipsorum capituli, canonicorum, clericorum ecclesiarum Lugdunensis, Sancti Justi et Sancti Thome de Forverio infra ambitum civitatis ipsius et in ecclesia de Esculliaco, dictus predecessor Gregorius voluit, ordinavit, decrevit et statuit ut iidem cives solverent septem milia librarum Viennensis monete, terminis infrascriptis : videlicet memorate ecclesie de Esculliaco sexcentas libras ejusdem monete, quarum centum converti voluit in refectionem ipsius ecclesie, et ad reparationem librorum et ornamentorum ejusdem. De reliquis vero quingentis voluit, ordinavit, statuit atque decrevit et mandavit emi possessiones et redditus de quibus constituerentur et essent tot perpetui capellani quot ex ipsis

possessionibus et redditibus possent inibi sustentari ad serviendum in ipsa ecclesia perpetuis temporibus pro animabus illorum qui per ipsos cives in ecclesia ipsa igne supposito perierunt, et ad expiationem peccatorum committentium in eadem ecclesia tam graves excessus per quos sacerdos ipsius ecclesie ac alii multi utriusque sexus infantes, juvenes et etiam seniores exorte incendio morti succumbere sunt coacti. Ad refectionem quippe ac emptionem hujusmodi prosequendas aliquos viros ydoneos juratos voluit et precepit per eos ad quos ea res pertinet deputari. Item voluit dictus predecessor Gregorius, statuit, decrevit atque mandavit ut iidem cives pro aliis dampnis datis specialiter domibus dictarum ecclesiarum Lugdunensis, Sancti Justi et Sancti Thome de Forverio capitulorum, canonicorum et clericorum ipsarum et ad refitiendas domos easdem persolverent reliquum predictarum septem milium librarum in refectionem domorum earundem et non in usus alios convertendum et deponendum ac dividendum, sicut idem predecessor Gregorius ordinaret, a reliquis dampnis extunc partes absolvens easdem. Hii autem sunt termini solutionum a prefato predecessore Gregorio assignati : primo silicet anno computando a festo Sancti Johannis Baptiste tunc instanti dicti burgenses duo milia librarum ; secundo vero totidem, tertio autem residua tria milia solvere tenerentur. Sane hec omnia et singula dictus predecessor Gregorius ordinavit, decrevit atque statuit non solum ex vi submissionis predicte verum etiam ex plenitudine potestatis inviolabiliter observari, sub pena decem milium librarum Viennensium totiens committenda quotiens contraventum foret hujusmodi ejusdem predecessoris Gregorii ordinatione, decreto atque statuto in sua nichilominus manentibus firmitate. Quam quidem penam quevis partium contra premissa veniens vel aliquod premissorum incurreret ipso facto et parti alteri eadem observanti medietatem ipsius, reliquam vero medietatem Terre Sancte solvere tenerentur. Retinuit autem sibi dictus predecessor Gregorius expresse potestatem addendi in premissis et eadem declarandi seu interpretandi semel vel pluries quotiens expedire videret. Hec quoque omnia partes in continenti emologaverunt expresse pacis osculo in ejusdem predecessoris et fratrum suorum qui tunc aderant invicem sibi dato.

Verum licet super hujusmodi ordinatione, decreto atque statuto ipsius predecessoris nostri Gregorii ejus nomine ad futuram rei memoriam quedam littera concepta fuerit et grossata, quia tamen predecessori jamdicto morte prevento littera ipsa non pervenit ad bullam nec premissorum executio alias fuit alicui persone commissa, sicque in premissis ultra processum non extitit nec de hiis comodum aliquod subsecutum pro parte ipsius capituli Lugdunensis humiliter petebatur a nobis ut cum alias plene liquere valeat de eisdem, ne ordinatio, decretum et statutum hujusmodi tam sollempniter edita tamque partium tranquillitati et paci accomoda debito frustrentur effectu, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque de vestra circumspectione confisi, ex officio nostro discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis specialiter venerabili fratre nostro .. archiepiscopo Lugdunensi et .. episcopo Eduensi ac eis super premissis sicut justum fuerit in juribus eorum auditis, ac etiam parte predictorum burgensium et omnibus qui sua crediderint interesse publice citationis edicto in competentibus locis preposito ad vestram presentiam evocatis et si nichil a dictis archiepiscopo vel episcopo seu quovis alio cujus interesset coram vobis propositum fuerit et ostensum, propter quod ad infrascriptorum executionum non esset exigente justitia procedendum, ipsos burgenses super premissis diligenter interrogare curetis et si ordinationem, decretum et statutum premissa ita esse confiteantur ut supra narratur tam ea quam confessionem illorum redigi faciatis ad perpetuam rei memoriam in publica munimenta. Si vero illi ea in totum negaverint vel in partem vos super negatis testes, instrumenta et alia legitima documenta que pars ipsius capituli coram vobis produxerit infra certum terminum peremptorium competentem quem eis ad hoc duxeritis prefigendum prudenter recipere ac testes ipsos secundum interrogatoria vobis a parte contraria exhibenda si ea exhibere voluerit, alioquin juxta datam vobis a Deo prudentiam diligenter examinare curetis, depositiones ipsorum testium cum transcriptis instrumentorum et documentorum hujusmodi redigi facientes in similia munimenta. Deinde vero burgenses eosdem ad observandum omnes et singulos ordinationis, decreti et statuti predictorum articulos, de quibus vobis juxta premissam formam procedentibus legitime constiterit, tam per penas in eisdem ordinatione, decreto et statuto contentas quam etiam si necesse fuerit monitione premissa auctoritate nostra sicut justum fuerit appellatione remota cogatis. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis veritati testimonium perhibere, non obstante si aliquibus quod excommunicari, suspendi vel interdici non possent a Sede Apostolica sit indultum. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum, etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X kalendas aprilis, anno secundo. »

529 Saint-Pierre, 7 juin 1279.

Ecclesie Petragoricensi, per translationem Helie patriarche Jerosolimitani vacanti, Raimundum archidiaconum Bolonie in ecclesia Morinensi preficit in episcopum. (Fol. 175; an II, nº 121.)

« *Raimundo electo Petragoricensi.* In suppreme dignitatis —. Nuper siquidem Petragoricensi ecclesia per translationem venerabilis fratris nostri Helie patriarche Jerosolimitani tunc Petragoricensis episcopi ad Jerosolimitanam ecclesiam per nos factam pastoris regimine destituta, nos paterna sollicitudine ecclesie precaventes eidem, que multis litigiorum intestinis anfractibus hactenus fuisse asseritur agitata, ne ex vacatione diutina si forsitan aliqua proveniret in eligendo dissentio in spiritualibus et temporalibus incurreret detrimenta, provisionem faciendam eidem Petragoricensi ecclesie de prelato nobis duximus reservandam, decernentes irritum et inane si secus super hoc contingeret attemptari. Et demum de ipsius ecclesie Petragoricensis ordinatione sollicite cogitantes, ac talem illi cupientes preesse pontificem de quo certam haberemus fiduciam quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimirent ne dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini commendandam, in te tunc archidiaconum Bolonie in ecclesia Morinensi direximus oculos nostre mentis, qui de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium et temporalium providentia fidedignorum testimonio commendaris. Quapropter gregi dominico speciali volentes diligentia providere de fratrum nostrorum consilio te prefate Petragoricensi ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, firmam spem —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII idus junii, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Petragoricensi.

In e. m. clero civitatis et diocesis Petragoricensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Petragoricensis. Dat ut supra.

530 Saint-Pierre, 13 juin 1279.

Archiepiscopo Compostellano, qui ab eadem ecclesia exulare cogitur, contrahendi mutuum et quandam provisionem ab episcopis, abbatibus ac universo clero diocesis et provincie accipiendi concedit facultatem. (Fol. 175, an. II, nº 122.)

« *Venerabili fratri Gundisalvo archiepiscopo Compostellano.* Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus tu pro ecclesie tue juribus protegendis et integre conservandis juxta officii tui debitum te exponens ab eadem ecclesia exulare cogaris, ita quod propter hoc necessariorum incomoda compelleris experiri et prosequendo negotium protectionis et conservationis hujusmodi te subire oporteat gravia onera expensarum, nos nolentes quod ipsarum defectu indigentiam patiaris vel quod tali pretextu hujusmodi prosecutio succidatur, tuis supplicationibus inclinati contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam mille marcarum argenti et te ipsum, successores tuos ac sedem archiepiscopalem Compostellanam, et tua et eorundem bona mobilia et immobilia presentia et futura usque ad summam hujusmodi, provisionem quoque mille quingentarum librarum Turonensium quam tibi a venerabilibus fratribus nostris episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, prepositis, decanis ac universo clero civitatis diocesis et provincie Compostellane annis singulis, necessitate ipsa durante, super cujus necessitatis ingruentia arbitrio Apostolice Sedis stari sub certa forma firma per alias litteras nostras precipimus, propterea creditoribus obligandi et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali beneficio restitutionis in integrum et juri revocandi domum, omnibus litteris, privilegiis et indultis apostolicis impetratis et impetrandis et indulto crucesignatis et crucesignandis concesso et concedendo, ac omni juris canonici et civilis auxilio necnon conventioni judicum, si pro parte dictorum creditorum apostolicas litteras propter hoc in posterum contigerit impetrari, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Ita tamen quod tu et successores tui, ac sedes predicta creditoribus ipsis hujusmodi pecuniam solvere ac dampna et expensas et interesse plenarie resarcire teneamini, si in loco et termino a te statuendis non fuerit eadem pecunia persoluta. Quibus creditoribus pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis aut cujusquam privilegii vel indulgentie Sedis Apostolice de quibus in nostris litteris plenam et expressam ac de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem probandi necessitatem incumbere nolumus quod in utilitatem ipsius sedis archiepiscopalis pecunia hujusmodi sit conversa. Ceterum ne in hoc vorago locum sibi vendicet usurarum intendimus quod tu vel dicti successores aut sedes vel ecclesia Compostellana seu tua vel ipsorum bona per has nostras litteras per cujuspiam fraudis seu calliditatis astutiam sub quovis pallio vel colore verborum ad usuras aliquas obligari nullatenus valeatis, presentes litteras, confessiones, cautiones, recognitiones seu promissiones per eas vel earum auctoritate seu occasione factas sive faciendas quoad obligationem usurarum hujusmodi decernentes irritas et inanes et nullius penitus existere firmitatis, eis nichilominus quoad premissa omnia que

usurariam pravitatem non sapiant in suo robore duraturis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus junii, anno secundo. »

531 Saint-Pierre, 13 juin 1279.

Infrascriptis mandat quatinus eidem archiepiscopo annis singulis, necessitate ipsius durante, quadam provisione succurrant. (Fol. 175 v°; an II, n° 123.)

« *Venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, prepositis, decanis ac universo clero civitatis diocesis et provincie Compostellane.* Si secundum apostolum —. Cum itaque venerabilis frater noster Gundisalvus archiepiscopus Compostellanus — ad vos tanquam speciales filios in suis necessitatibus cum quadam securitate recurrit et super hoc a nobis favoris apostolici patrocinium humiliter imploravit, nos autem attendentes quod patris indigentia vergit in opprobrium filiorum et ejus sarcina illorum merito sensibilitate unanimi colla premit, universitatem vestram monemus, rogamur et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus eidem archiepiscopo in hujusmodi necessitatis articulo annis singulis necessitate ipsa durante super cujus necessitatis ingruentia volumus arbitrio Apostolice Sedis stari in mille quingentis libris Turonensium juxta consuetudinem vestre provincie, si qua ibidem in talibus observatur, proportionaliter alias si talis consuetudo inibi non haberet ad arbitrium venerabilium fratrum nostrorum .. Zamorrensis et .. Elborensis episcoporum equaliter dividendis prout secundum equitatem viderint faciendum filiali promptitudine succurratis, ita quod possitis exinde —. Dat. ut supra. »

532 Saint-Pierre, 13 juin 1279.

Infrascriptis mandat quatinus si episcopi, abbates, priores, archidiaconi, prepositi, decani et clerus monitiones preces, ac exhortationes suas non adimpleverint in hac parte eos auctoritate apostolice cogant. (Fol. 176; an II, n° 124.)

« *Venerabilibus fratribus .. Zamorrensi et Elborensi episcopis.* Si secundum apostolum —. Dat. ut supra. »

533 Saint-Pierre, 20 juin 1279.

Infrascriptis mandat quatinus de translatione sedis Cartaginensis ad castrum Murtie, ab episcopo et capitulo ecclesie Cartaginensis postulata, veritatem diligentius inquirant et que invenerint Sedi Apostolice fideliter scribant. (Fol. 176; an II, n° 125.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Dertusensi et dilectis filiis .. abbati monasterii de Benifazan Cisterciensis ordinis Dertusensis diocesis.* Inter ministeria nostre —. Nuper siquidem venerabilis frater noster .. episcopus et dilecti filii capitulum Cartaginense nobis exponere curaverunt quod civitas Cartaginensis in loco sita dinoscitur adeo per mare mediterraneum strictum infidelium feritati vicino, a christiano quoque incolatu semoto quod ipsi et cives Cartaginenses agaranicis et aliorum etiam qui sub velamine tituli christiani laxant ad injurias manus suas vexati insultibus, ingressum et regressum ad civitatem ipsam liberos non habentes, plerumque gravia dampna in personis et rebus incurrunt. Populus quoque Cartaginensis diocesis similiter propter viarum discrimina, que ex inepta prefati loci dispositione crebrius suscitantur nequaquam nisi forsan gressu interdum clandestino vel cum ducatu comitum competenti adire civitatem eandem presumunt. Unde ex hiis et aliis variis incomodorum articulis predicte civitatis habitatio fidelium quieti adeo redditur onerosa quod ibidem brevis habetur numerus incolarum et predictus populus turbatur vehementer et redditur Cartaginensi ecclesie indevotus. Quare prefati episcopus et capitulum ad nostre super hoc provisionis remedium recurrentes et asserentes quod castrum Murtie in eadem diocesi constitutum est locus honorabilis et insignis ac aptus in hac parte votis populi memorati a nobis humiliter postularunt ut sedem Cartaginensem ad castrum ipsum transferendi dignaremur eis concedere liberam facultatem. Quia igitur id exacte indaginis exposcit solertiam ut quod in hac parte pia sugeritur instantia concedatur deliberatione consulta, nos qui de circumspectione vestra gerimus in Domino fiduciam pleniorem, cupientes vestre sollicitudinis ministerio instrui plene et plenius informari an premissa clareant veritate et subsequenter an hujusmodi postulatio clero et populo prefatis votiva existat et saluti et utilitati expediat eorundem, an in christiane professionis redundet honorem, si ejus professores fugiant a facie inimici et an ex hoc christicolis illarum partium materia scandali suscitetur, juxta datam a Deo vobis gratiam super hiis et aliis circumstantiis quas conditio negotii hujusmodi desiderat, super quibus vestram intendimus conscientiam onerare, inquiratis diligentius veritatem et demum que inveneritis per vestras litteras harum seriem continentes nobis fideliter intimetis ut vestre instructionis lumine instructi clarius in premissis in eis prout ipsorum exegerit qualitas tutius et consultius

auctore Domino procedamus. Non obstante indulgentia qua tibi fili abbas vel ordini tuo a Sede Apostolica dicitur esse concessum quod non tenearis te intromittere de quibuscunque negotiis que tibi a sede committuntur eadem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XII kalendas julii, anno secundo. »

534 Saint-Pierre, 1er juillet 1279.

Infrascripto indulget quod archiepiscopus Cantuariensis vel quivis alius, ascitis secum duobus vel tribus episcopis catholicis, quos ipse duxerit nominandos, munus consecrationis ei impendere valeat. (Fol. 176 v°; an II, n° 126; Potthast 21621.

« *Dilecto filio fratri J. de Derlinton, electo Dublinensi.* Ea que juste —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, kalendis julii, anno secundo. »

535 Soriano, 21 juillet 1279.

Infrascriptis mandat quatinus pallium, ipsis per magistros Stephanum de Cendenore, rectorem ecclesie de Takele et Adam de Novoburgo clericum Lincolniensis et Conventrensis diocesum presentandum eidem electo post consecrationem tradant. (Fol. 176 v°; an II, n° 127. Potthast 21626.)

« *Venerabilibus fratribus .. Londoniensi .. Norwicensi et .. Wigorniens episcopis.* Cum dilectum filium — Dat. Soriani, XII kal. augusti, anno secundo. »

In e. m. magistris Stephano de Cedonore, rectori ecclesie de Takele et Ade de Novoburgo clerico Lincolniensis et Conventrensis diocesum. Dat. ut supra.

536 Saint-Pierre, 8 juin 1279.

Infrascripto, per magistrum Nicolinum de Camilla capellanum suum examinato, judicatus et tabellionatus officia, cum potestate dandi tutores et curatores, interponendi decretum, decernendi alimenta, testes recipiendi et publicandi acta, protocolla et instrumenta exemplandi necnon auctoritatem prestandi emancipare, manumittere et adoptare volentibus concedit. (Fol. 177; an II, n° 128.)

« *Matheo Johannis Berardi de Flaian. laico Nepesine diocesis. Super officio tabellionatus et judicatus.* Ne si [illegible] Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus [illegible] secundo. »

537 Saint-Pierre, 13 juin 1279.

Bertrando Amalrici capellano suo mandat quatinus ad executionem negotio decime, juxta Gregorii pape decimi mandata, vigilanter intendant. (Fol. 177; an II, n° 129; Potthast 21612.)

« *Dilecto filio magistro Bertrando Amalrici capellano nostro canonico Remensi, collectori decime in Dacie et Suetie regnis deputato.* Felicis recordationis G. papa predecessor noster olim approbante concilio generali Lugdunensi decimam omnium ecclesiasticorum redditum et proventuum ad Terre Sancte subsidium per sex annos a festo nativitatis beati Johannis Baptiste tunc transacto novissime numerandos concessit, tibique dictus predecessor suis dedit litteris in mandatis ut predicte decime colligende in Datie et Suetie regnis, videlicet ut in singulis civitatibus et diocesibus dictorum regnorum de consilio locorum ordinarii aut ejus vicem gerentis, si diocesanus ipse absens foret, et duorum fidedignorum de ecclesia cathedrali constitutorum in dignitatibus seu aliorum quoad non exemptos quoad exemptos vero de consilio aliquorum proborum de contrata deputares duas personas fide, facultatibus, si tales invenirentur comode ac alias ydoneas ad collectionis hujusmodi ministerium exequendum. Collectores vero quos ut premittitur deputares sub forma jurare faceres in eisdem litteris annotata, et ut tu nichilominus partes circuires easdem diligentius scrutaturus qualiter in commisse sibi dicte collectionis officio iidem se collectores haberent qualiter ipsis de decima satisfieret supradicta, collectamque per illos ex decima ipsa pecuniam de predictorum ordinarii et aliorum consilio faceres per collectores eosdem in tutis locis vel loco deponi, tibi quoque cum consilio eorundem ordinarii et aliorum mutandi collectores ipsos quotiens expedire videres ac eos compellendi coram eisdem ordinariis et aliis ad reddendum tibi computum de collectis, et contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam auctoritate apostolica compescendi plenam concessit auctoritate simili potestatem, et ut tam tu quam dicti collectores fructum reportaretis ex vestris laboribus idem predecessor premissa tibi et eis in remissionem peccaminum injunxit et nichilominus a prestatione decime pro annis illis quibus circa ea laboraretis vos voluit esse immunes. Preterea illius indulgentie concessit esse participes, que crucesignatis personaliter transfretantibus in Terre Sancte subsidium est concessa, et quod tu de pecunia ex ipsa decima colligenda, singulis diebus in quibus circa premissa vacares, tres solidos et sex denarios sterlingorum perciperes pro expensis. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica esset indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possent per litteras

apostolicas que de indulto hujusmodi ac tota ejus continentia de verbo ad verbum et propriis locorum et personarum nominibus specialem plenam et expressam non fecerint mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis vel litteris quibuscunque dignitatibus ordinibus locis vel personis generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel concessione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumve totis tenoribus de verbo ad verbum in litteris apostolicis specialis plena et expressa mentio esset habenda. Voluit etiam idem predecessor ut frequenter ei rescriberes quod actum esset in qualibus ex provinciis sepedictis tam circa collectores quam circa collectionem et quantitatem collectam, ipsius depositionem, locum depositionis et modum. Cum igitur hujusmodi negotium specialiter insideat cordi nostro et ad liberandum de manibus impiorum terram ipsam mentis nostre desiderium dirigatur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad executionem prefati negotii studeas vigilanter intendere juxta predictarum predecessoris ejusdem continentiam litterarum, sic prudenter et consulte in hac parte te dirigens, ut ab eo qui est bonorum omnium retributor retributionis premium et a nobis laudis titulos et gratiam assequi merearis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus junii, anno secundo. »

538 Saint-Pierre, 13 juin 1279.

Infrascriptis mandat quatinus bona in Terre Sancte subsidio convertenda Bertrando Amalrici capellano studeant integraliter sub autenticis litteris assignare, quod et quantum assignaverint pape fideliter rescripturi et litteras memoratas transmissuri. (Fol. 177 v°; an II, n° 130; Potthast, 21613.)

« *Universis prioribus Predicatorum ac guardianis Minorum fratrum ordinum ac fratribus eorundem ordinum per Datie et Suetie regna constitutis.* Intelleximus quod pie —. Dat. ut supra. »

539 Saint-Pierre, 21 juin 1279.

Regem Suetie rogat quatinus pecuniam decime in regno collectam extra regnum extrahi libere patiatur et ad id plene securitatis favorem prestet. (Fol. 177 v°; an II, n° 131; Potthast 21614.)

« *Carissimo in Christo filio .. regi Suetie illustri.* Illam in desideriis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XI kalendas julii, anno secundo. »

540 Saint-Pierre, 13 juin 1279.

Infrascriptis mandat quatinus omnium ecclesiasticorum proventuum decimam, quam Gregorius papa decimus approbante concilio Lugdunensi pro subsidio Terre Sancte deputavit, integre persolvant, restituri plenius quod forsan ex aliqua negligentia ex ipsa subtraxerint. (Fol. 178; an II, n° 132; Potthast 21611.)

« *Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis per Datie et Suetie regna constitutis.* Gregis dominici pastores —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus junii, anno secundo. »

541 Saint-Pierre, 7 juin 1279.

Infrascriptis mandat quatinus capellano, a Gregorio papa decimo destinato, cum per partes ipsorum transierit, pro eodem, familia et bonis ejus super securo conductu in eundo, morando et redeundo auxilium prebeant. (Fol. 178; an II, n° 133.)

« *Nicolaus, etc. venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis necnon nobilibus viris ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, militibus, potestatibus, communitatibus et aliis dominis seu rectoribus sive consiliis civitatum, castrorum et aliorum locorum ad quos littere iste pervenerint salutem, etc.* Cum olim felicis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII idus junii, anno secundo. »

542 Saint-Pierre, 6 juin 1279.

Regi Dacie gratias agit et gratulatur quod negocio decime in subsidium Terre Sancte deputate se benignum et favorabilem exhibeat. (Fol. 178 v°; an II, n° 134.)

« .. *Regi Datie illustri.* Gaudemus in Domino quod tue devotionis studia, sicut nobis assertione votiva innotuit, sic consurgunt in beneplacitum majestatis divine, prout ex qualitate tuorum operum colligitur evidenter, quod te ipsius dignum reddis premiis et nostre benedictionis gratia non indignum. Intelleximus siquidem quod tu ad itinera eternitatis properare cupiens actuum claritate ac propter hoc in divino servitio non solum manum operationis laudabilis excitans sed et labium efficacis persuasoris assumens, regni tui populum discretis induc-

tionibus et monitionibus sedulis excitasti ut in Terre Sancte subsidium denarium constitutum ad hoc in Lugdunensi concilio liberaliter exhiberent teque in promovendo negotio decime in eodem regno et feliciter dirigendo constituens laudabiliter propitium favorabilem et benignum. Quare fili carissime licet ex hujusmodi piis ministeriis gloria tui nominis longe lateque reddatur insignis, nichilominus tamen nos qui te inter amplexus specialis dilectionis complectimur ex hiis que ita illuminant sensus tuos in plenam exultationem evecti sinceritatem mentis regie in hac parte multipliciter commendantes ac propter hoc referentes tibi sollempnia gratiarum celsitudinem tuam rogamus attentius quatinus sic studeas in pietatis operibus crescere et exuberare fructibus caritatis quod regis superi ministra misericordia de regno caduco feliciter ad regnum pervenias sempiternum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus junii, anno secundo. »

543 Saint-Pierre, 25 mai 1279.

Regem Datie rogat quatinus pecuniam decime in regno collectam extra regnum asportari libere patiatur. (Fol. 178 v°; an II, n° 135.)

« *Eidem.* Confidentes plenius fili carissime quod in votis regiis habeatur precipuum ut illius Terre subsidium prospere dirigatur in qua tue redemptionis pretium fieri voluit Dominus Deus tuus, celsitudinem tuam rogamus attente quatinus pro ipsius gloria et nostra reverentia pecuniam de decima pro eodem subsidio constituta in tuo regno collectam et imposterum colligendam pro eo quod pecunia usualis ipsarum partium sicut asseritur crebra mutatione vilescit benignitate regia conflari et tandem extra regnum tuum asportari libere nostro et dicte Terre nomine patiaris ita quod ex hoc tue devotionis sinceritas apud Deum digna premiis statuatur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII kalendas junii, anno secundo. »

544 Saint-Pierre, 7 juin 1279.

Regem Suetie rogat quatinus quandam quantitatem argenti, de pecunia decime Terre Sancte, quam sub velamento necessitatis urgentis receperit, magistro Bertrando Amalrici, collectori decime, restituere plenius procuret. (Fol. 178 v°; an II, n° 136; Potthast 21595.)

« .. *regi Suetie illustri.* Si circumspecta culminis regalis industria recte consideret quantum apostolica sedes circa negotium Terre Sancte, quam inimicorum filii Dei vivi domini videlicet Jhesu Christi qui pro salute humani generis in ea nasci voluit et crucis subire tormentum funesta presumptio occupavit, a noxiis sollicitudinibus laborarit, et ad illud cooperantibus sibi fidelium studiis indesinenter aspiret tu profecto circa ea que promotionem ipsius negotii procurarent tua vacaret intentio ejusque detrimenta tanquam membrum nobile ac princeps catholicus evitares, sed sicut non sine vehementis admirationis causa nuper accepimus, de pecunia decime que in tuo regno ad opus ipsius Terre collecta esse dinoscitur quandam quantitatem argenti sub velamento necessitatis urgentis recepisti motu proprie voluntatis, quod utique non decuit regiam majestatem, cujus favoris presidium ipsi negotio suo loco et tempore concedimus non deesse. Verum quia hujusmodi receptionem ipsius pecunie non frustra notabilem in derogationem honoris tui ac regie honestatis cedere pro firmo testamur et in pernitiem dicte Terre foret exempli exinde aliis causa mali, nos licet hujusmodi facti qualitas exigeret super hoc fuisse aliter procedendum, ne tamen caritatem veram, quam more superni patris cujus vicariatus in terris quanquam indigni officium obtinemus ad regalem serenitatem habere decrevimus, refriguisse quomodolibet opineris, ad te in mansuetudinis spiritu dirigimus scripta nostra celsitudinem regiam affectuose rogantes quatinus predictam quantitatem argenti dilecto filio magistro Bertrando Amalrici capellano nostro canonico Remensi collectori decime in regno tuo a sede apostolica deputato, nostro et ejusdem terre nomine restituere plenius omnino procures, ita quod exinde imperatoris celestis gratiam uberius merearis et laudabilis constituaris in labiis populorum, nosque zelum tue devotionis ex hoc multipliciter commendemus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII idus junii, anno secundo. »

In e m. carissimo in Christo filio .. regi Datie illustri usque in finem.

545 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Magistro Bertrando Amalrici mandat quatinus contra nonnullos clericos, quibus ministerium colligendi decimam commisit cum absque licentia ipsius ad partes remotas se transferre et aliquas quantitates pecunie, quam collegerant, secum asportare ausu nefario presumpserint, de ministerio collectionis peracte contempnentes reddere rationem, jam excommunicatos usque ad satisfactionem condignam aggravet

manum, invocato contra eos, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. (Fol. 179; an. II, n° 137; Potthast 21602.)

« *Magistro Bertrando Amalrici capellano nostro canonico Remensi, collectori decime in Datie et Suetie regnis Terre Sancte subsidio deputate.* Ex tenore litterarum —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V idus junii, anno secundo. »

546 Saint-Pierre, 6 juin 1279.

Infrascriptis mandat quatinus pecuniam decime in locis sue jurisdictioni subjectis collectam ad portum Ripensem procurent sub custodia fida deferri, ita quod dicta pecunia postea in Franciam per magistrum Bertrandum Amalrici collectorem decime deferri possit seu mitti; ad quod eidem auxilium et consilium impertiri debent. (Fol. 179; an II, n° 138; Potthast 21594.)

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopo et universis episcopis in regno Datie constitutis.* Tanto ad Terre Sancte —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus junii, anno secundo. »

In e. m. fratribus archiepiscopo et universis episcopis in regno Suetie constitutis usque in finem, excepto quod ubi dicitur ad portum Ripensem debet dicere ad portum Scarensem.

547 Saint-Pierre, 21 juin 1279.

Cum episcopus Scarensis crucis assumpto signaculo proposuerit in primo generali passagio a sede apostolica statuendo in Terre Sancte subsidium personaliter proficisci, magistro Bertrando Amalrici mandat quatinus a dicto episcopo decimam nichilominus exigat et in tuto loco deponat tradendam tandem dicto episcopo si eum contigerit personaliter transfretare, alioquin ipsam custodiat diligenter. (Fol. 179; an II, n° 139; Potthast 21615.)

« *Magistro Bertrando Amalrici canonico Remensi in Datie et Suetie regnis collectori decime Terre Sancte subsidio deputate.* Sicut nuper te —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XI kalendas julii, anno secundo. »

In e. m. ad eundem pro episcopo Lincopensi.
In e. m. pro episcopo Arusiensi.

548 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Eidem mandat quatinus pecuniam decime, coram duobus vel tribus episcopis reddita ratione, in Franciam transferri et in tuto loco deponi procuret. (Fol. 179 v°; an II, n° 140; Potthast 21603.)

« *Eidem magistro Bertrando Amalrici.* Nuper ex tua insinuatione accepimus quod admodum Terre Sancte procuratur utilitas si pecunia decime in partibus illis collecta in Franciam transmittatur. Verum tamen hesitas quia prelati ipsarum partium id fieri de facili non permitterent absque mandato sedis apostolice speciali. Nos itaque cupientes dicte Terre prosperitatis commoda procurare discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus pecunia ipsa coram duobus vel tribus episcopis reddita plenaria ratione, ipsam demum sub testimonio litterarum ipsorum episcoporum, eorum munitarum sigillis, in Franciam nostro et Ecclesie Romane nomine transferri, et inibi eam deponi in tuto loco procures, de quantitate autem hujusmodi pecunie et loco in quo deposita fuerit facias fieri publicum instrumentum illud nobis postmodum remissurus. Volumus tamen quod iidem episcopi quantum de decima ipsa remanserit, reddita ratione, et quantum per te in Franciam transmittetur, depositarii vero quantum receperint sub tuo et eorundem episcoporum ac depositariorum sigillis nobis per patentes litteras plenarie intimetur, ut sic apparere possit ad plenum an totum quod a te receptum fuerit deponatur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V idus Junii, anno secundo. »

549 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Eidem mandat quatinus de negligentia quorundam clericorum et prevaricatione Ripensis et Sclavicensis episcoporum in negotio decime Terre Sancte veritatem diligentius inquirat, et dictos episcopos moneat ut ipsi satisfaciant competenter. (Fol. 179 v°; an II, n° 141; Potthast 21605.)

« *Eidem.* Nuper ex serie tue insinuationis accepimus quod tu nonnullos clericos Ripensis et Sclavicensis civitatum et diocesum, pro eo quod a te diligenter moniti, decimam de redditibus suis ecclesiasticis solvere statutis terminis in Lugdunensi concilio non curarunt, a beneficiorum suorum perceptione suspendere, aliquos vero ex eis excommunicationis sententia innodare exigente justitia curavisti, in venerabiles fratres nostros Thutonem Ripensem et Bondonem Sclavicensem episcopos, si dictos clericos ligatos taliter suorum beneficiorum paterentur percipere redditus et in eisdem beneficiis ministrare, ipsi quoque episcopi suorum proventuum neglexerint solvere decimam in hujusmodi terminis interdicti sen-

tentia promulgata. Porro dicti episcopi in hac parte in notabilis prevaricationis offensam incidere non verentes, non sine divini timoris et apostolice sedis contemptu ac gravi prejudicio Terre Sancte prefatis clericis sic excommunicatis et suspensis non solum non formidant divinis comunicare officiis, verum etiam eos patiuntur beneficiorum suorum percipere redditus et ministrare etiam in eisdem. Iidem quoque episcopi honoris pontificalis facti immemores, in detestabilioris presumptionis ausum erecti, nedum quod decimam suorum proventuum non solverint in terminis memoratis, immo quod execrabilius est, iidem notabilis avaritie laqueo irretiti decimam quam de triennio persolverunt, non sine fidei violate nota et ipsorum salutis interitu, adeo defalcarunt quod vix quantitatem solute decime pro primo anno ab eis quantitas solutionis per idem triennium facte juxta communem extimationem attingit. Quia igitur hec si vera sunt, tanto in eisdem episcopis pernitiosa censentur exemplo, quanto eorum alii claritate operum informandi, ex premissorum qualitate corrupti facilius ad actus accedent obvios saluti hominis utriusque, ac propter hoc nolentes illa coniventibus oculis pertransire, ne quod absit, si remanserint incorrepta, fiant aliis materia delinquendi, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus inquiras super hiis diligentius veritatem, et si demum tibi constiterit predictos episcopos culpabiles in premissis, ipsos moneas diligenter ut infra unum mensem post monitionem tuam super hiis tibi nostro et Terre Sancte nomine satisfaciant competenter. Si vero ipsi infra idem tempus contempserint hujusmodi monitioni parere, tu extunc ipsos suspensos ab officio et beneficio ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra terminum peremptorium, quem eis duxeris prefigendum, personaliter compareant coram nobis pro meritis recepturi. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras harum seriem continentes rescribere fideliter non postponas. Dat. ut supra. »

550 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Eidem mandat quatinus de quibusdam excessibus contra clericos decime collectores a clero civitatis Scarensis commissis veritatem diligenter inquirat, et malefactores, si paucos esse consideret, citare procuret ut personaliter coram papa [illegible] (Fol. 180, an II, n° 142. Potthast 21604.)

« *Eidem.* Nuper ex serie litterarum tuarum nobis innotuit quod cum quidam clerici collectores decime, quos in Datie et Suetie regnis deputaras, in quosdam ex clericis civitatis Scarensis, pro eo quod decimam redditnum suorum ecclesiasticorum debitam subsidio Terre Sancte requisiti solvere denegabant, excommunicationis sententiam exigente justitia promulgassent, clerus ejusdem civitatis in eosdem collectores impetum unanimiter facientes adeo vehementer contra eos gladium exagitarunt furoris, quod vix iidem mortis periculum fuge presidio evaserunt, tuque ex hoc terrore perterritus concite coactus fuisti civitatem relinquere memoratam. Quia igitur hujusmodi presumptionis excessus dinoscitur non sine injuria apostolice sedis et detrimento negotii ejusdem Terre presumptus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi inquiras contra hujusmodi excessuum presumptores diligentius veritatem, et si malefactores ipsos qui magnos commiserunt excessus tibi constiterit paucos esse, predictos malefactores ex parte nostra peremptorie citare procures ut infra terminum competentem quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum personaliter compareant coram nobis. Si vero multitudo sit in causa aliquos ex eis, quos tibi magis culpabiles esse constiterit, quod personaliter, alios vero quos de ipsa multitudine qui magnos excessus commisisse dicuntur, necnon et illos quos non adeo super hoc culpa gravis accusat, quod per procuratores ydoneos in termino quem eis ad hoc prefixeris apostolico se conspectui representent, penam debitam pro meritis recepturi, similiter citare procures. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceris, per tuas litteras harum seriem continentes, nobis fideliter studeas intimare. Dat. ut supra. »

551 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Eidem liberam concedit facultatem diversas personas, quibus collectores decime pecuniam tradiderant, ea conditione ut ejusdem extimationem certo termino in argento restituerent, cum predictam restitutionem non fecerint, per censuram ecclesiasticam compellendi. (Fol. 180; an II, n° 143; Potthast 21606.)

« *Eidem.* Ex tua nuper insinuatione accepimus quod hii, quos in partibus illis collectores decime deputasti, considerantes prudentius quod propter crebram mutationem monete earundem partium pecunia collecta de decima vilior reddebatur ac propter hoc cupientes indempnitati Terre Sancte consultius precavere, pecuniam hujusmodi sub ea conditione diversis tradiderunt personis, ut ipse ejusdem extimationem restituerent certo termino in argento. Verum quia, ut asseris, nonnulle ex personis ipsis extimationem pecunie hujus sic eis tra-

dite restituere in termino predicto eisdem collectoribus requisite non curant, nos volentes super hoc de oportuno remedio providere tam personas hujusmodi quam alias, quibus in posterum super hujusmodi conditione pecuniam hujusmodi tradi continget, ad reddendam extimationem hujus pecunie in argento monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendi et invocandi contra eos super hoc si necesse fuerit auxilium brachii secularis auctoritate presentium liberam tibi concedimus facultatem. Dat. ut supra. »

552 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Eidem consultationem a sede apostolica postulanti an de quibusdam redditibus, ex quibus clericis ecclesiarum infra Datie et Suetie regna vinum et ostie annis singulis ministrantur, exigi debeat decima, respondet. (Fol. 180; an II, nº 144; Potthast 21607.)

« *Eidem.* Te nuper significante accepimus quod in cathedralibus ecclesiis in Datie et Suetie regnis constitutis nonnulli redditus devotione fidelium deputati existunt, ex quibus per personam ad hoc specialiter deputatam clericis ecclesiarum infra eadem regna consistentium vinum et ostie annis singulis ministrantur. Quia vero an de hujusmodi redditibus exigi debeat decima consultationem a sede apostolica postulasti, nos tuam diligentiam commendantes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si proventus ipsi sint adeo magni quod ministratis vino et ostiis, multum ex illis noveris superesse, volumus quod de illis hujusmodi decima persolvatur. Si vero nichil vel parum ex predictis redditibus superesset, nichil persolvatur de ipsis propter reverentiam divini cultus et Domini sacramentum. Dat. ut supra. »

553 Saint-Pierre, 27 juin 1279.

Eidem mandat quatinus cives Scarenses moneat ut septingentas marcas argenti in denariis ab ipsis de sacrario ecclesie, in quo pecunia decime erat deposita, violenter eductas infra octo dies restituant et de injuria plenam satisfactionem impendant; quod nisi fecerint, excommunicationis et interdicti sententias promulget. (Fol. 180; an II, nº 145; Potthast 21617.)

« *Eidem.* Nuper ex insinuatione tua nobis innotuit quod cives Scarenses manibus ad nefariam operationem laxatis sacrarium ecclesie Scarensis, in quo pecunia collecte decime erat deposita, non sine provocatione divina et injuria apostolice sedis et nostra violare nequiter et tandem septingentas marcas argenti in denariis de ipso sacrario educere et suis applicare usibus ausu nephario presumpserunt. Nos itaque tam detestabilis presumptionis excessum tanto graviorem censentes quanto gravius in prejudicium deputati Terre Sancte subsidii dinoscitur redundare, ac propter hoc cupientes ut sic contra eosdem cives virga debite castigationis consurgat quod eos super hoc taliter excessisse peniteat et a similium presumptione in posterum conquiescant, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus predictos cives in loco tibi tuto et de quo verisimile sit monitionem tuam posse ad cives ipsos de facili pervenire publice monere procures ut infra octo dies post monitionem tuam dictam quantitatem marcarum integraliter tibi nostro et ejusdem Terre nomine restituant et de injuria nobis et dicte Terre in hac parte illata plenariam satisfactionem inpendant. Et si iidem id infra idem tempus contempserint adimplere, tu extunc in singulos eorum qui in hoc culpabiles extiterint excommunicationis, et tandem ipsorum civium exigente contumatia, in civitatem Scarensem interdicti sententias studeas promulgare, invocato super hoc contra eos nichilominus si opus fuerit auxilio brachii secularis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V kalendas julii, anno secundo. »

554 Saint-Pierre, 11 juin 1279.

Infrascriptis mandat quatinus episcopum Squillacensem moneant ut nonnulla bona Neucastrensis ecclesie indebite occupata restituere procuret, vel, si recusaverit, ipsum citare curent ut coram pontifice personaliter compareat. (Fol. 180 vº; an II, nº 146.)

« *Venerabilibus fratribus .. Bissinianensi et Marturanensi episcopis.* Nobis nec mirum turbationis suscitatur materia cum ecclesiarum bona manus temerarie occupare presumunt. Intelleximus siquidem quod venerabilis frater noster Philippus episcopus Squillacensis conspitiens quod Roberto quondam Neucastrensi episcopo nepoti suo status sui naufragium imminebat, quod postmodum incurrit exigentibus culpis suis, nonnulla bona ad Neucastrensem ecclesia pertinentia indebite occupavit et illa detinet contra justitiam occupata. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum predictum episcopum moneatis diligenter ut infra quatuor dies post monitionem vestram venerabili fratri nostro T. episcopo Neucastrensi bona hujusmodi restituere integre cessante qualibet difficultate procuret. Si vero dictus Squillacensis episcopus

infra idem tempus monitionibus vestris non acquieverit in hac parte, vos eum extunc ex parte nostra peremptorie citare curetis ut infra unum mensem post citationem vestram cum omnibus actis juribus et munimentis suis causam hujusmodi contingentibus personaliter compareat coram nobis, facturus et recepturus super hoc quod ordo dictaverit rationis et alias nostris beneplacitis parituros; diem vero citationis et formam et quicquid idem feceritis nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter rescribatis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III idus junii, anno secundo. »

555 Soriano, 15 juillet 1279.

Petro archidiacono Xanctonensi capellano suo concedit facultatem ut de bonis suis, quibusdam conditionibus observatis, liberè testari valeat. (Fol. 180 vo; an II, nº 147.)

« *Petro archidiacono Xanctonensi capellano nostro.* Quia presentis vita conditio statum habet instabilem et ea que visibilem habent essentiam tendunt visibiliter ad non esse, tu hoc salubri meditatione premeditans diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati ut de bonis tuis undecunque non per ecclesiam seu per ecclesias licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dum viveres dispensationi seu administrationi commissis, et que non fuerunt altaris ministerio seu alicui speciali divino cultui vel usui deputata pro decentibus et honestis expensis tui funeris ac pro remuneratione illorum qui tibi viventi serviverint sive sint consanguinei sive alii juxta servitii meritum, testari ac disponere possis et alias prius ecclesiarum vel beneficiorum tuorum ere alieno deducto, ut ipsa beneficia vel ecclesie non remaneant debitis obligata, de ipsis in pios usus ac licitos convertendis tibi auctoritate presentium plenam et liberam concedimus facultatem. Volumus tamen ut in eorundem dispositione bonorum juxta quantitatem residui erga ecclesias a quibus eadem percepisti te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit et saluti anime tue crederis expedire. Dat. Soriano, idibus julii, anno secundo. »

556 Monterosi, 5 juillet 1279.

Infrascriptis mandat quatinus dispensent cum nobili viro [illegible] de Mirabelo et nobili muliere Menth, nata Benedicti de Mauritania, ut matrimonium juxta petitionem ipsorum contrahere possint. (Fol. 181; an II, nº 148; Potthast 21623.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Engolismensi et dilectis filiis Raymundo electo Petragoricensi ac .. ministro provinciali ordinis fratrum Minorum in provincia Aquitanie.* Sicut exhibita nobis —. Dat. apud Montemrosulum, III nonas julii, anno secundo. »

557 Monterosi, 5 juillet 1279.

Infrascriptis mandat quatinus cum Johanne de Muteyo, armigero consanguineo archiepiscopi Treverensis et Hudeta nata Theobaldi de Sorbeis nepte Johannis de Colonier, quem Robertus de Muteyo, patruus ipsius Johannis, interfecit dispensare procurent ut matrimonium contrahere possint. (Fol. 181; an II, nº 149; Potthast 21622.)

« .. *priori Predicatorum et ministro Minorum fratrum ordinum provincialibus in Francia.* Exponente nobis Johanne —. Dat. ut supra. »

558 Viterbe, 22 septembre 1279.

Infrascriptis mandat quatinus cantorem ecclesie Viennensis et magistrum Guillelmum de Valentia archidiaconum Vindocinensem in ecclesia Carnotensi, quos in archiepiscopum Viennensem contrariè elegerunt capitulum ecclesie Viennensis et capitulum ecclesie de Romanis, citare curent ut infra sex septimanas cum tribus aut quatuor eorundem capitulorum canonicis apostolico se conspectui representent. (Fol. 181 vo, an II, nº 150; Potthast 21640.)

« *Dilectis filiis .. abbati S. Petri foris portam Viennensi .. priori Predicatorum Lugdunensi et .. guardiano Minorum Viennensium fratrum ordinum vel eorum vices gerentibus.* Ex incumbenti nobis —. Dat. Viterbii, X kalendas octobris, anno secundo. »

559 Viterbe, 19 septembre 1279.

Willelmum ecclesie Eboracensis cancellarium, quamvis de ipso electionem factam prius cassaverit, eidem ecclesie in archiepiscopum preficit. (Fol. 182; an. II, nº 151.)

« *Dilecto filio Willelmo archiepiscopo Eboracensi.* De variis innumerisque — sane dudum Eboracensi ecclesia per obitum bone memorie Walteri Eboracensis archiepiscopi solatio destituta pastoris, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie a carissimo in Christo filio nostro .. rege

Anglie illustri prout de consuetudine fore asseritur hactenus observatum eligendi petita licentia et obtenta vocatisque omnibus qui voluerunt debuerunt et potuerunt comode interesse certa quadam die ad eligendum prefixa insimul convenerunt et ad electionem hujusmodi per viam scrutinii procedentes, cum essent viginti et unus numero tum per se tum per procuratores, tres scrutatores ordinarunt ex eis qui vota sua et aliorum etiam scrutarentur, quibus vota ipsa scrutantibus et mox publicantibus in communi compertum est quod XVIII ex eis in te et tu in magistrum Hugonem de Ewesan ipsius ecclesie canonicum consensistis, ac magister Robertus archidiaconus Estridingie in eadem ecclesia in magistrum Thomam archidiaconum Eboracensem tunc presentem et magister Thomas de Hedon Eboracensis canonicus in magistrum Thomam de Correbrigger ecclesie prefate canonicum tunc absentem direxerant vota sua. Et tandem eisdem archidiaconis ac Thoma de Hedon, qui dictum Thomam de Correbrigger tunc absentem ut predicitur nominarat, ad alios qui in te consenserant accedentibus, dictus Robertus nulla collatione habita de mandato et vice omnium aliorum predictorum ac sua elegit te in Eboracensem archiepiscopum et pastorem. Presentata itaque nobis electione hujusmodi taliter de te facta et procuratoribus dicti capituli ac eodem Thoma de Correbrigger illam petentibus confirmari, electionem eandem per venerabilem fratrem B. Albanensem episcopum et dilectos filios nostros G. tituli Sancti Marci presbiterum ac M. Sancte Marie in Porticu diaconum cardinales juxta modum quem in hoc Romana servat ecclesia examinari fecimus diligenter, et quia omnis collatio in dicta electione reperiebatur omissa predictam electionem non vitio persone cassavimus sed iustitia exigente. Et postmodum specialis caritatis affectum, quem ad prefatam ecclesiam a nostris quasi primordiis gessimus et quo illam continua rememoratione prosequimur infra nostra precordia revolventes et de ipsius provisione utili et salubri, ne prolixioris dispendia vacationis incurreret, cogitantes et ad personam tuam quam odor fame nobis reddit acceptam cum habearis vir vite laudabilis et conversationis honeste, litterarum scientia preditus, discretionis maturitate conspicuus, preclarus meritis et alias in spiritualibus et temporalibus circumspectus, nostrum dirigentes affectum, sperantes quoque quod virtutibus desursum tibi traditis insignitus eandem ecclesiam salubri dante Domino regimine gubernabis ipsaque utilis presidio munita pastoris obtatis affluet incrementis, te tunc cancellarium ecclesie memorate de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie prefecimus in archiepiscopum et pastorem tibique munus consecrationis de nostris manibus duximus impendendum. Quocirca fraternitati tue —. Dat. Viterbii, XIII kalendas octobris, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis capitulo Eboracensi.
In e. m. clero civitatis et diocesis Eboracensis.
In e. m. suffraganeis ecclesie Eboracensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Eboracensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Eboracensis.
In e. m. carissimo in Christo filio regi Anglie illustri.

560 Viterbe, 19 septembre 1279.

Willelmo archiepiscopo Eboracensi pallium per J. Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem assignandum concedit, prestito ab ipso Ecclesie Romane fidelitatis solite juramento. (Fol. 183; an II, n° 152.)

« *Venerabili fratri Willelmo archiepiscopo Eboracensi.* Cum pallium insigne —. Dat ut supra. »

561 Viterbe, 20 septembre 1279.

Archiepiscopum Cantuariensem hortatur ut in jucundo adventu Guillelmi Eboracensis archiepiscopi super bajulatione crucis, cum inter Cantuariensem et Eboracensem archiepiscopos super hoc diutius litigatum sit nec adhuc litigii causa sit sopita, salvis ecclesie sue juribus, predecessorum suorum rigorem sua modestia temperet. (Fol. 183; an II, n° 153; Potthast 21635.) (1).

« .. *Archiepiscopo Cantuariensi.* Cum inter —. Dat. Viterbii, XII kalendas octobris. »

562 Viterbe, 18 septembre 1279.

Electionem in monasterio Sancti Eadmundi, Norwicensis diocesis, de Johanne monacho factam confirmat, et ipsum eidem in abbatem preficit. (Fol. 183; an II, n° 154.)

« *Johanni abbati monasterii de Sancto Eadmundo ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Benedicti Norwicensis diocesis.* Debitum officii nostri — Sane vacante dudum monasterio de Sancto Eadmundo ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis Sancti Benedicti Norwicensis diocesis per obitum quondam Symonis ipsius monasterii abbatis, dilecti filii

(1) *En marge :* Ista littera fuit missa clausa.

conventus ejusdem monasterii a carissimo in Christo filio nostro .. rege Anglie illustri prout de consuetudine fore asseritur hactenus observatum eligendi licentia postulate, vocatis omnibus qui voluerunt debuerunt et potuerunt commode interesse certa die ad eligendum prefixa insimul convenerunt et Spiritus Sancti gratia invocata deliberantes per viam procedere compromissi in se tem ex eis videlicet in dilectum filium Wymerum pitantiarium, Johannem infirmarium, Henricum coquinarium, Guillelmum vestiarium, Guillelmum elemosinarium, Stephanum suppriorem et Guillelmum camerarium dicti monasterii unanimiter et concorditer compromittere caraverunt, committentes ac concedentes eidem ut ipsi vel major pars eorum providerent eis et dicto monasterio de abbate. Eisdem vero compromissariis deliberatione prehabita diligenti et in te dirigentibus vota sua, predictus Stephanus vice sua et aliorum totiusque conventus predictorum ac de consensu ipsorum te monachum monasterii predicti in suum et monasterii prefati abbatem et pastorem elegit. Presentata itaque nobis electione hujusmodi eam per venerabilem fratrem .. Tusculanum episcopum et dilectos filios nostros J. tituli Sancte Potentiane presbiterum et J. Sancti Eustachii diaconum cardinales juxta modum quem in hoc Romana servat ecclesia examinari fecimus diligenter et quia electionem eandem invenimus de persona ydonea canonice celebratam ipsam de fratrum nostrum consilio confirmavimus teque monasterio prefato prefecimus in abbatem, ac tibi munus benedictionis duximus impendendum, firmam spem fiduciamque —. Dat. Viterbii, XIIII kalendas octobris, anno secundo. »

In e. m. conventui monasterii de Sancto Eadmundo.

In e. m. universis vassallis monasterii de Sancto Eadmundo.

In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Anglie illustri. Dat. ut supra.

563 Soriano, 25 août 1279.

Litteras Gregorii pape noni, nonis aprilis anno undecimo pontificatus ejusdem, datas de stigmatibus b. Francisci repetit et confirmat. (Fol. 184; an II, nº 155 ; Potthast 21630)

Universis Christi fidelibus ad quos littere iste pervenerint. Salutem. Litteras felicis recórdationis —. Dat. Soriani, VIII kalendas septembris, anno secundo. »

564 Soriano, 14 août 1279.

De regula fratrum Minorum aliqua dubia declarat, et alia per predecessores suos jam declarata seriosius et clarius ordinat. (Fol. 184; an II, nº 156 ; Potthast 21628.)

« *Constitutio facta per dominum Nicolaum papam III super confirmatione regule fratrum Minorum.* Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Exiit qui seminat seminare semen suum de sinu Patris in mundum veste scilicet humanitatis indutus Dei Filius Jhesus Christus verbum evangelicum saturus in singulos probos et reprobos, insipientes et gnaros, studiosos et desides, et juxta prophetam colonus futurus in terra semen suum doctrinam evangelicam sine deletu dispersit in omnes, qui omnia tracturus ad se omnes salvare venerat, qui tandem se ipsum Deo Patri pro salute omnium in redemptionis humane pretium immolavit. Licet tamen hoc semen in singulos communicativa Dei caritate dispersum aliud ceciderit secus viam super corda scilicet demonum suggestionibus pervia, aliud supra petram corda scilicet nullo fidei vomere penetrata, aliud inter spinas corda scilicet divitiarum sollicitudinibus lacerata, et ideo unum pravis affectibus conculcatum, aliud aridum, quia gratia carebat humore, reliquum legitur in ordinatis sollicitudinibus suffocatum, aliud tamen mite cor et docile terra bona suscepit. Hec est Minorum fratrum mitis et docilis in paupertate et humilitate per almum Christi confessorem Franciscum radicata religio, que ex illo vero semine germinans germen illud per regulam sparsit in filios, quos sibi et Deo per suum ministerium in observantia Evangelii generavit. Isti sunt filii, qui docente Jacobo Verbum eternum Dei Filium insitum humane nature in orto virginalis uteri potens salvare animas in mansuetudine susceperunt. Hii sunt illius sancte regule professores, que evangelico fundatur eloquio, vite Christi roboratur exemplo, fondatorum militantis Ecclesie apostolorum ejus sermonibus actibusque firmatur. Hec est apud Deum et Patrem munda et immaculata religio, que descendens a Patre luminum per ejus Filium exemplariter et verbaliter Apostolis tradita, et demum per Spiritum Sanctum beato Francisco et eum sequentibus inspirata totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Hec est, cui attestante Paulo nemo decetero debet esse molestus, quam Christus passionis sue stigmatibus confirmavit, volens institutorem ipsius passionis sue signis notabiliter insigniri. Sed non sic contra ipsos fratres Minores et regulam hostis antiqui cessavit astutia : quin potius contra eos nitens superseminare zizaniam interdum emulatores agitatos invidia, iracundia et indiscreta justitia concitavit mordentes fratres, et eorum regulam quasi illicitam, inobservabilem et discrimino-

sam caninis latratibus lacerantes, non attendentes hanc sanctam regulam ut predicitur preceptis ac monitis salutaribus institutam, apostolicis observationibus roboratam, per plures Romanos Pontifices approbatam et etiam per Sedem Apostolicam confirmatam, tot divinis testimoniis communitam, que credibilia facta sunt nimis in tot sanctis viris in observantia hujusmodi regule agentibus et finientibus dies suos, quorum nonnullos Sanctorum cathalogo Sedes eadem ex eorum vita et miraculis fecit ascribi, ac novissime quasi diebus istis per pie memorie Gregorium papam X predecessorem nostrum approbatam esse ex evidenti utilitate, quam de ipsa consequitur universalis Ecclesia, in generali Lugdunensi concilio declaratum. Nec nos minus attendimus, immo profundius cogitamus, sicut pensare debent subtilius ceteri catholice fidei professores, quod ipse Deus ordinem predictum et ejus observatores inspiciens sic eos ab insurgentibus in ipsos rancoribus salutari presidio preservavit, quod nec ipsos fluctus tempestuosus allisit nec animos in ordine ipso degentium consternavit, quin potius in vigore regulari concrescant et amplientur in suorum observantia mandatorum. Verumtamen ut ordo predictus quibuslibet precisis anfractibus distincta et pura vigeat claritate, sicut fratres ejusdem ordinis nuper in generali capitulo congregati providerant, dilectis filiis generali et nonnullis aliis provintialibus ejusdem ordinis ministris, qui in capitulo ipso convenerant, in nostra presentia constitutis, cum ad plenam observationem ejusdem regule in vigore spiritus eorum fervere noscatur intentio; visum est nobis mordacibus hujusmodi vias mordendi precludere, aliqua que in ipsa regula videri poterant dubia declarare, nonnulla per predecessores nostros etiam declarata pleniori claritate disserere, in aliquibus etiam regulam ipsam contingentibus puritati eorundem conscientie providere. Nos autem, qui a teneris annis ad ordinem ipsum affectus nostros ereximus, in illis succrescendo cum aliquibus ejusdem confessoris sociis, quibus ejus vita et conversatio nota erat super ipsa regula et sancta ipsius beati Francisci intentione frequenti collatione tractavimus; et tandem cardinalis ac postmodum ejusdem ordinis per dictam Sedem gubernator, protector et corrector effecti conditiones predicti ordinis ex imminenti nobis cura palpavimus; in apostolatus officio tam de pia intentione confessoris predicti quam de iis que regulam ipsam et ejus observantiam contingunt ex predictis longa etiam experientia informari nostros ad ordinem prefatum convertimus cogitatus; et tam ea, que per eosdem predecessores nostros approbata et declarata esse noscuntur, quam etiam ipsam regulam et ea contingentia maturitate plena discussimus, nonnulla in presenti serie statuimus, declaravimus, certius approbavimus, approbata firmavimus, edidimus et concessimus, plura etiam ordinando seriosius et clarius, que infrascriptis articulis plenius exprimuntur.

Fol. 185.

» In primis quia, sicut intelleximus, ab aliquibus hesitatur an fratres ejusdem ordinis tam ad consilia quam ad precepta Evangelii teneantur, tum quia in regule predicte principio habetur : regula et vita Minorum fratrum hec est scilicet Domini Nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate, tum ex eo quod in eadem regula continetur sic : finito vero anno probationis recipiantur ad obedientiam promittentes vitam istam semper et regulam observare, tum etiam quia in fine ipsius regule continentur hec verba : paupertatem et humilitatem ac sanctum Evangelium Domini nostri Jhesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus. Licet felicis recordat. Gregorius papa nonus predecessor noster hunc articulum et nonnullos alios ejusdem regule declaraverit, quia tamen ejus declaratio propter aliquorum insurgentium in fratres et regulam mordaces insultus, et multorum postea emergentium casuum considerandos eventus in aliquibus obscura, in aliquibus semiplena, et in multis etiam contentis in ipsa regula insufficiens videbatur : nos obscuritatem ac insufficientiam hujusmodi perfecte interpretationis declaratione amovere volentes et cujuslibet ambiguitatis scrupulum in eisdem de singulorum mentibus plenioris expositionis certitudine amputare, dicimus quod cum in principio regule non absolute sed cum quadam modificatione vel determinatione seu specificatione ponatur : regula et vita Minorum fratrum hec est scilicet Domini Nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate : que tria eadem regula multum arte prosequitur et nichilominus alia nonnulla subnectit precipiendo, prohibendo, consulendo, monendo, hortando et sub aliis verbis ad aliquem modorum reducibilibus predictorum, de intentione regule liquere valet apertius ut illud quod in professione quasi absolute subnecti videtur : promittentes vitam istam semper et regulam observare, et quod in fine subjungitur : et sanctum Evangelium Domini Nostri Jhesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus : totum ad ipsius regule modificatum vel determinatum seu specificatum principium reducatur, videlicet ad observantiam Evangelii, ut predicitur, per ipsam regulam in illis tribus modificatam vel determinatam seu specificatam; cum non sit verisimile ipsum sanctum verbum ab ipso semel cum quadam modificatione vel determina-

tione, seu specificatione prolatum; licet quasi succintorie repetitum voluisse in sui repetitione data sibi per eum modificatione vel determinatione seu specificatione sine certa causa carere, et utriusque juris argumenta nos doceant, ea, que in principio, ad medium et ad finem; illa vero, que in medio, ad finem atque principium, et ea que in fine, ad utrumque vel eorum alterum sepe referri. Et dato quod absolute diceretur omnino : promitto sanctum Evangelium observare, nisi professor hujusmodi intenderet se ad omnium consiliorum observantiam obligare, quod vix aut nunquam posset ad litteram observare; propter quod talis promissio illaqueare profitentis animum videretur, clare videtur promissionem hujusmodi ad alium intellectum absque intentione promittentis non debere perstringi, nisi ut observantia Evangelii sit, sicut tradita reperitur a Christo, videlicet quod precepta ut precepta et consilia ut consilia a promittentibus observentur. Quem intellectum etiam in eisdem verbis habuisse idem beatus Franciscus in serie sui processus in regula patenter ostendit; cum aliqua Evangelica consilia indicat ut consilia sub verbis monitionis, exhortationis et consilii, nonnulla vero sub prohibitione ac verbo precepti : per quod patet quod non fuit loquentis intentio, quod fratres ex professione hujusmodi regule ad omnia consilia sicut ad precepta Evangelica tenerentur; sed solum ad illa consilia, que in eadem regula preceptorie vel inhibitorie seu sub verbis equipollentibus sunt expressa. Unde nos ad fratrum ejusdem ordinis conscientias plenarie serenandas declaramus quod ex professione ejusdem regule fratres ipsi ad ea tantum Evangelica observanda consilia sunt astricti que in ipsa regula preceptorie vel inhibitorie seu sub verbis equipollentibus exprimuntur Ad nonnulla vero alia per Evangelium data consilia eo magis secundum exigentiam sui status tenentur plus quam ceteri Christiani, quo per statum perfectionis, quem per professionem hujusmodi assumpserunt, se obtulerunt holocaustum Domino medullatum per contemptum omnium mundanorum. Ad omnia autem, que in ipsa regula continentur, tam precepta quam consilia quam cetera, ex voto professionis hujusmodi non aliter tenentur quam eo modo, quo in regula ipsa traduntur, ut scilicet teneantur ad eorum observantiam, que in eadem regula ipsis sub verbis obligatoriis inducuntur : ceterorum vero observantiam, que sub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis et instructoriis seu quibuscunque aliis continentur eatenus magis condecet de bono et equo eos prosequi, quo imitatores tanti Patris effecti Christi semitas arctius elegerunt.

» Porro cum regula ipsa expresse contineat, quod fratres nichil sibi approprient non domum nec locum nec aliquam rem, sitque declaratum per eundem predecessorem Gregorium papam nonum et nonnullos alios hoc servari debere tam in speciali quam etiam in communi, quam sic arctam abdicationem venenosis obtrectationibus aliquorum insensata depravavit astutia, ne fratrum eorundem perfectionis claritas talium imperitis sermonibus laceretur, dicimus quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis ecclesie, prout ab ipso fonte auxerant (*sic*), in volentes perfecte vivere per doctrine ac vite ipsorum alveos derivarunt, nec hiis quisquam putet obsistere quod interdum dicitur Christum loculos habuisse; nam sic ipse Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens et viam perfectionis extolleret, et imperfectorum infirmas semitas non damnaret; sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis, sic et in nonnullis aliis infirma humane carnis assumens, prout Evangelica testatur ystoria, non tantum carne sed et mente condescendit infirmis, sic enim humanam naturam assumpsit quod in suis operibus perfectus existens in nostris factus humilis, in propriis permansit excelsus. Sic et summe caritatis dignatione ad actus quosdam nostre imperfectioni conformes inducitur, quod a summe perfectionis rectitudine non curvatur. Egit namque Christus et docuit perfectionis opera, egit etiam et infirma, sicut interdum in fuga patet et loculis; sed utrumque perfecte perfectus existens ut perfectis et imperfectis se viam salutis ostenderet, quod utrosque salvare venerat, qui tandem mori voluit pro utrisque. Nec quisquam ex his insurgat erronee quod taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes tanquam homicide sui vel tentatores Dei vivendi discrimini se committant : sic enim seipsos committunt Divine providentie in vivendo ut viam non contempnant provisionis humane, quin vel de hiis que offeruntur liberaliter vel de hiis que mendicantur humiliter vel de hiis que conquiruntur per laboritium substententur; qui triplex vivendi modus in regula providetur expresse. Profecto si juxta promissum Salvatoris nunquam deficiet fides Ecclesie, per consequens nec opera misericordie subtrahentur, ex quo Christi pauperibus omnis ratio diffidentie cujuslibet videtur esse sublata. Et quidem ubi (quod non est aliquatenus presumendum) hec cuncta deficerent, sicut nec ceteris sic nec ipsis fratribus jure poli in extreme

necessitatis articulo ad providendum substentationi nature via omnibus extrema necessitate detentis concessa precluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit excepta. Non autem talem abdicationem proprietatis omnimode renuntiationem usus rerum cuiquam videatur inducere; nam cum in rebus temporalibus sit considerare precipuum proprietatem, possessionem, usum fructum, jus utendi et simplicem facti usum, et ultimo tanquam necessario egeat, licet primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, que a se
Fol. 186. usum necessarie sustentationis excludat, verum condecens fuit ei professioni, que sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium et rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam. Nec per hoc quod proprietatem usus et rei cujuscunque dominium a se abdicasse videtur, simplici usui omnis rei renuntiatum esse conicitur qui inquam usus non juris sed facti tantummodo nomen habens quod facti est tamen in utendo prebet utentibus nichil juris, quinimmo necessariarum rerum tam ad vite sustentationem quam ad officiorum sui status executionem, excepto quod de pecunia infra subjungitur moderatus usus secundum eorum regulam et veritatem omnimodam concessus est fratribus; quibus rebus fratres licite uti possunt, durante concedentis licentia, et juxta quod in presenti serie continetur. Nec hiis obviare dinoscitur quod civilis providentia in humanis rebus humane constituit, videlicet non posse usum vel usufructum a dominio perpetuo separari; que ne dominium dominis semper abscedente usu redderetur inutile, temporalem utilitatem tantum in constituendo prospiciens ista decrevit. Retentio namque dominii talium rerum cum concessione usus facta pauperibus non est infructuosa domino cum sit meritorio ad eterna et professioni pauperum opportuna, que tanto sibi censetur utilior, quanto commutat temporalia pro eternis. Profecto non fuit confessoris Christi regulam instituentis intentio; quinimmo contrarium in ipsa conscripsit, contrarium vivendo servavit; cum et ipse temporalibus ad necessitatem usus fuerit et in pluribus locis in regula usum talem licere fratribus manifestet : dicit namque in regula quod clerici faciant divinum officium, ex quo habere poterunt breviaria : ex hoc patenter insinuans, quod fratres sui habituri essent usum breviarii et librorum, qui sint ad divinum officium opportuni; in alio quoque capitulo dicitur quod ministri et custodes pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis per amicos spirituales sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire; alibi etiam exhortans fratres per congruum laboris exercitium ad otium evitandum dicit, quod de mercede laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant; in alio quoque capitulo continetur quod fratres vadant pro elemosina confidenter. Habetur etiam in eadem regula, quod in predicatione, quam fratres faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia ad utilitatem et edificationem populi annunciando eis vitia et virtutes, penam et gloriam. Sed constans est, quod hec supponunt scientiam; scientia requirit studium, exercitium vero studii communiter haberi non potest sine usu librorum : ex quibus omnibus satis claret ex regula ad victum, vestitum, divinum cultum et sapientiale studium, necessariorum rerum usum fratribus esse concessum. Patet itaque sane intelligentibus ex predictis regulam quoad abdicationem hujusmodi non solum observabilem, possibilem et licitam, sed meritoriam et perfectam; et eo magis meritoriam quo per ipsam professores ipsius magis a temporalibus propter Deum, sicut predicitur, elongantur. Ad hec cum fratres ipsi nihil sibi in speciali acquirere vel eorum ordini possint etiam in communi, et cum aliquid propter Deum ipsis offertur, conceditur vel donatur, ea si secus non exprimat offerentis, concedentis verisimiliter fuisse credatur intentio, ut rem hujusmodi oblatam, concessam vel donatam perfecte concedat, donet et offerat, a se abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum; nec sit persona, in quam loco Dei congruentius hujusmodi rei dominium transferatur quam sedes prefata vel persona Romani pontificis Christi vicarii, qui Pater est omnium et fratrum Minorum nihilominus specialis, ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, cum patri filius suo modo, servus domino, et monachus monasterio res sibi oblatas, concessas vel donatas acquirant; omnium utensilium et librorum, ac eorum mobilium presentium et futurorum, que et quorum usum facti scilicet ordini, vel fratribus ipsis licet habere, proprietatem et dominium, quod etiam felicis recordationis Innocentius papa IV predecessor noster fecisse dinoscitur, in nos et Romanam ecclesiam apostolica auctoritate recipimus et ad nos et ipsam ecclesiam plene et libere pertinere hac presenti Constitutione in perpetuum valitura sanximus.

» Preterea loca empta de elemosinis diversis et oblata seu concessa fratribus sub quacunque forma verborum, licet fratres sibi cavere debeant quod in hujusmodi verbis statui suo incompetentibus non utantur a diversis, seu pro indiviso possidentibus seu certas partes in ipsis locis habentibus in quibus ipsi possidentes pro indiviso, seu certas partes habentes nihil sibi in oblatione seu concessione hujusmodi reservarint; simi-

liter in jus et dominium ac proprietatem nostram et ecclesie predicte eadem auctoritate suscipimus. Loca vero seu domus pro habitatione fratrum a singulari vel collegio ipsis fratribus ex integro concedenda seu etiam offerenda, si talia de voluntate conferentis fratres inhabitare contigerit, perseverante tantum voluntate concedentis inhabitent; ac illa libere preter ecclesiam et oratoria ad ecclesiam destinata et cimiterium, que tam presentia quam futura in jus et proprietatem nostram et predicte Romane ecclesie simili modo et auctoritate recipimus, mutata concedentis voluntate ac ipsis fratribus patefacta dimittant. In quorum locorum dominio seu proprietate nihil nobis vel prefate Romane cclesie retinemus omnino, nisi ea specialiter de nostro seu ipsius Romane ecclesie recipiantur assensu: et si in eisdem locis reservaverit sibi dominium in concedendo concedens propter inhabitationem fratrum, tale dominium in jus ecclesie sepedicte non transeat sed potius plene liberum remaneat concedenti.

» Insuper nec utensilia nec alia, quorum usum ad necessitatem et officiorum sui status executionem non enim omnium rerum usum habere debent, ut dictum est ad ullam superfluitatem divitias seu copiam, que deroget paupertati vel thesaurizationem vel eo animo ut ea distrahant, sive vendant, recipiant, nec sub colore providentie in futurum nec alia occasione ; quinimmo in omnibus appareat in eis quoad dominium omnimodo abdicatio et in usu necessitas. Hec autem secundum exigentiam personarum et locorum ministri et custodes simul et separatim in suis administrationibus et custodiis cum discretione disponant, cum de talibus interdum personarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio et nonnulle alie circumstantie plus minusve ac aliter provideri requirant. Ista tamen sic faciant quod semper in eis et eorum actibus paupertas sancta reluceat, prout eis ex eorum regula invenitur indicta.

» Ceterum cum in eadem regula sit sub precepti districtione prohibitum ne fratres recipiant per se vel per alios denarios vel pecuniam ullo modo, idque fratres in perpetuum servare cupiant et velut injunctum necesse habeant adimplere, ne ipsorum puritas in hujusmodi observatione precepti maculetur in aliquo vel fratrum conscientie aliquibus aculeis stimulentur, articulum istum propter detrahentium morsus profundius, quam nostri predecessores fecerint assumentes, ac ipsum clarioribus determinationibus prosequentes dicimus in primis, quod fratres ipsi a mutuis contrahendis abstineant; cum eis mutuum contrahere, ipsorum statu considerato, non liceat, possint tamen ipsi, pro satisfactione pro eorum necessitatibus facienda, que pro tempore occurrerint cessantibus eleemosinis, de quibus satisfieri commode tunc non posset citra cujuslibet obligationis vinculum dicere, quod per elemosinas et alios amicos fratrum ad solutionem hujusmodi faciendam intendunt fideliter laborare. Quo casu procuretur a fratribus, quod ille qui dabit elemosinam per se vel per alium non nominandum ab ipsis, si fieri poterit, sed ab eo potius juxta suum beneplacitum assumendum, hujusmodi satisfactionem faciat in totum vel in partem, prout sibi Dominus inspirabit. Si tamen ipse hoc nollet facere vel non posset, vel quia recessus ejus immineat, aut quia quibus hoc velit committere, notitiam non habet fidelium personarum, seu quacunque alia occasione vel causa, declaramus et dicimus quod in nullo regule puritas infringitur aut quomodolibet ipsius observantia maculatur, si fratres ipsi alicujus vel aliquorum sibi curent dare notitiam, vel aliquem seu aliquos nominare aut etiam presentare, cui vel quibus, si elemosinam facienti placuerit, committi possit executio predictorum; ac ipsius habeatur assensus super subrogationibus infrascriptis : ita tamen quod penes ipsum dantem dominio, proprietate ac possessione ipsius pecunie cum libera potestate revocandi sibi pecuniam ipsam semper usque ad conversionem ipsius in rem deputatam plene, libere ac integre remanentibus, in ipsa pecunia nichil omnino fratres juris habeant nec administrationem seu dispensationem, nec contra personam nominàtam ab eis vel non nominatam, cujuscunque conditionis existeret, in judicio vel extra actionem, persecutionem aut aliquod aliud jus qualitercunque persona predicta in commissione hujusmodo se haberet. Liceat tamen fratribus suas necessitates insinuare ac specificare vel exponere persone predicte ac eam rogare quod solvat. Possint etiam personam eandem exhortari ac inducere quod fideliter in re commissa se habeat; et anime sue saluti in commissa sibi executione provideat, ita tamen quod ab omni ejusdem pecunie administratione seu dispensatione et contra personam predictam actione seu persecutione, ut predictum est, fratres abstineant omnimodo. Si vero personam hujusmodi nominatam vel non nominatam a fratribus quominus per se possit exequi quod predicitur contigerit per absentiam, infirmitatem, voluntatem seu locorum distantiam, ad que ipse nollet accedere, in quibus esset solutio seu satisfactio facienda, vel occasionem aliam prepediri, liceat fratribus cum conscientie puritate quantum ad unam aliam personam subrogandam ad premissa in nominando et aliis, si ad primum dantem non possint, vel nolint habere recursum, cum ista persona facere, sicut supra proxime declaramus eis licere. Cum prima duarum enim personarum minis-

Fol. 187.

terium per viam subrogationis, ut dictum est, communius et generalius videtur posse in predictorum executione sufficere, cum predicta satisfactio presumatur posse celeriter expediri. Si tamen interdum propter locorum distantiam, in quibus esset satisfactio facienda et conditiones seu circumstantias alias casus emergeret, in quo videretur plurium personarum subrogandarum ministerium oportunum, liceat ipsis fratribus in hoc casu juxta negotii qualitatem servato modo predicto plures personas assumere, nominare seu presentare ad istud ministerium exequendum. Et quia oportet et expedit fratrum necessitatibus non solum illis pro quibus jam esset solutio seu satisfactio facienda, ut supra proxime dictum est, sed etiam imminentibus, sive tales necessitates ingruentes immineant que brevi tempore expediri valeant, sive tales licet pauce comparative, quarum provisio necessario tractum habet, ut in libris scribendis, ecclesiis seu edificiis ad usum habitationis ipsorum construendis, libris et pannis in locis remotis emendis, et aliis similibus, si qua occurrerint, cum moderamine supradicto salubriter provideri; sic in istis necessitatibus clare distinguimus, sic in eis fratres posse tute et sana conscientia procedere declaramus, videlicet ut in ingruenti vel imminenti necessitate, que brevi tempore vel que interdum ex aliquibus circumstantiis non sic brevi, ut supra in proximo casu dictum est, valeat expediri, tam quoad dantem elemosinam quam quoad nominatum vel substitutum in omnibus, et per omnia sicut in articlo solutionis pro necessitatibus preteritis faciende supra proxime declaravimus procedatur. In ea vero necessitate quantumcunque presentialiter ingruenti, que tamen ex qualitate sui, ut predicitur, tractum temporis habet innexum, quia in eo casu verisimile est quod tum ratione distantie locorum, quam expeditio necessitatis ipsius ex sui conditione requireret, tum etiam circumstantiarum ipsius necessitatis ratione pensata frequenter casus acciderent, in quibus ad expeditionem necessitatis hujusmodi oporteret quod per diversas manus et personas transiret pecunia necessitati hujusmodi deputata, quarum omnium personarum impossibile quasi esset dominum principalem pro ipsa necessitate pecuniam deputantem seu etiam substitutum ab eo, et tertium etiam ab ipso substituto si casus talis accideret, postea subrogatum habere notitiam, declaramus et dicimus quod in hoc articlo preter dictos duos modos in necessitatibus preteritis et ingruentibus que possint brevi tempore, vel interdum non brevi, ut supra exprimitur, expediri, ut prediximus observandos, ad conservandam ipsius regule ac professorum ejus omnimodam puritatem, quod si presto sit elemosine hujusmodi elargitor vel ejus nuncius, qui possit hoc facere, expresse illi predicatur a fratribus quod sibi placeat ut dominio talis pecunie cum libera potestate revocandi sibi pecuniam ipsam penes ipsum semper, usque ad conversionem ipsius in rem deputatam libere remanente, ut in aliis duobus casibus superius dictum est, per quotcunque manus pecunia seu elemosina ipsa tractetur, sive personas ab eo vel a fratribus nominatas, totum suo consensu, voluntate ac auctoritate procedat, quo assensum suum prebente predictis secure fratres re empta vel acquisita de illa pecunia per quemcunque juxta modum annotatum superius uti possunt. Ad majorem autem predictorum omnium claritatem hac in perpetuum valitura provisionis serie declaramus quod fratres prefatis modis, ut predicitur, circa pecuniam in supportandis eorum preteritis et ingruentibus necessitatibus observatis non intelliguntur nec dici possunt per se vel interpositam personam pecuniam recipere contra regulam, vel professionis sui ordinis puritatem, cum manifeste pateat ex premissis ipsos fratres non solum a receptione, proprietate, dominio sive usu ipsius pecunie, verum etiam ac contractatione qualibet ipsius et ab ea penitus alienos.

» In eo vero casu quando antequam ipsa pecunia in licitum rei habende vel utende commertium sit conversa, concedentem pecuniam mori contigerit, si concedens in concedendo dixerit vel expresserit quod persona deputata pecuniam ipsam in necessarium usum fratrum expenderet, quicquid de ipso concedente vivendo vel moriendo contingeret, sive concedens hujusmodi heredem reliquerit sive non, possint fratres ad personam deputatam, non obstante concedentis morte vel heredis contradictione, pro illa pecunia expendenda recurrere sicut poterant ad ipsum dominum concedentem. Quia vero puritatem ipsius ordinis intima cordis affectione zelamur, cum in predictis casibus ad determinatam necessitatem, ut predicitur, per aliquem pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam rogari possit a fratribus, quod si quid de ipsa pecunia habita necessitate determinata supererit, consentiat ipse concedens quod residuum prefate pecunie in res alias pro aliis ipsorum fratrum predictis necessitatibus convertatur; quo non consentiente predictis ipsum residuum, si quod fuerit, restituatur eidem. Caveant tamen fratres quod sollicite se coaptent ut non plus scienter concedi consentiant, quam verisimiliter extimari possit rem necessariam pro qua pecunia ipsa conceditur valituram. Et quia in predictorum seriosa expositione a dante vel recipiente de facili posset errari, ut clarius utilitati dantium, puritati ordinis, simplicitati aliquorum simplicium, saluti ani-

[illegible] hinc et inde securius consulatur intellectum illum, qui satis in hoc casu a sane intelligente percipitur presentis ac in eternum valiture constitutionis serie lucidamus volentes illum ad communem deduci notitiam, videlicet quod semper quando pecunia fratribus ipsis mittitur vel offertur nisi expresse per mittentem vel offerentem aliud exprimatur, predictis modis prorsus oblata intelligatur et missa. Non enim verisimile est aliquem elemosine sue sine expressione modum illum velle prefigere, per quem et donans merito vel illi quorum necessitatibus intendit per donum hujusmodi providere vel effectu doni vel sue conscientie puritate fraudentur.

» Ad hec quia fratribus ipsis interdum in ultimis voluntatibus sub diversis modis nonnulla legantur, nec expresse quid de hiis agendum sit in regula vel predecessorum nostrorum declarationibus continetur, ne in ipsis dubitare contingat imposterum providendo legantibus, et fratrum conscientiis precavendo declaramus, ordinamus et dicimus quod si testator modum secundum quem fratribus eorum conditione inspecta recipere non liceret exprimat in legando, ut si legaret fratribus vineam vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel similia verba in similibus proferret aut modos similes in relinquendo servaret, a tali legato et ejus receptione per omnem modum fratres abstineant. Si vero modum licitum fratribus in legando testator expresserit, ut si diceret : lego pecuniam pro fratrum necessitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam et similia ad hoc quod per certam personam vel personas idoneas distrahantur et pecunia de rebus ipsis
Fol. 188 accepta in edificio vel alia fratrum necessaria convertatur, aut in legando similibus modis, vel verbis utatur, in hoc casu illud in omnibus et per omnia consideratis eorum necessitatibus et moderaminibus supradictis quantum ad fratres servari decernimus, quod per nos est superius in concessis pecuniariis elemosinis declaratum. Ad que legata solvenda tam heredes testatorum quam executores se liberales exhibeant, quam prelati et etiam seculares, quibus de jure vel de consuetudine provisio ista competeret, cum expedierit se ex officio suo promptos exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas. Nam et nos etiam per modos licitos et fratrum regule congruos intendimus providere quod nec pia defunctorum destituatur intentio, et heredum cupiditas legitimis ictibus feriatur ac ipsi fratres pauperes opportunis auxiliis non fraudentur. Si vero fratribus ipsis generaliter aliquid absque modi expressione legetur, hoc in legato sic indeterminate relicto in omnibus et per omnia intelligi ac servari volumus et in perpetuum presenti constitutione jubemus quod supra in pecunia seu elemosina fratribus indeterminate oblata vel missa voluimus ac expressimus observari, videlicet ut sub modo licito fratribus intelligatur esse relictum ita quod nec legans merito nec fratres ipsi effectu relicti fraudentur.

» Quia vero dominium librorum et aliorum mobilium, quibus tam ordo quam fratres utuntur, que tamen non sint dominii aliorum, ad prefatam ecclesiam specialiter spectare dinoscitur, que libros et mobilia interdum contingit seu expedit vendi vel etiam commutari, fratrum utilitatibus vel eorum conscientiis providere volentes eadem auctoritate concedimus ut commutatio talium rerum et ad eas res, quarum usum fratribus licet habere, de generalis et provintialium ministrorum in suis administrationibus coniunctim vel divisim auctoritate procedat, quibus etiam de dispositione usus talium rerum concedimus ordinare. Si vero res hujusmodi extimato pretio vendi contingat, cum fratribus ipsis per se vel per alium recipere pecuniam regula prohibente non liceat, ordinamus et volumus quod talis pecunia seu pretium recipiatur et expendatur in rem licitam, cujus usum fratribus licet habere per procuratorem a prefata Sede vel a cardinali gubernationem per ipsam Sedem gerenti ejusdem ordinis deputandum juxta modum in superioribus necessitatibus preteritis et ingruentibus ordinatum. De vilibus autem mobilibus vel parum valentibus liceat ex presenti nostra concessione fratribus pietatis seu devotionis intuitu vel pro alia honesta et rationabili causa, obtenta super hoc prius superiorum suorum licentia, juxta quod inter fratres in generali vel provintialibus capitulis tam de ipsis rebus vilibus seu parum valentibus, et earum valore quam prefata licentia, scilicet a quibus et qualiter sit habenda, extiterit ordinatum, intra et extra ordinem aliis elargiri.

» Licet autem contineatur in regula quod fratres habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio, et videri possit illa fuisse instituentis intentio quod necessitate cessante pluribus non utantur, declaramus quod possint fratres de licentia ministrorum et custodum conjunctim et divisim in administrationibus sibi commissis, cum eis videbitur, pensatis necessitatibus, et aliis circumstantiis, que secundum Deum et regulam attendende videntur, uti pluribus, nec per hoc videantur a regula deviare cum etiam in ipsa dicatur expresse quod ministri et custodes de infirmorum necessitatibus et fratribus induendis sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones.

» Et quamquam regula predicta contineat quod de fratribus induendis et necessitatibus infirmorum minis-

tri tantum et custodes sollicitam curam gerant, et dictio illa tantum sic ministros et custodes in hac cura perstringere quod ab ea ceteros excludere prima facie videatur, quia tamen sollicite considerare nos convenit et tempus regule institute, quo fratres ipsi ad comparationem presentem numero pauci erant, et forsan ministri ac custodes videbantur tunc ad ista posse procuranda sufficere, ac nihilominus multiplicationis fratrum et moderni temporis qualitatem, nec sit verisimile beatum Franciscum institutorem regule vel ipsis ministris et custodibus impossibilitatis jugum voluisse prefigere vel ex ipsius impossibilitatis consequentia fratres ipsos suis necessitatibus velle carere, concedimus quod ipsi ministri et custodes possint per alios hujusmodi cure sollicitudinem exercere. Debent etiam et alii fratres curam hujusmodi que prefatis ministris et custodibus precipue incumbit ex regula, cum sibi ab illis commissa fuerit, gerere diligenter.

» Continetur quoque in regula quod fratres, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote ita quod excluso otio anime inimico sancte orationis et devotionis spiritum non extinguant. Quia vero ex verbo isto fratres ipsos de otiositate vite et de regule transgressione improbe notare interdum hactenus aliqui sunt conati, nos morsus hujusmodi nepharios reprimentes declaramus quod consideratis verbis predictis et forma seu modo loquendi, sub quibus fratres ad hujusmodi exercitium inducuntur, non videtur ea fuisse instituentis intentio quod vacantes studio vel divinis officiis et ministeriis exequendis manuali labori seu operationi subjiceret vel ad hoc illos artaret, cum exemplo Christi et multorum Sanctorum Patrum labor iste spiritualis tanto illi preponderet quanto que sunt anime corporalibus preferuntur. Ad alios vero, qui se in predictis spiritualibus operibus non exercent (nisi tales aliorum fratrum licitis servitiis occupentur) ne otiose vivant, verba predicta declaramus extendi, nisi et tales tam excellentis et notabilis contemplationis et orationis existerent quod merito propter hoc non essent a tanto bono et pio exercitio subtrahendi. Fratres enim quantumcunque studio vel divinis ministeriis non vacantes, sed aliorum fratrum studio vel aliis divinis officiis et ministeriis vacantium servitiis inherentes, cum ipsis eisdem, quibus serviunt sustentari merentur, quod astruitur illa equa lege sancitum, qua strenuus pugnator ille David juste decrevit, videlicet quod descendentium ad prelium et remanentium ad sarcinas portio equaretur.

» Verum quia expresse continetur in regula quod fratres non predicent in episcopatu alicujus episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum, nos in hoc et deferentes regule et nihilominus auctoritatem Apostolice plenitudinis conservantes dicimus quod predictum verbum ad litteram, sicut regula ipsa protulit, observetur, nisi per Sedem Apostolicam circa hoc pro utilitate populi Christiani sit concessum vel ordinatum aliud vel in posterum concedatur seu etiam ordinetur. Et quia in eodem capitulo regule immediate subjungitur quod nullus fratrum populo penitus audeat predicare, nisi a ministro generali fuerit examinatus et etiam approbatus ac ab eo predicationis officium sibi concessum, nos et statum preteritum ipsius ordinis in paucitate sui et modernum in ampliato fratrum numero ac utilitatem animarum ut condecet advertentes concedimus, quod nedum generalis examinare, approbare predicaturos fratres in populis ac illis concedere licentiam predicandi, quatenus persone ydoneitatem et predicationis officium licentia ipsa respiceret, prout in regula continetur, verum etiam provintiales ministri hoc possint in capitulis provincialibus cum diffinitoribus, quod etiam hodie observari dicitur et in fratrum privilegiis contineri : quam quidem licentiam prefati ministri revocare, suspendere valeant et artare, sicut et quando id eis videbitur expedire.

» Sed quoniam in desideriis nostris hoc geritur ut ad Dei gloriam salus proficiat animarum ac dictus ordo, per quem jugiter ad amorem divinum affectio Christiane religionis accenditur, merito et numero augeatur, concedimus et presenti statuto firmamus licere non solum generali sed etiam provintialibus ministris personas fugientes a seculo in fratres recipere, que ministrorum provintialium licentia per ipsum generalem, sicut expedire viderit, possit artari. Vicarii vero provincialium ministrorum ex officio vicarie licentiam hanc sibi noverint interdictam, nisi per ministros eosdem, quibus hoc posse committere vicariis et aliis licere decernimus, hoc ipsis vicariis specialiter committatur. Caveant tamen ipsi provinciales quod hoc non indiscrete, non passim sed sic considerate committant, sicque illos, quibus hoc committi contigerit, fidelibus consiliis fulciant quod omnia discrete procedant; nec indifferenter omnes admittantur ad ordinem sed illi tantum, qui suffragantibus eis litteratura, ydoneitate vel aliis circumstantiis possint utiles esse ordini, sibique per vite meritum et aliis proficere per exemplum.

» Insuper dubitantibus fratribus predicti ordinis an pro eo quod in regula dicitur, ut decedente generali ministro a provincialibus ministris et custodibus in capitulo Pentecostes fiat electio successoris, omnium custodum multitudinem oporteat ad generale capitulum convenire an, ut omnia cum majori tranquillitate trac- Fol. 189.

tentur, sufficere possit ut aliqui de singulis provinciis, qui vocem habeant aliorum, intersint, taliter respondemus ut scilicet singularum provintiarum custodes unum ex se constituant, quem cum suo provinciali ministro pro seipsis ad capitulum dirigant, voces aut vices suas committentes eidem, quod etiam cum constituerint per seipsos, statutum hujusmodi duximus approbandum, quod etiam idem predecessor Gregorius nonus in casu hujusmodi dicitur respondisse.

» Denique quia continetur in regula supradicta quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum preter illos quibus a Sede predicta concessa fuerit licentia specialis, quamquam hoc de monasteriis pauperum monialium inclusarum fratres attentius intelligendum esse crediderint, cum earum Sedes prefata curam habeat specialem, et intellectus hujusmodi per constitutionem quandam tempore date regule vivente adhuc beato Francisco per provinciales ministros fuisse credatur in generali capitulo declaratus, iidem fratres certificari nichilominus postularunt an hoc de omnibus generaliter, cum regula nullum excipiat, an de solis monasteriis intelligi debeat monialium predictarum. Nos utique generaliter id esse prohibitum de quarumlibet coenobiis monialium respondemus, et nomine monasterii volumus claustrum, domos et officinas interiores intelligi, pro eo quod ad alia loca ubi homines seculares conveniunt, possunt fratres illuc causa predicationis vel elemosine petende accedere, quibus id a superioribus suis pro sua fuerit maturitate vel ydoneitate concessum, exceptis semper predictarum monasteriis inclusarum ; ad que nulli datur accedendi facultas sine Sedis ejusdem licentia speciali : quod etiam ipsum idem predecessor Gregorius nonus in eo casu dicitur respondisse.

» Ceterum sancte memorie confessor Christi Franciscus mandasse dicitur circa ultimum vite sue, cujus mandatum ipsius dicitur testamentum : quod verba ipsius regule non glosentur, et ut verbis utamur ejusdem, quod sic vel sic intelligi debeat non dicatur, adiiciens quod fratres nullo modo aliquas litteras ab Apostolica Sede petant et aliqua quedam interserens que non possent sine multa difficultate servari, propter quod fratres hesitantes an tenerentur ad observantiam testamenti predicti dubitationem hujusmodi per eundem predecessorem Gregorium IX petierunt de ipsorum conscientiis amoveri. Qui, sicut asseritur, attendens periculum animarum et difficultates, quas propter hoc possent incurrere, dubietatem de ipsorum cordibus amovendo dixit fratres ipsos ad ipsius mandati observantiam non teneri, quod sine consensu fratrum et maxime ministrorum, quos universos tangebat, obligare nequivit, nec successorem suum quomodolibet obligavit, cum non haberet imperium par in parem. Nos autem circa presentem articulum nihil duximus innovandum.

» Ad hec a nonnullis predecessoribus nostris Romanis Pontificibus circa declarationem ipsius regule et ipsam regulam ac eam contingentia diversas litteras intelleximus emanasse, sed nec per hoc mordatium predictorum contra regulam ipsam et fratres quievit insultus, nec per ipsas litteras statui fratrum providetur in multis, in quibus de novo vel aliter necessario providendum esse multorum postea casuum contingentium experientia indicavit. Nos itaque, ne litterarum hujusmodi et presentis constitutionis diversitas vel intellectus adversitas in predictorum observatione fratrum animos perturbaret, et ut plenius, clarius et certius eorum statui et observantie predicte regule consulatur; in omnibus et singulis illis articulis, quos constitutio ipsa continet, quamquam ipsi vel eorum aliqui contineantur in aliis litteris Apostolicis supradictis, hanc nostram constitutionem, declarationem seu ordinationem tantum a fratribus ipsis precise ac inviolabiliter decernimus perpetuis temporibus observandam.

» Cum igitur ex predictis et aliis per nos cum multa maturitate discussis regula ipsa licita, sancta, perfecta et observabilis, nec ulli patens discrimini evidenter appareat, illam et omnia suprascripta per nos statuta, ordinata, concessa, disposita, decreta, declarata etiam et suppleta de Apostolice potestatis plenitudine approbamus, confirmamus et volumus existere perpetue firmitatis, in virtute obedientie districte precipientes quod hec constitutio, sicut cetere constitutiones vel decretales epistole, legatur in scolis. Et quia sub colore liciti nonnulli contra fratres ipsos et regulam in legendo, exponendo atque glosando possent virus sue iniquitatis effundere ac ipsius constitutionis intellectum ipsum in diversas et adversas sententias producentes suis adinventionibus depravare, et oppinionum diversitas ac distorsio intellectus multorum pios animos posset involvere et a religionis ingressu multorum corda subtrahere, talium detrahentium vitanda perversitas cogit nos viam ipsis ad predicta precludere et certum procedendi modum hanc constitutionem legentibus prefinire. Itaque sub pena excommunicationis et privationis officii ac beneficii districte precipimus ut presens constitutio, cum ipsam legi contigerit, sicut prolata est, sic fideliter exponatur ad litteram, concordantie, contrarietates seu diverse vel adverse opiniones a lectoribus seu expositoribus nullatenus inducantur, super ipsa constitutione glose non fiant, nisi forsan per quos verbum vel verbi sensus seu constructio vel ipsa constitutio quasi gram-

maticaliter ad litteram vel intelligibilius exponatur, nec intellectus ipsius per legentem depravetur in aliquo seu distorqueatur ad aliud, quam littera ipsa sonat. Et ne Sedem predictam contra detractores hujusmodi oporteat ulterius laborare, universis ac singulis cujuscunque preminentie, conditionis aut status districte precipimus ne contra predictam regulam et statum predictorum fratrum seu contra premissa per nos statuta, ordinata, concessa, disposita, decreta, declarata, suppleta, approbata et etiam confirmata dogmatizent, scribant, determinent, predicent seu prave loquantur publice vel occulte. Sed si quid penes aliquem in his ambiguitatis emerserit, hoc ad culmen predicte Sedis Apostolice deducatur, ut ex auctoritate Apostolica sua in hoc manifestetur intentio, cui soli concessum est in hiis statuta condere et condita declarare. Glosantes vero in scriptis constitutionem ipsam aliter quam eo modo, quem diximus, doctores insuper sive lectores, dum docent in publico, ex certa scientia et deliberate intellectum constitutionis hujusmodi depravantes, facientes quoque commentum, scripturas seu libellos ac ex certa scientia et deliberate determinantes in scolis seu predicantes contra predicta vel aliqua seu aliquod predictorum, non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis aut litteris Apostolicis, quibuscunque dignitatibus, personis, ordinibus aut locis religiosis vel secularibus generaliter vel singulariter sub quacunque forma vel expressione verborum concessis, que nolumus aliquibus in premissis quomodolibet suffragari, excommunicationis sententie, quam ex nunc in ipsos proferimus, se noverint subjacere ; a qua per neminem nisi per Romanum Pontificem possint absolvi. Insuper tam istos, contra quos per nos excommunicationis est prolata sententia, quam alios, si qui fuerint, contra premissa vel eorum aliquod venientes ad nostram et Sedis memorate volumus deduci notitiam, ut quos provisus modus equitatis non arcet a vetitis compescat rigor Apostolice ultionis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre declarationis, ordinationis, concessionis, dispositionis, suppletionis, approbationis, confirmationis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis, etc. usque incursurum. Dat. Suriani, XVIIII kalendas septembris, pontificatus nostri anno secundo. »

565 Soriano, 21 août 1279.

Litteras Honorii pape tertii, tertio kalendas decembris pontificatus ejusdem anno octavo datas, quarum tenorem de verbo ad verbum in presentibus fecit annotari, confirmat. (Fol. 190 ; an II, nº 157 ; POTTHAST, 21629.)

« *Dilectis filiis .. generali et provincialibus ministris ac custodibus et universis fratribus ordinis fratrum Minorum.* Litteras felicis recordationis . Dat. Suriani, XII kalendas septembris, anno secundo. »

566 Saint-Pierre, 16 juin 1279.

Abbati monasterii Vallisumbrose mandat quatinus duos monachos monasterii Sancti Bartholomei de Fossato ordinis Vallisumbrose pro irregularitate, quam in abbatis electione symoniaca contraxerunt, ad agendam penitentiam in alio ejusdem ordinis monasterio collocare procuret. (Fol. 191 vº ; an II, nº 157[2].)

« .. *abbati monasterii Vallisumbrose Fesulane diocesis.* Sua nobis dilecti filii Campanus presbiter et Ogerus subdiaconus monachi monasterii Sancti Bartholomei de Fossato ordinis Vallisumbrose Januensis diocesis petitione monuerunt quod cum olim in monasterio ipso tunc abbatis regimine destituto immineret futuri abbatis electio facienda, predicti monachi tamquam juris ignari promiserunt cuidam laico quod in quemdam Jacobum tunc monachum dicti monasterii ut fieret abbas ipsius monasterii consentirent et si forsan ipsos electores esse contingeret eum eligerent in abbatem. Postmodum autem quidam amicus predicti Jacobi promisit eisdem quod si premissa ipsi monachi observarent ipse procuraret quod dictus Jacobus eos quandiu viveret teneret secum in dicto monasterio nec ipsos exinde aliquatenus revocaret, sicque demum conventu predicti monasterii eligendi abbatem in eo concedentibus predictis monachis liberam facultatem iidem monachi considerantes precipue utilitatem monasterii supradicti eundem Jacobum in illius abbatem elegerunt non sine labe symoniace pravitatis et hujusmodi vitio non purgato, non credentes ex hoc maculam irregularitatis contrahere, cum essent tunc in minoribus tantum ordinibus constituti, idem Campanus omnes sacros, dictus vero Ogerus subdiaconatum ordines receperunt rite tamen alias et temporibus a jure statutis, ac ministraverunt in ipsis et se divinis officiis ingesserunt. Verum cum prefatus Jacobus viam sit universe carnis ingressus, supplicaverunt predicti monachi, quod in premissis per simplicitatem et juris ignorantiam delinquerunt, sibi per sedem apostolicam super hoc salubriter provideri. Quia vero de facto et facti circumstantiis tu habere poteris notitiam pleniorem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus si tibi

constiterit ita esse prefatos monachos in monasterio Sancte Trinitatis vel Sancti Pancratii ordinis Vallisumbrose Florentine diocesis seu alio ejusdem ordinis, secundum quod expedire videris, ad agendam inibi penitentiam collocare procures et injuncta sibi penitentia salutari eisque ad tempus juxta tue discretionis arbitrium a suorum ordinum executione suspensis tandem post peractam in toto vel in parte impositam sibi penitentiam cum ipsis ex favore religioni debito super irregularitate ex premissis contracta, dumtaxat in susceptis possint ordinibus ministrare, misericorditer auctoritate nostra dispenses, dummodo aliud canonicum non obsistat. Dat. Rome apud Sanctum Petrum XVI kalendas julii, anno secundo. »

567 Saint-Pierre, 10 mai 1279.

Ecclesie Jerosolimitane, quam Sedi apostolice reservavit, Heliam tunc episcopum Petragoricensem in patriarcam preficit; ecclesiam quoque Acconensem secundum exemplum predecessorum suorum eidem committit, donec ecclesia Jerosolimitana bona sua recuperaverit. (Fol. 192; an II, nº 158.)

« *Venerabili fratri Helie patriarche Jerosolimitano. Super electione sua.* Ad providam apostolice —. Decebat quidem nos circa statum ecclesie Jerosolimitane dum vacationis incomoda deplorabat tanto vigilantius cogitare quanto ipso majori corruscat privilegio sanctitatis et donorum perceptione celestium dinoscitur amplius insignita, ut ibidem personam substitueremus ydoneam que digne competeret ad ipsius ecclesie regimen assumendum et ad illius exaltationis augmenta sua totaliter studia deputaret. Sane dudum eadem ecclesia per obitum bone memorie Th. patriarche Jerosolimitani pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie pro futuri substitutione pastoris prout est moris convenientes in unum venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Neapolitanum in Jerosolimitano patriarcha unanimiter postularunt et nobis hujusmodi postulatio extitit presentata, qua non vitio persone sed ex certis causis aliis non admissa provisionem ejusdem ecclesie illa vice nobis duximus reservandam. Et postmodum de dilecto filio fratre Johanne priore generali ordinis fratrum Predicatorum providimus ecclesie memorate, qui sub pallio paupertatis quam in humilitate spiritus eterni patris cujus se dedicarat obsequiis potius subesse considerans quam preesse aliis preminentia dignitatis se super hoc nobis humiliter excusavit et petiit a provisione hujusmodi se absolvi. Nos autem excusationem hujus admittentes ac reservantes nobis similiter provisionem ecclesie supradicte inter alios, quos pensatis omnibus diligenter que in hujusmodi pensari negotio debuerunt eidem ecclesie utiles esse comperimus, ad te tunc episcopum Petragoricensem apud sedem apostolicam a longis retro temporibus laudabiliter conversatum et in magnis et arduis commissis tibi per predecessores nostros Romanos pontifices et nos etiam negotiis experientia comprobatum, ex cujus laudabilibus studiis et preteritorum consideratione spes nobis inducitur de futuris, specialiter mentis nostre convertimus aciem, nec adicere tuis humeris sub multorum laborum sarcina fatigatis onera dubitamus. Nam jugum Domini tibi sicut credimus est suave, nec onus ejus reputas nisi leve. Sperantes itaque quod ipsa ecclesia per tue circumspectionis industriam, cum existas per opera utilia et exempla laudabilia fructuosus et ex data prudentia tibi divinitus scias tum et possis fructus utiles in domo Domini germinare, Deo propitio relevabitur a noxiis et salubria suscipiet incrementa, te de fratrum nostrorum consilio absolvimus a vinculo quo Petragoricensi teneris ecclesie et ad memoratam ecclesiam Jerosolimitanam de apostolice potestatis plenitudine transferentes, ipsi te in patriarcham preficimus et pastorem. Cum autem felicis recordationis Urbanus papa IV primo de fratrum suorum consilio ecclesiam Acconensem, de qua bone memorie magistrum Florentium Arelatensem archiepiscopum ad Arelatensem ecclesiam tunc vacantem duxerat transferendum, patriarche Jerosolimitano qui erit pro tempore fore decreverit committendam et ab eo una cum dicta Jerosolimitana ecclesia tamdiu in spiritualibus et temporalibus gubernandam, donec eadem Jerosolimitana ecclesia bonis ejus recuperatis possessionem habuerit eorundem, et postmodum etiam pie memorie Gregorius papa decimus predecessor noster de fratrum suorum consilio eandem ecclesiam Acconensem eidem Th. patriarche predecessori tuo duxerit committendam, prout in regestris ipsorum predecessorum nostrorum plenius continetur, nos eandem ecclesiam Acconensem similiter nunc etiam vacantem tue circumspectioni committimus per te una cum dicta Jerosolimitana ecclesia in omnibus gubernandam, donec eadem Jerosolimitana ecclesia bonis suis recuperatis de adepta ipsorum possessione letetur. Quocirca —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI idus maii, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Jerosolimitane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Jerosolimitane.
In e. m. capitulo Acconensi.
In e. m. populo civitatis et diocesis Jerosolimitane.
In e. m. populo Acconensi.

In e. m. universis vassallis ecclesie Jerosolimitane.

In e. m. suffraganeis ecclesie Jerosolimitane. — Dat. ut supra.

568 Saint-Pierre, 10 mai 1279.

Pallium ipsi per J. Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem prestitum assignat et eum hortatur quatinus Jerosolimitanam ecclesiam spiritualibus et temporalibus incrementis adimplere sollicite curet. (Fol. 192; an II, nº 159.)

« *Venerabili fratri Helie patriarche Jerosolimitano.* Cum palleum insigne —. Dat. ut supra. »

569 Viterbe, 17 septembre 1279.

Archiepiscopo Cantuariensi mandat quatinus de infrascriptis ecclesiis, sedi apostolice reservatis, personis idoneis auctoritate apostolica providere procuret. (Fol. 193; an II, nº 160.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Cantuariensi.* Licet ecclesie de Cheyham Wintoniensis diocesis, quam quondam Thomas de Wetewanget et de Blockeleya ac de Tertebyre Wigorniensis diocesis, quas quondam magister Gregorius de Kaervent ecclesiarum ipsarum rectores, qui nuper apud sedem apostolicam diem clauserunt extremum, per eorum obitum apud sedem ipsam vacare noscantur ad presens, sicque nullus preter nos ecclesias conferre possit easdem, constitutione felicis recordationis Clementis pape predecessoris nostri super personatibus, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis apud sedem ipsam vacantibus per Romanum dumtaxat pontificem conferendis edita obsistente, cum ecclesias easdem infra tempus statutum per moderationem pie memorie Gregorii pape decimi predecessoris nostri super hoc adhibitam in concilio Lugdunensi donationi apostolice duxerimus reservandas ac decreverimus irritum et inane si secus a quoquam contingeret attemptari, sperantes tamen quod de predictis ecclesiis curam animarum habentibus per te salubriter et provide disponatur et in hac parte non minus provideatur ecclesiis quam personis quibus ecclesias easdem duxeris conferendas, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus de memoratis ecclesiis personis quas ad id idoneas esse sciveris scientia, vita, moribus et etate quibusque nichil obviet de canonicis institutis in sacerdotio constitutis, vel ad illud successive statutis temporibus promoveri paratis aliaque beneficia ecclesiastica non habentibus vel illa si obtinent resignantibus et qui personaliter resideant in ecclesiis eisdem super quibus tuam intendimus conscientiam onerare constitutione ac reservatione hujusmodi non obstantibus auctoritate nostra providere procures. Volumus autem quod persone hujusmodi per superiores suos ad faciendum in ecclesiis ipsis personalem residentiam compellantur et si ipse vec earum aliqne presbiteri non existerent, nisi postquam sibi fuerit de ecclesiis provisum eisdem et eas pacifice assecute se fecerint successive ut predicitur in presbiteros promoveri, cadant ab omni jure quod ex hujusmodi collatione tua in ipsis ecclesiis deberetur eisdem. Et ut de omnibus et singulis supradictis pleniorem certitudinem habeamus, modum quem in provisionibus hujusmodi servaveris, conditiones et merita personarum earundem et alias circumstantias premissorum singulariter de singulis nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Dat. Viterbii, XV kalendas octobris, anno secundo. »

570 Viterbe, 26 septembre 1279.

Episcopo Baiocensi mandat quatinus ecclesiam Domnipetri de Laudis Cenomanensis diocesis, sedi apostolice reservatam, alicui persone idonee auctoritate apostolica conferat. (Fol. 193; an II, nº 161.)

« .. *episcopo Baiocensi.* Licet ecclesia Domnipetri de Laudis Cenomanensis diocesis per obitum quondam magistri Benedicti de Villeborelli ipsius ecclesie rectoris, qui super apud sedem apostolicam diem clausit extremum, apud sedem eandem vacare noscatur ad presens, sicque nullus preter nos ecclesiam conferre possit eandem, constitutione felicis recordationis Clementis pape predecessoris nostri super personatibus, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis apud sedem ipsam vacantibus per Romanum dumtaxat pontificem conferendis edita obsistente, cum ecclesiam ipsam infra tempus statutum per moderationem pie memorie Gregorii pape decimi predecessoris nostri super hoc adhibitam in concilio Lugdunensi donationi apostolice duxerimus reservandam et decreverimus irritum et inane, si secus a quoquam contingeret attemptari, sperantes tamen — fraternitati tue de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus per apostolica scripta mandamus quatinus ecclesiam prefatam cum juribus et pertinentiis suis alicui persone ydonee scientia, vita, moribus et etate, cui canonicum aliquod non obsistat, in sacerdotio constitute, vel ad illud successive statutis temporibus promoveri parate aliudque beneficium ecclesiasticum non habenti, vel illud si obtinet resignanti et que personaliter resideat in eadem, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, non obstantibus cons-

[illegible] predictis auctoritate nostra con[illegible] et assignes, faciens personam eandem pacifica illius possessione gaudere contradictores et cetera usque compescendo. Volumus autem quod persona [illegible] superiorem suum ad faciendum ibidem personalem residentiam compellatur et si presbiter non existeret nisi postquam sibi fuerit de ecclesia ipsa provisum et eam pacifice assecutus se fecerit successive ut [illegible] in presbiterium promoveri cadat ob omni jure quod ex hujusmodi collatione tua in ecclesia ipsa debe[illegible] eadem. Dat. Viterbii, VI kalendas octobris, anno secundo. »

571 Viterbe, 3 octobre 1279.

Ecclesie Cenomannensi, postquam capitulum duas electiones celebravit et duo electi Guillelmus dictus Roil Cenomannensis et Gaufridus de Sancto Britio Bituricensis ecclesiarum decani omne jus in manibus pontificis resignarunt, Johannem de Chanlaio, tunc archidiaconum Sigalonie in ecclesia Aurelianensi, licet ad regimen ecclesie Autissiodorensis discorditer electum, preficit in episcopum. (Fol. 193 v°; an II, n° 162; Potthast 21648.)

« *Venerabili fratri Johanni de Chanlaio episcopo Cenomanensi.* Debitum officii nostri —. Dat. Viterbii, V nonas octobris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Cenomannensis
In e. m. clero civitatis et diocesis Cenomannensis.
In e. m. populo Cenomannensis civitatis.
In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Francorum illustri. — Dat. ut supra.

572 Viterbe, 3 octobre 1279.

Ecclesie Xanctonensi, cujus provisionem sibi reservavit, Gaufridum tunc decanum Bituricensem preficit in episcopum. (Fol. 194; an II, n° 163.)

« *Gaufrido episcopo Xanctonensi.* Magni pastoris divina —. Sane dudum ecclesia Xanctonensi pastoris solatio destituta, capitulum ipsius ecclesie duas electiones, unam videlicet de dilecto filio Petro Vigerii archidiacono Xanctonensi, reliquam vero de quondam Pontio de Mauritania ejusdem ecclesie decano in discordia celebrarunt. Negotio vero electionum hujusmodi per appellationes ad sedem apostolicam devoluto, dictus decanus diem clausit extremum, et tandem predictus archidiaconus post aliquos processus apud sedem eandem in negotio habitos supradicto omne jus quod sibi ex electione hujusmodi competebat sponte ac libere in nostris manibus resignavit. Nos autem hujusmodi resignatione recepta paterno desiderantes affectu quod de sponso legitimo et ydoneo Deo propitio ecclesie provideretur eidem, provisionem ipsius ea vice dispositioni et ordinationi nostre de apostolice plenitudine potestatis duximus reservandam, districtius inhibentes ne capitulum prelibati seu quicunque alii ad aliquam electionem, postulationem seu provisionem aliam de preficiendo sui et eidem ecclesie episcopo vel pastore procederent quoquo modo. Decrevimus quoque nichilominus extunc irritum et inane quicquid super hiis vel eorum aliquo contra hujusmodi reservationem et inhibitionem nostras per eos et quemlibet alium vel alios ignoranter vel scienter contingeret attemptari. Demum nolentes quod eadem ecclesia Xanctonensis diutius sine presule remaneret sed talem volentes ibi preesse pontificem qui Deo gratus et acceptus hominibus, bonis dotatus naturalibus et gratuitis redimitus commissum sibi gregem dominicum sciret doctrina verbi et operis informare, illumque prudenter regere ac in viam salubrium dirigere mandatorum, te tunc decanum Bituricensem, virum utique secundum cor nostrum, munditia vite fulgentem, scientia preditum ac multiplicibus virtutum meritis insignitum, eidem ecclesie Xanctonensi in episcopum prefecimus et pastorem de fratrum nostrorum consilio et eadem apostolice plenitudine protestatis, tibi plena ejusdem ecclesie tam in spiritualibus quam in temporalibus administratione commissa et nostris manibus munere consecrationis impenso. Firmam spem —. Dat. Viterbii, V nonas octobris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Xanctonensis.
In e. m. clero Xanctonensis civitatis et diocesis.
In e. m. populo Xanctonensis diocesis.
In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Francie illustri. — Dat. ut supra.

573 Viterbe, 22 septembre 1279.

Cum frater Joannes de Amelia, ordinis fratrum Minorum, a ministro sui ordinis acceptandi electionem de se factam infra tempus debitum licentiam non obtinuerit, ecclesie Sutrine, cujus provisionem sedi apostolice reservat eundem preficit in episcopum. (Fol. 194 v°; an II, n° 164; Potthast 21636.)

« *Venerabili fratri F. episcopo Sutrino.* In suppreme dignitatis —. Dat. Viterbii, X kalendas octobris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Sutrine.
In e. m. clero civitatis et diocesis Sutrine.
In e. m. populo civitatis et diocesis Sutrine.

574 Viterbe, 9 octobre 1279.

Ecclesie Regine, cum electionem de Roberto de Castellione ejusdem ecclesie decano factam ob defectum scientie cassaverit, Gentilem, fratrum Minorum ordinis professorem, preficit in archiepiscopum. (Fol. 195; an II, nº 165; POTTHAST 21654.)

« *Venerabili fratri Gentili archiepiscopo Regino* (1). Recte tunc ecclesiarum —. Dat. Viterbii, VII idus octobris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Regine.
In e. m. clero civitatis et diocesis Regine.
In e. m. populo civitatis et diocesis Regine.
In e. m. universis vassallis ecclesie Regine.
In e. m. universis episcopis suffraganeis ecclesie Regine.
In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Syrie illustri. — Dat. ut supra.

575 Viterbe, 3 octobre 1279.

Ad ecclesiam Bethleemitanam, sedi apostolice reservatam, Hugonem, episcopum Troianum, transfert. (Fol. 196; an II, nº 166.

« *Venerabili fratri Hugoni episcopo Bethleemitano* (2). Onerosa pastoralis officii —. Ecclesia siquidem Bethleemitana per obitum bone memorie Gaylardi Bethleemitani qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum destituta pastore, nos paterno desiderantes affectu quod de sponso legitimo et ydoneo Deo propitio ecclesie provideretur eidem, provisionem ipsius ea vice dispositioni et ordinationi nostre de apostolice plenitudine potestatis duximus reservandam, districtius inhibentes ne capitulum —. Postmodum autem — ad personam tuam, cui de vite munditia, dono scientie, honestate morum et aliis virtutum meritis laudabile testimonium perhibetur, nostre considerationis oculos duximus dirigendos, te tunc episcopum Troianum absolventes a vinculo quo ecclesie Troiane tenebaris astrictus predicte ecclesie Bethleemitane preficimus in episcopum et pastorem, ac te ad ipsam transtulimus de fratrum nostrorum consilio et nostre plenitudine potestatis. Sperantes quod tua —. Dat. Viterbii, V nonas octobris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Bethleemitane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Bethleemitane.
In e. m. populo Bethleemitane civitatis et diocesis. — Dat. ut supra.

576 Viterbe, 4 octobre 1279.

Ecclesie Tullensi per obitum Gilonis episcopi vacanti, cum primus electus (Johannes de Fontencto, canonicus ipsius ecclesie) apud sedem apostolicam mortuus sit, et alius (Rogerus archidiaconus de Portu), cujus electioni se opposuerunt quidam canonici, omne jus resignaverit, fratrem Corradum tunc ministrum ordinis fratrum Minorum superioris Alemannie licet absentem preficit in episcopum. (Fol. 196 vº; an II, nº 167; POTTHAST 21649.)

« *Fratri Corrado electo Tullensi.* In suppreme dignitatis —. Dat. Viterbii, IIII nonas octobris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Tullensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Tullensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Tullensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Tullensis.
In e. m. carissimo in Christo filio R. regi Romanorum illustri.

577 Viterbe, 10 octobre 1279.

Ecclesie Autisiodorensi, post duas electiones a capitulo factas, sedi apostolice reservate Guillelmum tunc decanum Carnotensem preficit in episcopum. (Fol. 197; an II, nº 168.)

« *Venerabili fratri Guillelmo episcopo Autisidiorensi.* Onerosa pastoralis officii —. Sane vacante dudum Autisiodorensi ecclesia dilecti filii capitulum ipsius ecclesie pro futuri substitutione pastoris insimul convenerunt et eis in diversa dividentibus vota sua due fuerunt inibi electiones videlicet de venerabilibus fratribus nostris Johanne Cenomanensi et Petro Matisconensi episcopis tunc canonicis Autisiodorensibus in discordia celebrate. Negotio igitur electionum hujusmodi per appellationes ad sedem apostolicam devoluto, dum apud sedem eandem super ipsius negotii variis processibus ageretur, de Johanne Cenomanensi et Petro predictis Matisconensi ecclesiis duximus providendum, sicque dicta ecclesia Autisiodorensis ab eisdem electionibus

(1) En marge : *Super electione sua.*
(2) En marge : *Super electione sua.*

expedita. Nos paterna sollicitudine precavere volentes ne predicta Autisiodorensis ecclesia que diutius viduitatis incomoda pertulit tali pretextu prolixioris vacationis incurreret detrimenta, cum ejus dispendiose fluctuationes preterite dubitationem nobis inducerent de futuris, provisionem ejusdem Autisiodorensis ecclesie quam affectione caritativa prosequimur ea vice nobis duximus reservandam cupientes illi secundum cor nostrum preesse ministrum, in quo ipsa que multe coruscat privilegiis dignitatis desponsata quiesceret et per quem ampliaretur claris titulis et a noxiis servaretur. Et postmodum ad personam tuam nobis acceptam, cum habearis vir vite laudabilis, litterarum scientia preditus, discretionis maturitate conspicuus, preclarus meritis et alias in spiritualibus et temporalibus circumspectus nostre considerationis aciem extendentes, sperantes quoque quod eandem Autisiodorensem ecclesiam salubri dante Domino regimine gubernabis ipsaque utilis presidio munita pastoris optatis affluet incrementis, te tunc decanum Carnotensem prefate Autisiodorensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum prefecimus et pastorem tibique munus consecrationis nostris manibus duximus impendendum. Quocirca fraternitati tue —. Dat. Viterbii, VI idus octobris, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis capitulo ecclesie Autisiodorensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Autisiodorensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Autisiodorensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Autisiodorensis.

In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Francie illustri. — Dat. ut supra.

578 Viterbe, 7 octobre 1279.

Ad monasterium Sancti Johannis Senonensis, cujus provisionem post duas electiones in discordia celebratas sedi apostolice reservavit, Philippum, tunc abbatem monasterii Sancti Severini de castro Nantonis, transfert. (Fol. 198; an. II, n° 169.)

« *Dilecto filio Philippo abbati monasterii Sancti Johannis Senonensis, ordinis Sancti Augustini.* Debitum officii nostri —. Sane vacante dudum monasterio Sancti Johannis Senonensis, ordinis Sancti Augustini, dilecti filii conventus ipsius monasterii pro futuri substitutione abbatis insimul convenerunt et eis in diversa dividentibus vota sua fuerunt inibi due electiones, una videlicet de Johanne de Soysiaco et reliqua de Johanne de Gressio prioratuum prioribus in discordia celebrate. Negotio igitur electionum hujusmodi per appellationes ad sedem apostolicam devoluto extitit super illo apud sedem ipsam diutius litigatum et tandem eisdem prioribus resignantibus libere in nostris manibus omne jus quod eis et eorum cuilibet ex electionibus hujusmodi competebat provisionem ejusdem monasterii nobis ea vice duximus reservandam. Et postmodum circa provisionem eandem ne dictum monasterium prolixioris vacationis incurreret detrimenta sollicitudinis nostre studia convertentes ac volentes predicto monasterio de abbate cum deliberatione plenaria providere, dictos priores et quosdam alios ejusdem monasterii canonicos apud sedem existentes eandem jurare fecimus ut ipsi nobis unum vel plures quos crederent ad ipsius monasterii regimen magis utiles nominarent qui deliberatione inter se habita diligenti primo plures et tandem te nobis communiter nominarunt. Nos autem sperantes quod prefatum monasterium per tue circumspectionis industriam cum nobis de honestate morum et conversatione vite laudabilis multipliciter commenderis in spiritualibus et temporalibus optatis affluet incrementis de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis te tunc abbatem monasterii Sancti Severini de castro Nantonis ejusdem ordinis Senonensis diocesis a vinculo quo ipsi monasterio Sancti Severini tenebaris absolvimus et dicto monasterio Sancti Johannis preficimus in abbatem, administrationem ipsius monasterii Sancti Johannis tibi spiritualiter et temporaliter plenarie committentes. Quocirca —. Dat. Viterbii, nonis octobris, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii Sancti Johannis Senonensis, ordinis Sancti Augustini. — Dat. ut supra.

579 Viterbe, 11 octobre 1279.

Monasterio S. Egidii, electione quadam pro vitio forme cassata, Eustorgium tunc priorem de Caroloco, Cluniacensis ordinis preficit in abbatem. (Fol. 198; an II, n° 170.)

« *Dilecto filio Eustorgio de Monteacuto abbati monasterii Sancti Egidii ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Benedicti Nemausensis diocesis.* Pervigilans nostri apostolatus officium in electionibus que ipsius dijudicantur examine tanto subtilius discutit gestorum seriem intentionum studia et merita personarum, quanto pernitiosius in domum Domini dispensatores ejus aliunde quam per ostium introire. Sane monasterio Sancti Egidii ad Romanam cclesiam nullo medio pertinente ordinis Sancti Benedicti vacante per obitum quondam Petri de Lunello abbatis ejusdem monasterii

et corpore ipsius tradito sepulture, conventus ejusdem monasterii convenientes in unum, et vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse per viam compromissi ad electionem futuri abbatis procedere cupientes, Petro Galterii priori majori, Raymundo de Dions, Guillelmo de Bocoyrano, Audeberto de Aromon, Bernardo de Solayrols et Gilio de Gaianis monachis prefati monasterii ac Guillelmo de Hospitali tunc officiali Uticensi eligendi personam ydoneam in abbatem monasterii prelibati concesserunt plenam et liberam potestatem, pro ittentes illum recipere in abbatem quem predicti compromissarii vel major pars ipsorum de gremio ipsius monasterii ducerent eligendum. Verum .. prior major et monachi predicti secedentes in partem hujus compromissi forma postposita eidem officiali providendi prefato monasterio de abbate potestatem de facto, cum de jure nequiverint, concesserunt. Idemque officialis priorem et monachos eosdem astrinxit nichilominus juramento quod illum in abbatem reciperent quem ipse duceret eligendum sicque postmodum dictus officialis rediens cum aliis compromissariis ad conventum asserens quod diligenti tractatu inter se habito de certa persona eligenda convenerant de communi consensu et voluntate compromissariorum eorundem ut dicebat Guillelmum de Margaritis dicti monasterii camerarium in ipsius abbatem eligere de facto presumpsit, quamquam personam eligendam nondum predictis aliis compromissariis expressiss t nec ipsi consensissent aliquatenus in eandem. Cumque prior major et Ramundus predicti procuratores prefati conventus nobis decretum electionis hujusmodi presentassent electionem ipsam confirmari a nobis cum instantia postulantes, nos ejusdem electionis diligenter examinato processu, quia invenimus formam commissionis facte dictis septem compromissariis non esse servatam, cum non ipsi vel eorum major pars abbatem elegerint ut ex hujus commissione poterant et debebant, sed potestatem id faciendi officiali prefato contulerint, quod nullo modo potuerunt, electionem ipsam taliter de memorato camerario presumptam justitia exigente decrevimus irritam et inanem, eam nichilominus quatenus processit de facto cassantes cassamque nuntiantes et omni carere robore firmitatis. Postmodum autem provida consideratione pensantes quod ubi non est gubernator populus corruit et ecclesie seu monasteria sine pastoris vel rectoris cura relicta diversis subjacent detrimentis ac volentes propter hoc eidem monasterio de abbate ydoneo salubriter providere, te tunc priorem de Caroloco Cluniacensis ordinis, cui de vite munditia, religionis zelo, dono scientie, disciplina morum, spiritualium providentia et temporalium prudentia laudabile testimonium perhibetur de predictorum fratrum nostrorum consilio eidem monasterio preficimus in abbatem tuique nostris manibus benedictionis munus duximus impendendum, sperantes quod —. Dat. Viterbii, V idus octobris, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii Sancti Egidii etc.

In e. m. universis rectoribus ecclesiarum et aliis clericis ville Sancti Egidii et aliorum locorum subjectis monasterio Sancti Egidii, etc.

In e. m. universis vassallis monasterii Sancti Egidii, etc. — Dat. ut supra.

580 Viterbe, 11 octobre 1279.

Cum electionem in ecclesia Matisconensi de H. decano factam tanquam de conspiratore contra Romanam ecclesiam attemptatam cassaverit eidem ecclesie, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, Petrum tunc canonicum Autisiodorensem preficit in episcopum. (Fol. 199; an II, nº 171.)

« *Venerabili fratri Petro episcopo Matisconensi* (1). Matisconensi ecclesia per obitum bone memorie G. Matisconensis episcopi viduata pastore capitulum ipsius ecclesie certa die ad eligendum prefixa pro futuri substitutione pastoris vocatis omnibus evocandis convenientes in unum ac deliberantes omnes et singuli per viam procedere compromissi quatuor ex eis sub ea forma compromissarios elegerunt, videlicet quod omnes quatuor in unam aliam a se ipsis possent concordare personam et de ipso eidem Matisconensi ecclesie providere, potestate ipsorum usque ad consumptionem candele que tunc in capitulo accensa extitit duratura. Qui quidem quatuor secedentes in partem in H. de Fontanis decanum ejusdem ecclesie consenserunt et adhuc predicta candela durante unus ex ipsis quatuor vice sua et aliorum eundem decanum elegit in Matisconensem episcopum et pastorem, et tandem Guido de Castellione canonicus dicte ecclesie electo et electioni hujus pro se sibique adherentibus se opponens aliqua objecit in formam, multa etiam in personam. Inter alia in formam objiciens quod cum in dictos quatuor sub eo modo esset per capitulum compromissum quod ipsi secundum Deum et eorum conscientias de gremio ecclesie predicte eligerent meliorem et utiliorem vel saltem bonum et utilem ad regimen ecclesie supradicte, super hoc corporali prestito juramento, iidem compromissarii formam hujusmodi non servantes virum omnino inutilem et mani-

(1) En marge : *Super electione sua.*

festos sustinuit in defectus, videlicet in visu et aliis sensibus corporeis, memoria et etiam intellectu, contra formam sibi traditam elegerunt; in personam vero quod ipse patiebatur debilitatem ut dictum est in visu, auditu et aliis sensibus corporeis, necnon memoria et etiam intellectu, et jurans se credere predicta et alia que proposuit contra predictas electionis formam et electi personam omnia et singula esse vera et posse probare, ad dilectum filium nostrum S. tituli Sancte Cecilie presbiterum cardinalem in illis partibus apostolice sedis legatum sub certa forma primo et demum ad sedem appellavit eandem. Negotio itaque hujusmodi ad sedem ipsam deducto et coram dilecto filio nostro J. Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali partibus auditore concesso lite legitime contestata, cum ex parte Guidonis et adherentium predictorum multe exceptiones opponerentur contra electionem et electum predictos, pro parte ipsius decani in judicio petebatur quod cum pars appellans in appellatione sua contra dictum decanum manifestos defectus in visu et aliis sensibus corporis ac intellectu et memoria objecisset, idem decanus juxta formam constitutionis concilii Lugdunensis super hujusmodi defectibus ante omnia subjiceretur examini, ut si ipsius examinis exitus doceret oppositionem hujusmodi veritate destitui pars opponens non solum ab hujusmodi defectuum sed etiam a totius cause prosecutione deberet excludi et perinde puniri ac si in probatione omnium que objecerat defecisset. Dicta vero pars Guidonis et adherentium eorundem ad premissa respondens constanter asseruit quod nec idem decanus prout pro parte sua petebatur ad illum effectum super premissis subjiciendus erat examini nec prefata constitutio in hoc casu locum sibi poterat vendicare. Quia licet in appellatione sua in ea parte ubi opposuit contra formam in oppositione defectuum verbum istud premittitur interserat manifestos et predicta constitutio opponentes evidentes defectus et illos contra personam ex sui serie comprehendat. Et inter manifestum et evidens jura distinguant, nec dictum verbum manifestos quod positum est ut predicitur in objectionibus contra formam repetatur in oppositionibus in personam, sitque aliud objicere in formam, aliud in personam prefatam, constitutio se ad casum ipsum nullatenus extendebat. Sed ad hec pro parte altera dicebatur quod cum jura quod manifestum est evidens et quod est evidens interdum asserant manifestum et ex serie ac contextu verborum objectuum predictorum verbum illud manifestos tam in specificatione objectum quoad formam quam in oppositionibus in personam dicendo ut dictum est intelligatur clarius repetitum et inspecta intentione conditoris canonis pro eodem manifestum et evidens sit habendum proposita obstare non debent quominus ut dictum est processus ad examinationem persone ante omnia sit habendus. Cum autem idem decanus cum multa instantia se in predictis prefato offerret examini, nos per aliquos de fratribus nostris dictum decanum examinari fecimus in predictis et cum hujusmodi examinis exitus oppositiones ipsas ostenderit veritate destitui, cum fratribus nostris deliberatione habita diligenti de ipsorum consilio in casu prefate constitutionis idem per omnia supponere manifestum quod evidens declarantes, Guidonem et adherentes eosdem a prosecutione ipsius cause et ab omnibus predictis objectis exclusimus. Demum cum ex officio ad discussionem cujusdam excommunicationis que decano objiciebatur eidem se sollicitudo nostra converteret, coram nobis et fratribus nostris ostensa fuit quedam cedula inter cetera continens quod H. decanus et capitulum Matisconense habito diligenti tractatu et propter hoc convocato capitulo ordinarunt, statuerunt, sollempniter et juramento firmarunt quod ipsi defenderent ecclesiam suam et se contra magistrum Hugonem Brisaudi et contra omnes alios impetrantes canoniam ecclesie memorate usque ad jus et quantum de jure poterunt ad judicium domini pape vel specialis mandati ipsius communibus expensis et sub communi sigillo capituli supradicti. Et quod quandiu aliquis de canonicis ipsius ecclesie oppositionem hujusmodi subire voluerit modo predicto alii canonici non poterunt nec debebunt aliquem impetrantem recipere in canonicum nec habere eum pro canonico in ecclesia, capitulo sive extra. Qui H. decanus coram nobis et eisdem fratribus confessus est sic se ac capitulum Matisconense statuisse, sic etiam statutum ipsum juramento firmasse. Cumque aliqui statutum ipsum propter verba predicta usque ad jus et quantum de jure poterimus. tolerabile cognarentur (*sic*) astruere asserebant alii ex adverso statutum ipsum manifestam conspirationem ac conjurationem contra auctoritatem ac libertatem Romane ecclesie continere, quibus videbatur non obstante predicto fuco verborum statuentes ipsos non posse aliquatenus excusari; nam per eadem etiam verba in ipso statuto colorare conscripta promptitudo debite obedientie predicte sedi apostolice tollebatur ex toto nisi tunc demum cum ipsum negotium esset sententialiter diffinitum et deinde super eo Romani Pontificis expectatum judicium vel ipsius speciale mandatum cum verba premissa intellecta sane aliud importare non possint cui intellectui patenter alludit illius in qua statutum factum dicitur vulgaris prolatio regionis in qua ab expectantibus aliquid per sententiam diffiniri, communi sermone profertur jus exinde expectabo, nec

in aliis poterat colorate defendi, cum si unicus forte in predicta oppositione persisteret in expensis prosecutionis hujusmodi gravaretur ecclesia et ceteri quantumcunque ipsos in parendo conscientia coartaret et inobedientes existere et contra conscientiam suam agere pretextu conjurationis hujusmodi cogerentur. Itaque super istis et aliis cum eisdem fratribus deliberatione habita diligenti, nos de ipsorum consilio predictum decanum in statuendo et jurando predicto conspiratorem ac conjuratorem contra auctoritatem predicte Romane ecclesie declarantes ac debita meditatione pensantes quam graviter sacri canones conjurationes hujusmodi prosequantur ut secundum eosdem canones tales dejiciantur etiam jam promoti, attendentes insuper quod si excessus iste remaneret inultus tamquam pernitiosus exemplo multos inficeret, et ad inobedientiam que est ariolandi peccatum multos dampnose pertraheret, electionem de dicto H. decano tamquam de conspiratore et conjuratore contra prefatam Romanam ecclesiam taliter attemptatam cassavimus et annullavimus, cassam, nullam et irritam nuntiavimus ipsique decano perpetuum imposuimus silentium super illa. Reservantes nobis contra prefatum decanum quoad statum suum et beneficia que obtinet prout nobis placuerit et expedire viderimus humili ac prompta super recognitione dicti statuti sua confessione pensata processum mansuetudinis vel rigoris. Ceterum vacationi diutine ipsius Matisconensis ecclesie precaventes, provisionem ejusdem Matisconensis ecclesie ea vice nobis duximus reservandam. Decernentes irritum et inane si secus a quoquam contingeret attemptari et postmodum ad personam tuam considerationis nostre oculos convertentes te tunc canonicum Antisiodorensem de fratrum predictorum consilio et apostolice plenitudine potestatis prelate Matisconensi ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem tuique munus consecrationis de nostris manibus duximus impendendum. Firmam spem —. Dat. Viterbii, V idus octobris, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis capitulo ecclesie Matisconensis
In e. m. clero civitatis et diocesis Matisconensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Matisconensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Matisconensis.
In e. m. carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum illustri. — Dat. ut supra.

581 Viterbe, 7 octobre 1279.

Ecclesie Metensi, propter obitum episcopi apud sedem apostolicam eidem sedi reservate, Johannem tunc prepositum ecclesie Brugensis preficit in episcopum. (Fol. 200 vo; an II, no 172.)

« *Dilecto filio Johanni electo Metensi.* Apostolatus officium quamquam —. Sane Metensi ecclesia per obitum bone memorie L. episcopi Metensis, qui nuper apud sedem apostolicam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, nos paterno desiderantes affectu quod de sponso legitimo et ydoneo Deo propitio ecclesie provideretur eidem provisionem ipsius ea vice dispositioni et ordinationi nostre de apostolice plenitudine potestatis duximus reservandam, districtius inhibentes ne capitulum — ac demum de ipsius ecclesie ordinatione celeri ne prolixioris vacationis exposita maneret incomodis sollicite cogitantes, post exacte deliberationis examen decens et expediens fore cognovimus ut eadem ecclesia inter ceteras illarum partium titulo nobilitatis insignis, que temporis faciente malitia discriminibus exposita variis conquassata molestiis et in spiritualibus deformata per aliquorum potentum oppressiones multiplices gravia in suis bonis et juribus sustinuisse dinoscitur detrimenta, nobilis decore sponsi ac utilis ornaretur, cujus potentia et providentia circumspecta oportunum detrimentis hujusmodi suscipiat relevamen, libertas ecclesiastica defensetur et alias indirecta in debitam rectitudinis semitam reducantur et in cujus fide fida posset recumbere securitas subditorum ac persone tue suffragari hec omnia extimantes, in te generositate prosapie splendidum, sciantia litterali preditum, virum quoque vite laudabilis, conversationis placide ac morum honestate decorum, qui claram tuorum nobilitatem natalium studiis et operibus nobilitare satagis virtuosis, prout ex testimonio fide dignorum accepimus, direximus oculos nostre mentis. Proinde igitur tam gregi dominico quam ecclesie predicte intendentes salubriter providere de fratrum nostrorum consilio te tunc prepositum ecclesie Brugensis eidem ecclesie Metensi prefecimus in episcopum et pastorem, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dicta —. Dat. Viterbii, nonis octobris, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Metensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Metensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Metensis.
In e. m. vassallis ecclesie Metensis. — Dat. ut supra.

582 Viterbe, 7 octobre 1279.

Infrascriptis mandat quatinus procurent ut Guillelmus Antelminelli de Luca plebanus plebis Masse piscatorum Pisto-

[illegible] ordinatum suum et Orlandus Thomasii canonicus ecclesie Lucane canonicatum et prebendam, quos in ecclesia Lucana obtinet, permutent. (Fol. 201; an II, nº 173; Potthast 21652.)

« *Dilectis filiis .. abbati monasterii S. Michaelis de Guanio Lucane diocesis et .. priori Predicatorum ac .. guardiano Minorum fratrum ordinum Lucanis.* Exhibita nobis dilecti —. Dat. Viterbii, nonis octobris. »

583 Saint-Pierre, 4 et 5 décembre 1279.

Ecclesie Pictavensi, in qua due electiones in discordia celebrate sunt, una de Radulpho decano reliqua de Johanne capicerio ejusdem ecclesie, cum iidem omne jus resignaverint, Gualterum ministrum ordinis fratrum Minorum in Francia preficit in episcopum. (Fol. 202; an II, nº 174; Potthast 21658.)

« *Venerabili fratri Gualterio episcopo Pictavensi.* Militanti ecclesie diponente —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas decembris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Pictavensis. — Dat. Rome apud S. Petrum nonis decembris anno secundo.

In e. m. clero civitatis et diocesis Pictavensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Pictavensis. — Dat. ut supra.

In e. m. universis vassallis ecclesie Pictavensis.

In e. m. carissimo in Christo filio .. regi Francorum illustri.

584 Saint-Pierre, 27 novembre 1279.

Cum in ecclesia Darensi, per mortem Symonis episcopi vacante, due electiones celebrate sint, una de magistro Stephano decano, altera de Guillelmo ejusdem ecclesie thesaurario, et jam tempore Gregorii pape decimi hoc negotium examinatum fuerit, postquam ambo electi omne jus resignaverunt eidem Nicolaum de Cussach fratrum Minorum ordinis professorem preficit in episcopum. (Fol. 202 vº; an II, nº 175; Potthast 21656.)

« *Nicolao de Cusoach electo Darensi.* Rationis oculis intuentes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V kalendas decembris, anno secundo. »

In e. m. .. decano et capitulo ecclesie Darensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Darensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Darensis.

585 Saint-Pierre, 29 novembre 1279.

Potestati, capitaneo, consilio et communi Pergamensibus mandat quatinus Conradum de Venosta hereticum episque complices, qui fratrem Paganum ordinis Predicatorum inquisitorem ac duos notarios totidemque socios eundem comitantes interfecerunt, diligenter custodiant et ad alium locum transferri procurent, cum ab inquisitoribus requisiti fuerint. (Fol. 203; an II, nº 176.)

« .. *potestati, .. capitaneo, consilio et communi Pergamensibus.* Ut orthodoxe fidei sinceri comprobemini zelatores ad hoc debetis potissime vestra excitare precordia et consurgere studiis indefessis, quod ejusdem fidei persecutorum aculeos quantum in vobis est vestre potestatis gladio succidatis, ne triticum a palea misterio dominice passionis excussum lolio contagionis heretice inquinetur. Dudum siquidem, sicut non sine amaritudine mentis accepimus, Conradus de Venosta laicus fautor et defensor hereticorum ac hereticus manifestus veritatem ipsius fidei obfuscare satagens obliqui tenebris intellectus, factus proh dolor sui redemtoris blasphemus in quondam fratrem Paganum ordinis Predicatorum tunc inquisitorem heretice pravitatis in illis partibus a sede apostolica deputatum, necnon duos notarios totidemque socios comitantes eundem, associatis sibi nonnullis in hac parte complicibus hereseos labe respersis presumptione dampnabili et detestabilis furoris spiritu irruens crudeliter peremit eosdem. Licet igitur tam horribilis presumptionis excessus cordis nostri quietem vehementius inquietet, nichilominus tamen ingenti perfundimur gaudio quod sicut accepta nobis super hoc habet relatio, hujusmodi patratores sceleris sub manu potentie vestre consistunt. Quamobrem universitatem vestram rogamus attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus dictos Conradum et alios ita custodiatis diligenter et faciatis per alios custodiri quod eis omnino fuge sublato presidio, cum a dilectis filiis Anselmo de Alexandria, Daniele de Gusano et Guidone de Coconato fratribus dicti ordinis Predicatorum, inquisitoribus hujusmodi pravitatis in Lombardia et Marchia Januensi fueritis requisiti, predictos Conradum et alios ad locum quem dicti inquisitores maluerint sub fida custodia et cum ducatu comitatum oportuno procuretis transferri, mandato dictorum inquisitorum in hac parte humiliter et efficaciter parituros. Alio quin eisdem inquisitoribus nostris damus litteris in mandatis ut vos ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III kalendas decembris, anno secundo. »

586 Saint-Pierre, 29 novembre 1279.

Infrascriptis mandat quatinus potestatem, capitaneum, consilium et commune Pergamenses ad predictos hereticos sub fida custodia ad locum quem maluerint transferendos, si necesse fuerit, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam appellatione posposita compellant. (Fol 203; an II, nº 177.)

« *Dilectis filiis Anselmo de Alexandria, Danieli de Guxano et Guidoni de Coconato fratribus ordinis Predicatorum inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia et Marchia Januensi.* Quod audientiam vestram —. Dat. ut supra. »

587 Saint-Pierre, 29 novembre 1279.

Infrascriptis mandat quatinus predictis inquisitoribus defensionis efficacis presidio assistentes, cum Conradum et alios hereticos, complices ejus, per districtum ipsorum duci contigerit, de securo conductu ad requisitionem eorundem sic liberaliter provideant quod hereticos ad locum destinatum libere valeant ducere, et si forsan dicti inquisitores in alio loco ipsis subjecto eos detineri decernant, eos sollicite custodiant. (Fol. 203; an II, nº 178; Potthast 21657.)

« *Dilectis filiis universis potestatibus, capitaneis et rectoribus civitatum, castrorum, villarum ac locorum per Lombardie provinciam constitutis.* Illa vos credimus —. Dat. ut supra. »

588 Viterbe, 6 octobre 1279.

Episcopo Cloamfortensi mandat quatinus decanum et capitulum S. Patricii Dublinensis citare procuret, ut in causa electionis archiepiscopi Dublinensis inter eosdem atque priorem et conventum S. Trinitatis a tempore Gregorii pape decimi discussa infra quatuor menses post citationem per se vel per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui representent. (Fol. 203 vº; an II, nº 179; Potthast 21651.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Cloamfortensi.* Dudum bone memorie Fulcone archiepiscopo Dublinensi nature debitum persolvente, dilecti filii .. prior et conventus Sancte Trinitatis Fromundum dictum Lebrun, et dilecti filii .. decanus et capitulum Sancti Patricii ecclesiarum Dublinensium magistrum Guillelmum de Lacornere capellanos nostros in Dublinensem archiepiscopum elegerunt. Porro hujusmodi electionum negotio ad sedem apostolicam deducto, felicis recordationis Gregorius papa X predecessor noster bone memori S. tituli Sancti Martini presbiterum primo et postmodum tam dicto predecessore quam eodem cardinali viam universe carnis ingressis pie memorie Johannes papa XXI predecessor noster dilectum filium nostrum M. Sancte Maria in Porticu diaconum cardinales dederunt in dicto negotio partibus auditores, et tandem cum predicte partes super electionibus ipsis ad invicem apud predictam sedem diutius litigassent, nos ad vacationis diutine dispendia evitanda, cum per ea que in hujusmodi causa acta fuerunt et probata articulum dissensionis super jure eligendi quod iidem prior et conventus ad se solum spectare, dictique decanus et capitulum hujusmodi electioni dicti archiepiscopi una cum eisdem priore et conventu interesse communiter asserebant, non potuissemus plenius diffinire, volentes indempnitati earundem ecclesiarum taliter in hac parte precavere quod occasione alicujus questionis quam super predicto jure inter partes oriri seu verti contingeret ecclesie ipse detrimenta vacationis minime sustinerent in premissis partem non judicis sed provisoris assumpsimus, et de fratrum nostrorum consilio ordinavimus ut quotiens sedem Dublinensem vacare contingeret in futurum predicti prior et conventus eosdem decanum et capitulum tali tempore vocarent ad electionem hujusmodi celebrandam sicque competentem terminum ad id prefigere studerent quod dicti decanus et capitulum vocare valerent suos, quos de consuetudine vel de jure vocare debuerint, et extunc in memorata ecclesia Sancte Trinitatis insimul convenirent, ac inibi canonice atque communiter electionem archiepiscopi Dublinensis celebrarent, et alia simul facerent que ad electionem spectarent eandem et ingruerent facienda. Noluimus tamen quod per hujusmodi nostram ordinationem in favorem dumtaxat ipsarum ecclesiarum factam ad vacationis ut premittitur dispendia evitanda, nullum juri alterutrius partium quoad petitorium vel etiam possessorium, si super hoc in judicio experiri vellent, posset prejudicium generari sed predictam formam voluimus tamdiu observari quousque alterutram partium in possessorio vel petitorio contingeret contra alteram specialiter obtinere. Postmodum autem procuratore dictorum prioris et conventus habente ab eis super hoc speciale mandatum, asserente quod cum prefata ecclesia Sancte Trinitatis cathedralis dumtaxat existat et jus eligendi archiepiscopum Dublinensem quotiens ipsam sedem Dublinensem vacare contingit ad priorem et conventum prefatos solum et non alios pertineat, quodque predicti prior et conventus sint et fuerint in pacifica possessione vel quasi eligendi dictum archiepiscopum a tempore cujus memoria non existit, et quod decanus et capitulum me-

morati quominus dicti prior et conventus prout ad eos pertinere proponunt archiepiscopum Dublinensem, cum sedes ipsa vacat, libere eligere valeant per seipsos contra justitiam impedire presumunt, nos in causa hujusmodi quam iidem prior et conventus prout dictus procurator eorum proposuit coram nobis contra decanum et capitulum memoratos super hoc novere intendunt eundem M. cardinalem dedimus partibus auditorem. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus decanum et capitulum memoratos ex parte nostra peremptorie citare procures ut infra quatuor menses post citationem tuam cum omnibus actis juribus et munimentis suis causam ipsam contingentibus per se vel per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui representent, facturi et recepturi super hiis quod ordo dictaverit rationis, diem vero citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare —. Dat. Viterbii, II nonas octobris, anno secundo. »

589 Saint-Pierre, 26 juin 1279.

Episcopo Cloamfortensi mandat quatinus archiepiscopum Armachanum, propter causas que inter ipsum et episcopum Dunensem exorte fuerunt, citare procuret ut infra quatuor menses per se vel per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui representet. (Fol. 204; an. II, n° 180; POTTHAST 21587.)

« *Venerabili fratri J. episcopo Cloamfortensi.* Significavit nobis venerabilis frater noster .. episcopus Dunensis quod cum venerabilis frater noster .. Armachanus archiepiscopus loci metropolitanus suam provinciam visitans, postquam civitatem et diocesim Dunensium ibidem officio visitationis impenso exiverat, asserens quod ipse de villa Hay de Castelbey et quasdam alias ecclesias dicte diocesis minime visitarat, quamvis ecclesie ipse non indigerent plus ceteris visitari nec ad hoc ipsius episcopi vel aliorum suffraganeorum suorum obtinuisset nec etiam requisisset assensum, Angelum clericum procuratorem suum ad easdem ecclesias destinavit, qui auctoritate ac vice ipsius archiepiscopi dictas ecclesias de facto, cum de jure nequiverit, visitavit et a rectoribus dictarum ecclesiarum quamdam pecunie summam nomine procurationum, que ratione visitationis debentur exigere, ac extorquere presumpsit contra canonicas sanctiones in predicti episcopi ac earundem ecclesiarum prejudicium et gravamen. Cumque idem episcopus causas que inter ipsum et dictum archiepiscopum super hiis et aliis diversis articulis exorte fuerunt .. Conerensi et .. Drumorensi archidiaconis obtinuisset per apostolice sedis litteras sub certa forma eommitti, tandem causis hujusmodi ab audientia ipsius archidiaconi Conerensis, qui solus prout ex forma predictarum litterarum pot rat de causis cognoscebat eisdem ad predictam sedem delatis, felicis recordationis Johannes papa XXI^us predecessor noster post diversos auditores in supradictis causis, et nos demum dilectum filium nostrum G. Sancti Georgii ad velum aureum diaconum cardinalem dedimus in causis ipsis partibus auditorem. Et licet per Lucam de Guarcino ipsius episcopi et quondam Walterum de Lufche dicti archiepiscopi procuratores in dictis causis coram eodem cardinali aliquandiu processum extiterit, quia tamen eodem Waltero viam universe carnis ingresso, pro parte ipsius archiepiscopi coram eodem cardinali nullus postmodum comparuit legitimus procurator, quamquam ex parte dicti cardinalis in audientia publica pluries citatus fuerit in causis prelibatis coram memorato cardinali debitus non potuit haberi processus. Quare dictus episcopus nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus memoratum archiepiscopum ex parte nostra peremptorie citare procures ut infra quatuor mensium spatium post citationem tuam per se vel per procuratorem ydoneum cum omnibus actis juribus et munimentis suis predictas causas contingentibus apostolico se conspectui representet, facturus et recepturus super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis hujusmodi et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter studeas intimare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI kalendas julii, anno secundo. »

590 Viterbe, 16 octobre 1279.

Proesavium episcopum Cenetensem a capitulo Tervisino postulatum et post quasdam oppositiones per cardinales aliquos diligenter examinatum ad ecclesiam Tervisinam transfert. (Fol. 204 v°; an. II, n° 181.)

« *Venerabili fratri Proesavio episcopo Tervisino.* Romani pontificis quem —. Sane dudum ecclesia Tervisina pastoris solatio destituta dilecti filii capitulum ipsius ecclesie die ad eligendum prefixa insimul convenerunt et deliberantes per viam procedere compromissi in quatuor ex se ipsis compromittere curaverunt, dantes eisdem plenam et liberam potestatem providendi ea vice de pastore per electionem seu postulationem ecclesie Tervisine ac promittentes illum habere pro episcopo et pas-

tore quem ipsi quatuor eligerent seu etiam postularent, qui siquidem quatuor hujusmodi potestate recepta et deliberatione habita diligenti in te unanimiter et concorditer consenserunt et dilectus filius Tiso dictus mille marcharum decanus Tervisinus unus ex dictis quatuor vice sua et aliorum trium ac totius capituli supradicti et in eodem capitulo te in Tervisinum episcopum postulavit. Verum postulatione hujusmodi celebrata capellani ecclesiarum civitatis Tervisine asserentes se de observata consuetudine in electione Tervisini episcopi vocem habere et in postulatione ipsa fuisse contemptos postulationi se opposuerunt eidem et tandem postulationi assentientes predicte ab oppositione hujusmodi destiterunt et postmodum .. primicerius ecclesie Sancti Marci de Venetiis Castellane diocesis dicens se canonicum Tervisinum et in postulatione ipsa fuisse contemptum postulationi contradixit eidem. Eodem vero capitulo proponente quod, cum dictus primicerius tunc non esset canonicus Tervisinus nec de diocesi Tervisino nec alias etiam sua quomodolibet interesset, opponere se postulationi hujusmodi non poterat, nec debebat, negotium hujusmodi extitit ad sedem apostolicam devolutum. Cumque super hoc coram bone memorie S. tituli Sancti Martini presbitero ac postmodum coram dilecto filio nostro J. Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinalibus in ipso negotio auditoribus deputatis fuisset inter partes diutius litigatum, demum idem primicerius hujusmodi contradictioni et liti cedens prefate postulationi consensit. Nos autem ad provisionem ejusdem ecclesie Tervisine sollicite intendentes te per aliquos ex fratribus nostris examinari fecimus diligenter et quia per examinationem hujusmodi fuisti repertus ydoneus more patris solliciti de statu ejusdem ecclesie Tervisine sedulo cogitantes et attendentes quod predicti capitulum et clerus ac populus Tervisinus postulationem predictam admitti cum instantia petierunt, considerantes quoque attentius quod sicut testimonio fide dignorum accepimus in commisse tibi Cenetensis ecclesie regimine prudenter ac utiliter te gessisti et digne sperantes quod salubri continuato proposito predictam Tervisinam ecclesiam laudabiliter et salubriter in spiritualibus et temporalibus gubernabis, postulationem eandem duximus admittendam et te tunc episcopum Cenetensem a vinculo quo eidem Cenetensi tenebaris ecclesie absolutum memorate ecclesie Tervisine de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum preficimus et pastorem, plenam tibi et liberam exhibentes licentiam te ad ejusdem Tervisine ecclesie regimen transferendi. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus —. Dat. Viterbii, XVII kalendas novembris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Tervisine.

In e. m. clero civitatis et diocesis Tervisine.

In e. m. populo civitatis et diocesis Tervisine.

In e. m. universis vassallis ecclesie Tervisine. — Dat. ut supra.

591 Saint-Pierre, 22 novembre 1279.

Electo Petragoricensi indulget quod archiepiscopus Burdegalensis vel quivis alius antistes catholicus associatis secum duobus vel tribus episcopis ipsi munus consecrationis impendere valeat. (Fol. 205; an II, n° 182.)

« *Dilecto filio Raymundo electo Petragoricensi.* Ea que juste desideras et ad tue consolationis cedunt solatium quantum cum Deo possumus favorabiliter exaudimus. Tuis itaque supplicationibus inclinati quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus Burdegalensis metropolitanus tuus vel quivis alius antistes catholicus gratiam et communionem apostolice sedis habens associatis secum duobus vel tribus episcopis catholicis gratiam et communionem ipsius sedis habentibus quos duxeris nominandos tibi qui presbiter esse diceris munus consecrationis impendere valeat auctoritate tibi presentium indulgemus. Volumus autem quod si ab alio quam a dicto metropolitano te reciperere consecrationem ipsam contigerit nullum per hoc ecclesie Burdegalensi, cujus ecclesia Petragoricensis suffraganea esse dinoscitur, in posterum prejudicium generetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X kalendas decembris, anno secundo. »

592 Saint-Pierre, 10 novembre 1279.

Episcopo Cenomannensi declarat quod juramentum ab eodem prestitum de statutis et consuetudinibus ecclesie Cenomannensis scriptis vel non scriptis observandis ad licita, honesta, possibilia et rationabilia tantum extendatur; eidem indulget ut si aliqua de predictis ignorans forsan non servaret propter hoc reatum perjurii non incurrat. (Fol. 205; an II, n° 183.)

« *Venerabili fratri Johanni episcopo Cenomanensi.* Meritis tue devotionis inducimur ut quod a nobis suppliciter postulas ad exauditionis gratiam quantum cum Deo possumus favorabiliter admittamus. Exposuisti siquidem nobis quod in Cenomanensi ecclesia de consuetudine observatur quod Cenomanenses episcopi cum primo ad ecclesiam ipsam accedunt inibi nullatenus admittuntur nisi juraverint statuta et consuetudines ejusdem ecclesie

scripta vel non scripta inviolabiliter observare. Quare tu dubitans ne in generalitate hujusmodi cum statuta ipsa te ignorare asseras et forte inter ea sint aliqua irrationabilia, illicita, impossibilia vel etiam inhonesta occasione juramenti hujusmodi circa ipsa vel eorum aliqua in anime tue dispendium involvaris nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hoc de benignitate sedis apostolice curaremus. Nos itaque attendentes quod juramentum non fuit ut esset iniquitatis vinculum instituum volumus quod si sub forma predicta te jurare contigerit ad observanda licita, rationabilia, possibilia et honesta tua tantummodo intentio referatur, unde tuis supplicationibus inclinati et quieti tue consulere ac decentie debito in hac parte providere volentes declaramus quod juramentum, si quod pro predictis in generalitate predicta sub intentione hujusmodi te prestare contigerit, ad licita, honesta, possibilia et rationabilia tantummodo extendatur, teque ad alia per prestationem juramenti hujusmodi non teneri et tue saluti plenius precaventes auctoritate tibi presentium indulgemus ut si aliqua de predictis quantumcunque possibilia, licita, rationabilia vel honesta, quia forte ad tuam notitiam quod essent statuta ipsius ecclesie minime prevenisset, ignorans forsan non servares, propter hoc quousque sciveris ipsa esse ipsius ecclesie consuetudines vel statuta et si extunc ea juxta prescriptum modum servaris reatum perjurii non incurras. Nulli ergo nostre declarationis et concessionis, etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII idus novembris, anno secundo. »

593 Saint-Pierre, 9 décembre 1279.

Ecclesie Ragusine per mortem Salvii archiepiscopi vacanti, cum frater Marcus de Venetiis electus ante confirmationem mortuus sit, et capitulum, comes, consilium et commune civitatis Ragusine provisionem ejusdem ecclesie sedi apostolice per supplicatorias litteras commiserint, Philippum ejusdem ordinis professorem tunc executioni officii inquisitionis contra hereticos in marchia Tervisina insistentem preficit in archiepiscopum. (Fol. 205 v°, an II, n° 184; Potthast 21664.)

« *Dilecto filio electo Ragusino.* Militanti ecclesie disponente —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V idus decembris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Ragusine.
In e. m. clero civitatis et diocesis Ragusine.
In e. m. populo civitatis et diocesis Ragusine.
In e. m. universis episcopis suffraganeis ecclesie Ragusine. — Dat. ut supra.

594 Viterbe, 1er octobre 1279.

Infrascriptis mandat quatinus de criminibus Ysachii archimandrite, que petitione sua fratres Nyfus de Sancto Leone, Pafnutius Nifus de Ducio et Leontius monachi monasterii Sancti Salvatoris de Lingua Messanensis ordinis Sancti Basilii denuntiarunt, veritatem diligenter inquirant et si ipsis videatur archimandritam citare curent ut infra duos menses apostolico conspectui se representet. (Fol. 206; an. II, n° 185; Potthast 21647.)

« *Dilectis filiis .. priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ordinum Messanensium.* Sicut dilecti filii —. Dat. Viterbii, kalendis octobris, anno secundo. »

595 Saint-Pierre, 12 décembre 1279.

Electionem de Herveo in ecclesia Venetensi a majore et saniore parte capituli factam, de qua jam tempore Gregorii pape decimi litigatum fuit, confirmat. (Fol. 206 v°; an II, n° 186.)

« *Herveo episcopo Venetensi.* Dudum Venetensis ecclesia per mortem bone memorie Guidonis episcopi Venetensis pastoris solatio destituta, tu tunc cantor ipsius ecclesie ac ceteri personatus et dignitates inibi obtinentes ac alii canonici ejusdem ecclesie qui eratis decem et septem numero die ad hoc prefixa convenientes in unum ac volentes procedere per viam scrutinii ad provisionem faciendam ipsi ecclesie de prelato quatuor de vestro collegio fidedignos, scilicet Yvonem thesaurarium, Guillelmum de Loco Sancte Marie, Tierricum Conleu et Guillelmum dictum senescalcum canonicos ecclesie supradicte ad scrutandum vota cunctorum juxta formam generalis concilii assumpsistis. Sane predictis quatuor sua et omnium aliorum dicti collegii vota fideliter scrutantibus et publicantibus in communi compertum extitit quod magister Radulphus de Rodel scolasticus ejusdem ecclesie et octo ex predictis canonicis suos in te consensus direxerant, sex ex ceteris supradictis in quondam magistrum Gaufridum dictum infantem tunc viventem canonicum ecclesie memorate, reliquis vero duobus in duos alios singulariter dirigentibus vota sua neque collatione prehabita diligenti dictus scolasticus vice sua et de mandato omnium aliorum qui ut premittitur in te consenserant te canonice elegit in episcopum Venetensem, prefati autem sex eundem Gaufridum minus canonice ad ipsius ecclesie regimen elegerunt. Causa igitur que hujusmodi electionum occasione inter te et dictum Gaufridum orta extitit ad sedem apostolicam devoluta felicis recordationis Gregorius papa

decimus predecessor noster in ea bone memorie S. tituli Sancti Martini presbiterum cardinalem concessit partibus auditorem, coram quo hinc inde oblatis libellis ac lite in eadem causa legitime contestata et de veritate dicenda prestito a partibus juramento factisque positionibus et responsionibus subsecutis ac formatis quibusdam articulis super ipsis ab eodem cardinali una cum interrogatoriis partium sub suo sigillo certis executoribus illarum partium destinatis testes utrinque perducti auctoritate litterarum dicti predecessoris recepti fuerunt, et postmodum tam eodem predecessore quam dicto cardinali rebus humanis exemptis pie memorie Johannes papa vigesimus unus predecessor noster dilectum filium nostrum G. tituli Sancti Marci presbiterum cardinalem auditorem in causa hujusmodi deputavit et demum cum jam esset coram eo in causa ipsa conclusum prelibatus magister Gaufridus debitum nature persolvit nec prefati electores ipsius Gaufridi neque aliquis alius ex canonicis Venetensibus post ejusdem Gaufridi obitum causam ipsam contra te prosequi voluerunt, facta itaque nobis in fratrum nostrorum presentia ab eodem G. cardinali de processibus coram eo et prefato S. cardinali habitis in causa predicta relatione fideli, nos habito super hiis cum eisdem fratribus diligenti tractatu, quia predictam electionem de te factam invenimus fuisse a majori et saniori parte capituli ecclesie predicte de persona ydonea canonice celebratam nec constitit quod tibi aliquid obsisteret de canonicis institutis electionem ipsam de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica confirmantes te prefecimus eidem ecclesie in episcopum et pastorem, tibique consecrationis munus nostris manibus duximus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes —. Dat. Rome apud sanctum Petrum, II idus decembris, anno secundo. »

In e. m. capitulo ecclesie Venetensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Venetensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Venetensis.
In e. m. nobili viro Johanni duci Britannie. — Dat. ut supra.

596 Saint-Pierre, 22 décembre 1279.

Episcopo Argentinensi mandat quatinus de rixa quadam inter decanum ecclesie in Surburg et Hartungum de Hagenowe laicum, qui a nepotibus ejusdem decani interfectus est, veritatem diligenter inquirat, et si narrationem decani veram esse invenerit, denuntiet eundem nullam ex hoc irregularitatis maculam contraxisse. (Fol. 207 v°; an. II, n° 187.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Argentinensi.* Sua nobis dilectus filius Nicolaus presbiter decanus ecclesie in Surburg tue diocesis lator presentium petitione monuit quod cum ipse olim pro sedandis inimicitiis capitalibus inter quosdam nepotes suos ex parte una et quondam Artungum de Agenowe laicum ex altera diabolo procurante subortis ad oppidum Hagenowe personaliter accessisset et ad domum cujusdam consanguinei sui a quo fuerat ad prandium invitatus pergeret, prefatus Hartungus, quem licet inimicum nepotum suorum esse sciret eum tamen inimicum non reputabat neque credebat, dicto decano obviavit a casu et eo ad instar Jude proditoris Domini primitus salutato in ipsum extracto cultello irruit hostiliter, ei duo gravia vulnera inferendo. Cumque prefatus decanus ut imminentis mortis posset evitare periculum sese et laicum ipsum luctando, cum essent in loco alto, in lutum quod erat inferius dejecisset, nepotes ejusdem decani, quorum unus erat presens, alius vero a casu supervenerat, hoc percepto eundem H. occidere conabantur, quod tamen ab ipso decano prohibiti non fecerunt. Sane predictus H., quem dictus decanus per crines ne amplius lederetur ab ipso tenebat cuique ipsius decani nepotes ne ab eo amplius lederetur cultellum cum quo eum volebat occidere abstulerant violenter, alium cultellum quem penes se occultaverat extraxisset, ipsumque vice tertia quasi letaliter vulnerasset, et eo taliter derelicto exinde recederet, iidem nepotes credentes ipsum decanum mortuum dictum Hartungum qui unum ex eis ad mortem vulneraverat insecuti miserabiliter occiderunt, ipso decano qui sic vulneratus in luto jacebat ad hoc et alias non dante opem vel operam, consilium seu juramen super quo, ne quis emulus aliquid ob hoc in ipsum detractionis impingat, supplicavit humiliter sibi per sedem apostolicam salutari consilio provideri. Quia vero de facto et facti circumstantiis tu habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super hiis diligentius veritate si rem inveneris ita esse et aliud canonicum non obsistat, denunties eundem decanum nullam ex hoc irregularitatis maculam contraxisse. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XI kalendas januarii, anno secundo. »

597 Saint-Pierre, 22 décembre 1279.

Infrascriptis per magistrum Nicolinum de Camilla canonicum Ebroicensem capellanum suum examinatis tabellionatus officium concedit. (Fol. 208; an. II, n° 188.)

« *Petro Cincii Grossi de Monte civi Romano.* Ne con-

tractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XI kalendas januarii, anno secundo. »

In e. m. pro Johanne dicto de Villagusana clerico in minoribus ordinibus constituto, Lingonensis diocesis.

In e. m. pro Vitali Deidron, clerico Vasatensi in minoribus, etc.

In e. m. pro Radulpho de Augham clerico in minoribus, etc. Macloviensis diocesis.

In e. m. pro Girardo Agarni clerico in minoribus, etc. Ruthenensis diocesis.

In e. m. pro Guillelmo de Somerdeby clerico in minoribus, etc. Lincolniensis diocesis.

In e. m. pro Eadmundo dicto de Verduno clerico Cantuariensi in minoribus, etc. — Dat. ut supra.

598 Saint-Pierre, 23 décembre 1279.

Episcopo Firmano sedis apostolice legato mandat quatinus de electione Wlstoberii canonici in ecclesia Gnesnensi facta veritatem diligenter inquirat, et eam si nihil obstiterit auctoritate apostolica confirmet, atque eidem electo archiepiscopo, si dignus sit, munus consecrationis impendat. (Fol. 208 ; an. II, n° 189, Potthast 21666.)

« *Philippo episcopo Firmano, apostolice sedis legato.* Que de statu immo casu miserabili Gnesnensis ecclesie ac populi christiani partium illarum tue necnon dilectorum filiorum ... prepositi, .. decani et capituli ejusdem ecclesie ac quorundam prelatorum partium earundem littere misse nuper lamentabiliter referebant nobis et fratribus nostris amaritudinis presentavere materiam et accelerandam gratiose provisionis misericordiam implorabant. Habet enim litterarum ipsarum assertio quod eadem Gnesnensis ecclesia, que diu antea pastore vacarat et nunc per mortem bone memorie Martini de ordine Predicatorum, quem in archiepiscopum eidem preferamus ecclesie, vacare dinoscitur, tam per tyrampnidem paganorum fidem persequentium christianam quam per temeritates et insolentias plurium aliorum non solum in suis bonis et juribus gravibus est attrita molestiis et deducta in paupertatis opprobrium, sed et in personis populi, pastoris ejusdem ecclesie cure commissi, enormibus est convulsa dispendiis, non sine fidei ejusdem injuria et gravi proh dolor periculo animarum, cum sicut eedem littere continebant diebus istis preter numerosam stragem hominum, quos paganorum ipsorum crudelitas inhumana peremit, multitudinem copiosam juvenum dicti populi eorundem paganorum violentia fidem eandem abnegare coegerit et pertraxerit ad gentilitatis errorem. Habebat insuper earundem litterarum adjectio quod dicti prepositus, decanus et capitulum post obitum prefati archiepiscopi pro futuri substitutione pastoris, sicut moris est, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Wlstoberium canonicum Gnesnensem, virum utique providum et discretum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in Gnesnensem archiepiscopum canonice ac concorditer elegerunt, nuntiis ad tuam presentiam destinatis, primo ad excusandam dicti electi absentiam et commissionem hujusmodi negotii a te in illis partibus impetrandam, et demum ad petendam confirmationem electionis ipsius : sed tu, cum nondum partes illas intrasses, variis et arduis in regno Ungarie occupatus, nec comode presertim absque periculo incumbentium sollicitudini tue in regno predicto ipsius negotii vacare posses examini, eligens apostolice sedi deferre, ad illam dictum negotium remisisti, humiliter supplicans illud celeriter expediri, ad id eorundem prelatorum prepositi, decani et capituli devota supplicationis instantia memoratis inserta litteris concurrente. Nos itaque, predictis ecclesie ac populo pio compatientes affectu, ac intenso desiderio affectantes ut persona ydonea celeriter ad ipsius ecclesie regimen assumatur, per cujus industriam possit eidem populo salubriter subveniri, gerentes quoque de tua circumspectione fiduciam, de ipsorum fratrum consilio fraternitati tue presentium auctoritate commitimus quatinus inquisita per te vel per alium seu alios de modo hujusmodi electionis studiis eligentium et electi meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneris canonice de persona ydonea celebratam, eam auctoritate nostra confirmes; si vero in eadem electione defectum inveneris, propter quem de jure cassanda sit eadem electio, vel nulla forsitam nuntianda, tu electionem ipsam, prout justum fuerit, cassare seu nullam studeas nuntiare; ac nichilominus si personam prefati Wlstoberii fore ydoneam reppereris tantoque honori ac oneri congruentem, et utilitati ejusdem ecclesie videris expedire, ipsum dummodo nullus super hoc se opponat, predicte Gnesnensi ecclesie preficias eadem auctoritate in archiepiscopum et pastorem, ac deinde ascitis duobus vel tribus episcopis, dicto W. munus consecrationis impendas ; alioquin dictam electionem, prout jus exegerit, rite casses vel eam cassam et irritam nuntiare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X kalendas januarii, pontificatus nostri anno secundo. »

599 Saint-Pierre, 22 décembre 1279.

Archiepiscopo Lugdunensi mandat quatinus de morte laici

cujusdam, familiaris Petri Rostagni presbiteri, veritatem diligenter inquirat, et si narrationem presbiteri ejusdem veram esse invenerit, eum denuntiet propter premissa nullam irregularitatis maculam contraxisse. (Fol. 208 v° ; an II, n° 190.)

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Lugdunensi.* Sua nobis dilectus filius Petrus Rostagni presbiter rector ecclesie de Balan tue diocesis petitione monuit quod ipse olim dum quadam nocte ad urinandum pergeret et deambulando per domum propriam invenisset quemdam baculum quem quandoque portabat in manu, cum quo etiam lectus aptabatur ipsius, preter ejus voluntatem in igne appositum exinde baculum ipsum extraxit et in quodam angulo domus ubi nullum videbat nec erat locus tali hora solitus ab aliquo frequentari projecit. Sane quidam laicus ipsius presbiteri familiaris domesticus et specialis amicus dispensator et claviger domus sue exinde transitum faciens ictum de projecto baculo suscepit in capite ita quod fuit aliquantulum non tamen letaliter vulneratus et licet vulnus hujusmodi nulla mortis signa pretenderet esseque habile ad sanandum prefatus tamen laicus tanquam fatuus nec adire cirurgicum nec a nocivis abstinere curavit. Sicque superveniente alia egritudine post dies aliquot debitum nature exolvit, memorato presbitero ad hoc non dante alias opem vel operam, consilium seu favorem. Quare ne quis emulus aliquid ob hoc in ipsum detractionis impingat supplicavit humiliter sibi per sedem apostolicam salutari consilio provideri. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super hiis diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, denunties eundem presbiterum propter premisse nullam irregularitatis maculam contraxisse, dummodo aliud canonicum non obsistat. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XI kalendas januarii, pontificatus nostri anno secundo. »

600 Saint-Pierre, 9 juin 1279.

Ecclesie Sorane A. tunc canonicum Reatinum et capellanum J. Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis preficit in episcopum. (Fol. 209 ; an II, n° 191.)

« *Venerabili fratri A. episcopo Sorano.* In supreme dignitatis specula — Sane dudum Sorana ecclesia per translationem venerabilis fratris nostri .. Reatini tunc Sorani episcopi ad ecclesiam Reatinam pastore vacante, capitulum ejusdem ecclesie Sorane pro futuri substitutione pastoris prout moris est convenerunt in unum et tandem iidem per viam compromissi procedere ad electionem hujusmodi eligentes in dilectos filios Thomam et Petrum abbates canonicos ejusdem ecclesie Sorane compromittere unanimiter et concorditer curaverunt, promittentes illum recipere in episcopum quem ipsi ducerent eligendum. Dicti vero canonici hujusmodi compromisso recepto secedentes in partem deliberatione habita diligenti in te tunc canonicum Reatinum et capellanum dilecti filii nostri J. Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis eligendum in Soranum episcopum suum unanimem direxerunt consensum et mox prefatus Petrus vice sua et ejusdem T. capitulo prefatis presentibus te postulando elegit et eligendo postulavit in Soranum episcopum et pastorem. Tandem vero dicti capitulum per dilectos filios Leonardum Egitium et Rixardum canonicos ejusdem ecclesie nuntios eorum nobis decretum postulationis et electionis hujusmodi presentarunt, humiliter postulantes ut dignaremur electionem hujusmodi confirmare, nos itaque per venerabilem fratrem .. episcopum Albanensem et dilectos filios nostros A. tituli Sancte Praxedis presbiterum et G. Sancti Georgii diaconum cardinales decretum hujusmodi examinari fecimus diligenter et quia iidem prout ex ipsorum relatione fideli suscepimus electionem hujusmodi invenerunt canonice de persona ydonea celebratam ipsam de fratrum nostrorum consilio confirmantes te quem nobis et fratribus nostris de competenti litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium et temporalium providentia et ad Romanam ecclesiam devotione sincera familiaris experientia dinoscitur approbasse ipsi ecclesie Sorane de eorundem fratrum consilio prefecimus in episcopum et pastorem tibique postmodum nostris manibus munus consecrationis duximus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V idus junii, anno secundo. »

In e. m. dilectis filiis capitulo et clero Soranis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Sorani. — Dat. ut supra.

FIN DES LETTRES COMMUNES DE LA DEUXIÈME ANNÉE.

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM CURIE SECUNDI ANNI

DOMINI NICOLAI PAPE TERTII

---

601 Saint-Pierre, 6 février 1279.

Bertoldo de filiis Ursi mandat quatinus castra, terras et jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia in partibus Romaniole contra diversas personas defendat, et si necesse fuerit. recuperare procuret. (Fol. 214 ; an II, Curiales, nº 1.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio nobili viro Bertoldo de filiis Ursi civi Romano, totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis, comitatus Brettenorii et pertinentiarum eorundem rectori salutem et apostolicam benedictionem.* Significasti nobis quod aliqua castra, terras, juridictiones et jura in Romaniole partibus constituta que creduntur ecclesie Romane pleni juris jurisdictionis existere, aliqui prelati et alie persone ecclesiastice et etiam seculares illarum partium ex privilegiorum concessione ac alias etiam diversis modis et causis petunt ac sibi deberi asserunt et occupare propria auctoritate presumunt, et aliqui ex eis illa detinent occupata. Quare in hac parte tue sollicitudinis diligentiam commendantes ut certius, utilius et decentius in hac parte procedas, volumus quod si tu castra et alia predicta tenes illa retineas et conserves, vel si non tenes et credantur ipsius ecclesie juris existere, illa sollicite recuperare procures, et quia diebus istis potissime in regiminis tui primordiis ecclesie predicta jura sic intendimus clare distinguere et equo libramine solidare, quod aliorum indebite non ledantur petentes castra et alia supradicta et alios de quorum manibus illa recuperari contigerit, si petitionibus vel alias murmurationibus forsan insisterent, ad nos remittere poteris, a nobis complementum justitie dante Domino recepturos, predicendo eis quod omnia munimenta quibus hec sibi competere asserent, nobis studeant presentare, et si quod absit castra et alia predicta vel eorum aliqua recuperare non posses, id seriosius scribas nobis, de juribus curie tam circa ea que retines quam alia que recuperabis et que ut predicitur recuperare non posses inquisita et comperta super hiis diligentius veritate nos diligentius, clarius et apertius informando ut a te distincte, plene ac diligenter instructi melius quod faciendum extiterit discernamus. Inhibens nichilominus auctoritate nostra sub certa pena prelatis et aliis supradictis, et specialiter comitibus, baronibus, potestatibus, capitaneis, communitatibus, universitatibus aliisque personis partium earundem de quibus expedire videris, ne premissa occupare vel detinentibus aut occupantibus seu attemptantibus similia, cum id displiceret nobis quamplurimum assistere quoquomodo presumant, et per venerabilem fratrem nostrum L. Ostiensem et Velletrensem episcopum apostolice sedis legatum, cui super hoc scribimus, id procures similiter inhiberi. Si vero castra et alia memorati seu quecumque alia partium predictarum non credantur ecclesie predicte juris existere, sed ab aliis que super hiis mutuo se impeterent postulentur, facias super hiis prout ad tuum spectat officium justitie debitum observari, sic in hiis et aliis provide processurus quod possimus exinde providentie tue studium merito commendare. — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII idus februarii pontificatus nostri, anno secundo. »

602 Saint-Pierre, 6 février 1279.

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo mandat quatinus Bertoldo de filiis Ursi in executione predicti officii diligenter auxiliari procuret. (Fol. 214; an II, Curiales, n° 2.)

« *Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato.* Scribimus inter alia — Expedit ergo quod ad inhibitionem ipsam spiritualiter et temporaliter prompta discretione procedas, ut que aguntur melius et securius dante Domino prosperentur. Dat. ut supra. »

603 Saint-Pierre, 6 mars 1279.

Capitulo Neucastrensi mandat quatinus de omnibus bonis ad episcopatum Neucastrensem spectantibus inventarium facientes ea custodire curent futuro episcopo vel alio, prout sedes apostolica mandaverit assignanda. (Fol. 214 v°; an II, Curiales, n° 3.)

« *Dilectis filiis capitulo Neucastrensi.* Eterni patris immensa benignitas nos ad ministerium apostolice servitutis attollens oculis nostris hanc precipue vigilantiam intente speculationis indicit ut circumspicientes undique quam inter fluctivagos mundi concursus regimus navem Petri cui sumus licet immeriti successores si quid appareret in ipsa fragile vel infirmum adversus tempestuosos impetus salutari remedio muniamus. Dudum siquidem intellecto quod Robertus, qui pro Neucastrensi episcopo se gerebat, symoniacum habuerat ingressum, bona Neucastrensis ecclesie dilapidabat et enormiter consumebat quodque incontinentie vitio laborabat et super hiis ac aliis gravibus et enormimibus excessibus erat publice diffamatus, ipsum auctoritate litterarum nostrarum citari fecimus ut coram nobis certo termino personaliter compareret, prout premissorum qualitas exigeret, recepturus et nichilominus omni alienationis genere interdicto sicut in eisdem litteris plenius continetur. Eodem itaque Roberto coram nobis licet post prefixum sibi terminum personaliter comparente super premissis tam per nos quam per alios ex fratribus nostris incepimus inquirere diligenter, et tandem idem Robertus in nostris manibus libere honori et honeri cessit spontaneus ne forsan pelleretur invitus. Nos autem cessionem hujusmodi admictentes ac intendentes quod eidem ecclesie, quam inspicimus conquassatam dispendiis, provide dante Domino consulatur provisionem ecclesie predicte hac vice apostolica plenitudine potestatis nobis duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si secus a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Inhibuimus quoque districtius ne aliquis cum predicto Roberto de cetero super quibuscunque bonis ecclesie predicte contrahat vel quivis contractus a quoquam quomodolibet inhiatur. Hec igitur ad vestram notitiam deducentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus per vos vel per aliquos ex vobis ad hoc ydoneos de omnibus bonis mobilibus et immobilibus ad episcopatum Neucastrensem spectantibus inventarium cum ea sollempnitate qua convenit facientes quicquid de predictis bonis est penes vos vel haberi poterit omnes etiam fructus, redditus et proventus episcopatus predicti jam collectos et colligendos recipientes ad manus vestras, bona predicta et fructus ac redditus et proventus omnia quoque et singla que vos recipere ut predicitur de predictis vel habere contigerit cum summa diligentia custodire curetis futuro Neucastrensi episcopo vel alii aut aliis prout mandaverimus assignanda, provisuri attentius quod hujusmodi reservatione nostra pendente ad electionem vel postulationem aliquam pro substitutione futuri episcopi nullatenus procedatis, facientes de inventario hujusmodi et hiis que taliter receperitis confici publica instrumenta, illa nobis fideliter transmissuri ac rescripturi nobis per vestras litteras harum seriem continentes custodie modum quem in premissis adhibueritis et quicquid duxeritis faciendum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II nonas martii, anno secundo. »

604 Saint-Pierre, 29 mai 1279

De reformatione pacis inter partes Bononienses et de regimine ejusdem civitatis infrascripta articula sicut arbiter et amicabilis compositor ac etiam sicut civitatis predicte dominus temporalis ordinat et diffinit. (Fol. 214 v°; an II, Curiales, n° 4; Potthast 21588.)

« *Nicolaus, etc. Ad perpetuam rei memoriam. Constitutio facta per eundem dominum N... super reformatione pacis Bononiensis, et aliis prout in littera continetur.* Commisse nobis a Domino sollicitudinis onus viscera nostra multipliciter inquietat, cum ecclesie Romane fideles et filios varia deprimi perplexitate conspicimus, ipsorum statu diversarum procellarum turbine fluctuante. Dum vero ad singulas regiones cogitatus nostros extendimus, civitatem Bononiensem nostram et ipsius ecclesie specialem mentaneis oculis intuemur, ad illam afficimur et ejus incolas in memoria retinemus. Ipsa quidem civitas inter alias ytalicas speciali prerogativa fecunda viros eminentis scientie, viros alti consilii, viros prepollentes dignitatibus et virtutibus precellentes solet ab antiqua propagatione quasi naturali producere, ipsa

veluti fons irriguus scientiarum dulcedinem scaturit et suavi licore reficit sitientes ac illos ejus amenitas allicit etiam a remotis. In ipsam viri mittuntur electi, et ex ipsa viri proveniunt fructus laudabiles efferentes, sicut preterita indicant et in eorum quampluribus hodie testimonialis evidentia manifestat. Digne igitur in sue quietis plenitudine delectamur, digne querimus ut prosperis semper amplietur augmentis et in vigore persistat solide caritatis, nec indigne sollicitudinis apostolice partes apponimus ut sui famosi nominis nequeat obnubilari serenitas neque sui status prosperitas laceretur in aliquo vel dispendiose tangatur, cum ejus quies longe lateque per orbem diffundatur in alios et per illam fluctuationes abeant grassantium malignorum, et si, quod absit, inibi turbationes odiose vigerent, talis turbatio non solum circumvicinas sed remotas etiam provincias odiorum anfractibus concitaret. Profecto hec non immerito infra claustrum nostre memorie revolventes, frequenter abolim illa se nostris obtutibus presentabant et rememorando civitatis ejusdem gesta magnifica pungebamur aculeis in guerrarum discriminibus, que dicta civitas et ejus incole diutius pertulerunt, et quibus odiosis concertationibus quassabantur; quid miri, si nos afficiebat anxietas, dum in tam ameno viridario flores videbamus arescere, qui solebant per universa mundi climata reflorere? quid, si more custodis excitabamur vigiliis, dum remediis pensabamus occurrere ne decideret ejus amenitas, in qua fructus uberes excrescebant? quid, si tam preclaris filiis compatiebamur ab intimis, dum illorum percipiebamus animos consternatos, quorum magnanimitas per exemplum aliis predicatur. Certe circa hec angebamur intrinsecus, dum infra nostra precordia resultabant, et tandem nobis preter humana studia, que hiis solerter adjecimus, expectantibus ex alto consilium, operatus est Dominus, qui scisa vulnera clementie sue miseratione consolidat et potenter abolet cicatrices et sollicitudinibus nostris manum sue propitiationis apponens, sic civium eorundem succensa corda linivit, quod ad sedem apostolicam civitatis ejusdem certis ambassatoribus et nuntiis destinatis, super litibus et questionibus et differentiis et discordiis, que essent et verterentur et esse possent inter commune et partem Geremensium de Bononia et ejus districtu, qui tunc in civitate et districtu predictis commorabantur et tenebant eandem, et universitatis ipsius partis ex una parte et parte Lambertaciorum exteriorum de civitate et districtu prefatis, et universitatem dicte partis ex altera, occasione guerrarum habitarum inter dictas partes propter dejectionem factam de dicta parte Lambertaciorum de civitate ac comitatu Bononiensibus, occasione quoque dampnorum, injuriarum et maleficiorum factorum per dictas partes et inter dictas partes sibi adinvicem, et in specialibus preliis et generalibus et aliis quibuscunque occasionibus, modis vel causis per Antolinum de Mansolinis doctorem legum et Liazerium de Liazariis judicem eorundem communis et partis Geremensium et Spavolum abbatis doctorem legum, Contem de Budrio judicem ac Mazolum de Mazis partis Lambertatiorum predicte, speciales procuratores et syndicos partium earundem sufficientia mandata pro premissis habentes in nos extitit tanquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem alte et basse sub certa pena concorditer compromissum, ita quod super predictis et super adjacentiis et pertinentiis et spectantibus ad premissa et quodlibet premissorum, et eorum accessoriis possimus et nobis licitum sit sententiare, diffinire et ordinare, statuere, decernere, dicere, precipere, mandare et arbitrari, prout et quando et quotiens nobis placuerit, et de nostra processerit voluntate, semel et pluries, totaliter et in parte, simul et divisim, diebus feriatis et non feriatis, partibus presentibus et absentibus, una parte presente et altera absente, juris ordine servato vel non servato, ac corrigere, emendare, interpretari et declarare ac mutare, que per nos ordinata et statuta fuerint sive dicta inter predictos et alios quocunque nomine censeantur et cujuscunque conditionis existant, et nichilominus dicti procuratores et syndici similiter compromittentes in nos dederunt et concesserunt nobis nomine dictarum partium liberum et generale arbitrium et arbitratum in predictis et quolibet predictorum et pertinentibus ac spectantibus ad predicta, nobis partes predictas et homines dictarum partium alte et basse ac plenarie supponentes ad promittendum et dandum obsides, munitiones et castra et fidejussores, et securitates ad mandatum et voluntatem nostram super omnibus et singulis in hujusmodi compromisso contentis, et prout de hujusmodi mandato semel et pluries et quotiescunque processerit, prout in instrumentis publicis inde confectis plenius continetur. Nos autem, compromisso ipso recepto, ad tante concordie comoda ferventibus studiis intendentes, venerabilem fratrem nostrum L. Ostiensem et Velletrensem episcopum, Apostolice Sedis legatum, ad partes illas propter hoc inter alia duximus tamquam pacis angelum destinandum; sed quia effectus optate concordie ultra concepta desideria trahebatur, de quiete ac statu prospero ipsorum civitatis et civium tractatus per nos ipsos assumpsimus et per alios etiam super hiis apud sedem apostolicam tractari fecimus diligenter et tandem ad premissa eo ferventius studia nostra convertimus, illa-

que sensibus nostris infiximus, quanto iidem civitas et incole ad nos et eandem ecclesiam dinoscuntur specialius pertinere ac ipsorum statum pacificum desiderabilius affectamus, sicque negotio ipso et illud contingentibus plene discussis et super hiis deliberatione habita diligenti, ad laudem Dei pro bono pacis et quiete dissidentium tam apostolica quam arbitraria potestate, sicut arbiter, arbitrator et amicabilis compositor in hac parte, ac etiam sicut civitatis predicte dominus temporalis, ordinamus, diffinimus, statuimus, decernimus, dicimus, precipimus, mandamus et etiam arbitramur.

Ius. In primis ut hesitantium corda diutius prohdolor! odiorum fomitibus concitata reconciliationis licore placentur et facilius animorum integritas perfusione superne gratie subsequatur, quod infra unum mensem, postquam per nos ad ipsius civitatis regimen deputanda persona civitatem eandem intraverit et hujusmodi regimen inceperit exercere, de parte ad partem fiat pax solida generalis per syndicos ad hoc a partibus specialiter ordinatos. Que quidem pax primo per sindicos ipsos juretur, et subsequenter facta per eosdem sindicos injuriarum et dampnorum usque in diem compromissi facti in nos hinc et inde remissione plenaria et etiam generali, ita tamen quod hec remissio ad bona immobilia et etiam mobilia extantia, que mobilia non sint inedificata, affissa, immissa vel injuncta, quinquaginta persone de parte qualibet eligantur, per personam deputandam a nobis ad hoc, que nomine partium earundem pacem ad invicem faciant, quam bona fide promittant et jurent, quantum in eis est, per se ac alios inviolabiliter observare et facere observari. Fiat quoque pax integra singularium personarum, de quibus nobis expedire videbitur, vallanda juramentis et aliis firmitatibus, prout per nos vel alium de mandato nostro extiterit ordinatum.

IIus. Ad easdem quidem partes, que diutius dissidiosis dispendiis languerunt, compassionis animum convertentes, ut quanto nos sibi benigniores invenerint tanto dulcius cicacitres vulnerum solidentur, et quies
Fol. 216. utrinque liberius in gratiarum refectione concrescat, omnes sententias sive banna, contumatias per quoscunque prolata, occasione partis a tempore rumoris, ut eorum verbis utamur, bonorum quoque publicationes per quoscunque factas, et quicquid secutum est ex eis vel ob id auctoritate simili relaxamus, cassamus et etiam irritamus, ac volumus de cetero nullius existere firmitatis. Condempnationes autem pecuniarias, que facte dicuntur per quondam Guillelmum de Pisterula, tunc potestatem Bononiensem, tempore predicti rumoris, quia de ipsis condempnationibus et modis earum nobis non liquet ad presens, nostro arbitrio reservamus. Si qua autem statuta, mandata, sententie vel processus habita sunt in predictis, per venerabilem fratrem nostrum L. Ostiensem et Velletrensem episcopum, Apostolice Sedis legatum, vel per dilectum filium nobilem virum Bertoldum de Filiis Ursi civem Romanum, totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis, comitatus Brettenorii et pertinentiarum eorundem rectorem, illa et eorum effectum nostre providentie reservamus.

Et quia pax ipsa, dante Domino, discordiarum ra- IIIus.
dicibus extirpatis, majori radificabitur firmitate ac prosperitate virescet, odiosis refricationibus scissuram ulterius non passura, volumus et arbitrando precipimus quod omnia bona immobilia et mobilia extantia, que mobilia non sint inedificata, immissa, affissa vel injuncta, seu jura qualitercunque per quoscunque et a quibuscunque occasione partium vel discordiarum a tempore mote guerre inveniuntur occupata, saisita (*sic*), subtracta vel disforsiata sive detenta restituantur generaliter et singulariter hinc et inde, sicut habebantur tempore exitus partis Lambertaciorum infra terminum deputandum per nos vel alium, cui hoc duxerimus committendum, ita tamen quod hec restitutio ad contractus legitime factos de libera contrahentium voluntate nullatenus extendatur.

Volumus quoque, precipimus et ordinamus quod IIIIus.
Bononienses extrinseci civitatem ipsam et ejus districtum, postquam generalis pax de parte ad partem, ut predicitur, extiterit consumata, intrare, in ipsis habitare ac degere, et extunc tam extrinseci quam extrinseci bona sua excolere, illisque uti de cetero sicut cives Bononienses et re et nomine nominatim libere valeant et horum pacifica possessione gaudere, exceptis illis quantum ad ingressum civitatis de parte Lambertaciorum, quos ex certis causis, pro quiete civitatis ejusdem ad tempus extra civitatem ipsam in locis vel loco per nos deputandis aut deputando manere providerimus per nos vel alium, prout de locis vel loco aut tempore hujusmodi duxerimus ordinandum.

Ceterum ut novelli pacis surculi delectabili amenitate concrescant et nullis illos ventis plicantibus sub diligenti custode virescant et cujuslibet suspitionis sublatis eventibus caritativis connexibus saltem in istis primordiis radicentur, et eadem connexitate refloreant odoris gratiam simul, ut idem per omnia percepturi, non minus utile quam necessarium fore providimus, quod regimen eorundem civitatis et districtus pro anno proximo futuro vel majori tempore, prout qualitati negotii expedire viderimus, exerceatur per aliquam personam deputandam a nobis, que regimen ipsum gerens fideliter statuto, ordinamento vel reformatione aliqua

factis hactenus contra partem aliquam vel occasione partis aut alias etiam obviantibus juri et equitati, seu per que aliquis innocens personaliter vel realiter pretextu alicujus privilegii vel statuti aliquibus per commune concessi contra justitiam puniretur, quomodolibet non ligetur vel regimen ipsum impediatur in aliquo sed potius statuta, ordinamenta et reformationem hujusmodi taliter facta vel facienda, immo presumpta vel presumenda, ne ex eis provenire possit scintilla odii vel rancoris, cassamus et irritamus omnino et volumus quod pro cassis de cetero habeantur. Per hoc autem non intendimus quod eadem per nos ad ipsum regimen deputanda persona non juret illa servare statuta et consuetudines alias approbatas, que juri consona et in equitate fundata, ac inibi facta vel facienda tam ibidem quam in aliis civitatibus et locis Ytalie ad statum prosperum populorum, quietem civitatum et locorum eorundem consueverunt pacifice observari, sed illa per eam jurari volumus et servari quatenus equa fuerint paci ac presenti ordinationi nostre non repugnantia, nec dominio nostro et ecclesie Romane obsistentia vel obviantia ecclesiastice libertati. Et quia nemo tenetur in aliorum servitiis propriis stipendiis militare, dictam personam per nos ad ipsum regimen ut predicitur deputandam, quinque judices, VII notarios, tres socios et decentem familiam regimen hujusmodi prosequendo habere volentes, ei pro se, judicibus, notariis, sociis et familiaribus supradictis, pro uno anno computando, a festo beati Petri proxime futuro computando, septem milium librarum Bononien. salarium percipiendum ab ea de bonis communis Bononiensis deputamus. Habeat quoque XL berruarios pedites in expensis communis ejusdem, silicet ad salarium trium libr. Bononien. parvorum, singulis mensibus pro quolibet; qui berruarii non computentur in ordinata vel ordinanda familia potestatis; nec volumus quod pro eo quod dictum regimen pro pacifico statu civitatis et civium Bononiensium, ut predicitur, ad tempus nobis assumimus, ipsis Bononien. in eorum privilegiis, juribus et consuetudinibus circa electionem vel aliam provisionem ipsius regiminis, prout eis de jure, privilegio vel consuetudine competit, in futurum aliquod prejudicium quantum ad possessionem vel proprietatem quomodolibet generetur, sed ad eos, postquam prefatum regimen dimiserimus, electio et provisio hujusmodi, sicut habuerant hactenus et eis alias de jure competere poterat, libere revertatur.

Preterea ut manus presidentis in patria firmioribus vallata subsidiis pro communi pace civitatis ipsius et partium vicinarum possit gubernare pacificos et, cum expedit, refrenare rebelles, et ut tantum commune bonum, quod pro communi utilitate civitatis ipsius et totius provincie Romaniole non sine multa providentia ordinatur, sicut ejus comodum communiter sentietur ab omnibus, sic et ejus onus communiter supportetur, et ne si totum imponeretur Bononien. onus hujusmodi assererent se gravatos, nec deceret quod qui tantum bonum cum aliis partiuntur onus ipsi soli portarent, precipimus, ordinamus et volumus quod trecenti milites vel armati equites et plures, sicut nobis videbitur expedire, tam per ipsos Bononienses quam per alios de Romaniola stipendientur communiter, secundum modum contributionis de ipsis stipendiis faciende per nos vel per alium, cui hoc duxerimus committendum. Quos vel rectori provincie vel futuro potestati Bononiensi deputari proponimus, prout quieti civitatis et utilitati patrie predictarum ac subjectarum earundem viderimus expedire.

Ordinamus insuper et volumus quod reformatio consiliariorum et aliorum officialium civitatis ejusdem fiat de communi consensu partium earundem, si infra terminum per nos vel alium, cui hoc commiserimus, prefigendum talis possit haberi consensus : alioquin ipsam reformationem et modum ipsius nobis plene reservamus exercendam per nos vel alium, cui duxerimus commictendam.

Verum quedam societas esse dicitur in civitate predicta, que societas Crucis inibi nominatur, circa cujus conditiones et merita nec minus ejus effectum proponimus maturius ad quietem eorundem civitatis et civium cogitare, ut exinde prosperitatis commoda, dante Domino, subsequantur; et ideo provisionem omnimodam societatis hujusmodi et eam contingentium nobis specialiter reservamus, volentes et expresse mandantes quod Orlandinus Passagerii seu quivis alius de capitania, rectoria vel quovis alio officio sive administratione ipsius capitanie, quocunque nomine censeatur, se interim nullatenus intromictant, donec super hoc per nos aliter provisum extiterit et etiam ordinatum. Statuta quoque societatis ipsius vel ejus occasione a communi facta et effectus eorum suspendentes ad presens, ipsorum moderationem, correctionem et abrogationem nobis, prout expedire viderimus, reservamus : ad quod videlicet circa ordinationem societatis ipsius et ordinationem de ipsa societate, utrum scilicet vel qualiter debeat remanere, et in quibus personis videlicet de hiis, qui nunc sunt in societate predicta vel esse dicuntur, aut alias tam de ipsis et aliis sub modis et formis, de quibus secundum Deum tranquillitati civitatis ejusdem expedire viderimus, prout nobis ministrabit Altissimus, intendemus. Fol. 217.

Porro sicut nostre sollicitudinis studium nos previdere compellit et frequenter audivimus ac interdum

experimento didicimus, societates et conventicula seu conjurationes illicite in civitatibus unitatum pariunt sectiones et per hoc status variatur earundem; unde futuris periculis, que possent ex hoc in civitate ipsa contingere, obviare volentes, ut inibi vere unitatis integritas conservetur, ordinamus, precipimus et mandamus quod nulle de cetero in predicta civitate societates seu conjurationes aut alia conventicula, quocunque nomine censeantur, ibidem erigi vel creari valeant aut assumi, nec ipsa vel earum alique aut alie quovis titulo instituta sive instituenda armorum exercitiis, unde consueverunt scandala provenire, se ingerant quomodolibet vel congregent in communi absque mandato potestatis ponende per nos, ut predicitur, civitatis ejusdem vel sine ipsius licentia speciali.

Ad majorem vero premissorum omnium firmitatem volumus et arbitrando precipimus quod castrum Sancti Petri et castrum Francum ac alia, de quibus expedire viderimus, castra in manibus nostris vel aliorum de mandato nostro in communibus expensis ipsorum Bononiensium taxandis per nos vel alium, cui hoc duxerimus committendum, custodienda tradantur, infra predictum festum Sancti Petri restituenda in posterum Bononiensibus supradictis, prout et quando viderimus expedire.

Similiter quoque ab utraque parte obsides, quos quot et quando petiverimus, nobis assignari precipimus, in expensis communis Bononiensis taxandis per nos vel alium, cui hoc duxerimus committendum, in locis vel loco, de quibus vel quo expedire viderimus, si eos receperimus custodiendos, et etiam retinendos usque ad nostre beneplacitum voluntatis, sperantes quod hiis omnibus, eterno patre prosperante, civitas ipsa quietis incrementa suscipiet, et nos in illa delectabiliter juxta nostra desideria, expiatis quibuslibet turbinum odiis, quiescamus.

Ut igitur contra premissa vel horum aliquod, que servari volumus, venientes culpe qualitas pene mucrone percellat, preter penam quinquaginta milium marcarum argenti a parte parti sollempni stipulatione promissam, cujus pene medietas parti observanti, et reliqua medietas Romane ecclesie debet solvi, refectionis quoque dampnorum et expensarum litis et extra, ad quam penam partem non servantem solvendam ut premittitur condempnamus exnunc, qua soluta vel non, ac dampnis et expensis restitutis vel non predicta omnia nichilominus in sua remaneant firmitate, in omnes predictam pacem, quantum in eis fuerit, non recipientes aut non facientes aut ipsam frangentes, seu quomodolibet violantes, vel quominus ipsa fiat seu servetur impedientes, et in non exhibentes obsides et castra, ut predicitur, ac impedientes assignationem eorundem, in non recipientes quoque potestatem, per nos inibi statuendam juxta ordinationem premissam, vel quantum in ipsis fuerit hoc impedientes, Bononienses quoque tam intrinsecos quam extrinsecos civitatis et districtus ejusdem in non parentes precepto, ordinationi et voluntati nostris super exhibitione stipendiariorum sic mature pro communi omnium illarum partium utilitate provisa vel hoc impedientes, in omnes quoque non parentes voluntati, precepto et ordinationi nostris, set obsistentes predicte ordinationi nostre, quominus Bononienses extrinseci civitatem ipsam et ejus districtum intrare, in ipsis habitare ac degere ac exnunc tam intrinseci quam extrinseci bona sua excolere, illisque uti decetero, sicut superius est expressum. Preterea in omnes contra reservationem ordinationis, omnimode moderationis, correctionis et abrogationis per nos faciendarum circa conditiones et merita nec minus effectum societatis, que dicitur societas Crucis, in civitate predicta et suspensionem statutorum societatis ipsius, sicut superius est expressum, venire temere presumentes, ac in habentes et non restituentes, si possibilitatem habeant bona predicta, juxta ordinationis, arbitrii et precepti nostri tenorem excommunicationis sententiam promulgamus. Si vero commune predictum premissa et eorum singula non servaverit, illud omnibus juribus, jurisdictionibus, privilegiis, libertatibus, districtu vel comitatu privamus et volumus quod ea omnia extunc ad Romanam ecclesiam libere devolvantur, et nichilominus commune predictum propter hoc ecclesiastico subjaceat interdicto. Singulares etiam persone, cujuscunque conditionis aut status extiterint, in premissis et eorum quolibet delinquentes, potestariis et aliis publicis officiis etiam si sint doctores legum, judices aut notarii simili auctoritate privamus ac eorum filii et nepotes descendentes ab ipsis omnium beneficiorum ecclesiasticorum, si qua obtinent, privationem poterunt non immerito formidare, et quod reddantur inhabiles ad illa vel alia alterius obtinenda : medietatem quoque omnium bonorum taliter delinquentis extunc eidem ecclesie nichilominus confiscamus. Quod si, quod absit, ipsum commune seu aliqua partium in premissis inobediens forsan extiterit, volumus quod commune predicte civitatis et pars hujusmodi, ac eorum bona pro expensis, que contra commune seu partem rebellem propter hoc fieri contigerit, obligari possint per eandem ecclesiam ad expensas hujusmodi restaurandas. Reservamus quoque nobis expresse in hiis omnibus et quolibet premissorum, quacunque fuerint apostolica vel dominica seu arbitraria potestate fulcita, ordinandi, diffiniendi, sta-

tuendi, decernendi, dicendi, precipiendi, mandandi, arbitrandi, corrigendi, emendandi, interpretandi, declarandi, addendi et mutandi, quotiens et quando nobis expedire videbitur, plenariam potestatem. Nulli ergo etc. nostre ordinationis, diffinitionis, reservationis, constitutionis et provisionis, mandatique precepti, arbitratus et arbitrii etc. Si quis autem etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII kal. junii, anno secundo. »

605 Saint-Pierre, 13 juin 1279.

Episcopo Firmano apostolice sedis legato mandat quatinus de magistri Johannis, preposito Budensis, in archiepiscopum Colocensem, electi meritis veritatem diligenter inquirat, et si electionem canonice celebratam invenerit, eam confirmet atque electo munus consecrationis impendat. (Fol. 117 v°; an II, Curiales, n° 5; Potthast 21610.)

« *Venerabili fratri .. episcopo Firmano apostolice sedis legato.* Detulit ad nos —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, idibus junii, anno secundo. »

606 Soriano, 12 juillet 1279.

Infrascriptis mandat quatinus cantoriam ecclesie Morinensis, per mortem magistri Nicolai dicti de thesauro, capellani sui vacantem alicui de canonicis ejusdem ecclesie providere curent. (Fol 118; an II, Curiales, n° 6; Potthast 21625.)

« *Dilectis filiis Raymundo electo Petragoricensi et antiquiori Predicatorum in actu regendi ac Minorum ordinum magistris Parisius regentibus in theologica facultate.* Licet cantorie ecclesie Morinensis —. Dat. Suriani, IV idus julii, anno secundo. »

607 Saint-Pierre, 9 décembre 1279.

Regi Ungarie significat, se iterum Philippum episcopum Firmanum, apostolice sedis legatum, ad regnum ipsius destinare; ejusdem regis inconstantiam vituperat et ei mandat quatinus legato humiliter acquiescens diligenter corrigat que contra promissiones suas et causam Christi commiserit. (Fol. 218; an II, Curiales, n° 7; Potthast 21663.)

« *Regi Ungarie illustri spiritum consilii sanioris.* Militantis ecclesie pater eternus proprium filium Jesum Christum, preter quod nemo aliud ponere potest, posuit fundamentum. Ad cujus ecclesie regimen voluit Christi clementia Romanum pontificem vice sui deputari ministrum ut ejus fidem, instructionem atque doctrinam eloquii veritates evangelice traditas, cuncti renati fonte baptismatis teneant et observent. Qui enim sub hac fide laudabiliter cursus vite peregerint Salvatoris gratiam merebuntur, et qui ab ipsa declinaverint sunt damnationis eterne sententia feriendi. Hoc itaque ministerium apostolice servitutis exposcit hoc sollicitudo nostra requirit, et ad hoc continuis vigiliis anxiamur potissime ut fides ipsa ubilibet servetur et vigeat, submotis quibuslibet nubibus, clare reluceat et effundat et singulos illam profitentibus libere suos radios claritatis, nec minus pro ecclesiastica libertate servanda curis quotidianis insistimus et quietem querimus fidelium populorum, in hiis pastoralis officii debitum exolventes. Unde non indigne de tua regnique tui salute more patris solliciti cogitantes, ab olim intellectis tumultuosibus motibus dicti regni et seditiosis tumultibus incolarum illius, qui per dissidia simultatum alterutrum dissidebant et mutuis congressibus collidebantur immaniter; que quidem dono pacis postposito regale solium graviter deprimebant, ejusque depresso regimine non solum in regno ipso vastabantur bona fidelium sed jura ecclesiarum et aliorum piorum locorum diripiebantur enormiter, et libertatem ecclesiasticam insolentia dampnabiliter conculcabant; animarum quoque subsequebantur deploranda pericula, nephanda personarum excidia et alia fere innumera detrimenta, nos versimiliter hesitantes ne ex hiis fidem ipsam vacillare, libertatem eandem et justitiam conculcari ac errores schismaticos pullulare contingeret, licet consideraremus interdum, si concurrisset cum possibilitate decentia, nostram ibidem exhibere presentiam ut circa hec presentialiter studia nostra versando apud Deum et Patrem retributorem omnium in sic gratis et acceptis obsequiis mereremur, tua culmina preservaremus a fluctibus et tam te quam dicti regni populum presentialibus reficeremus affatibus, et exhibitionibus spiritualium gratiarum; quia tamen id non patiebatur nostra conditio nec emergentium undique negotiorum immensitas permittebat, venerabilem fratrem nostrum Philippum episcopum Firmanum apostolice sedis legatum, de cujus industria, circumspectione provida et fidei puritate confidimus, ad partes illas, tanquam pacis angelum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, ut personam nostram prelatis tibi ac aliis illarum partium catholicis et aliis presentaret, et que Deo placitura dictoque regno ad salutem profutura et ad Christiane fidei ac tui status fulcimenta pertinere cognosceret, auctoritate nostra munitus impleret. Utinam in hac parte nostris desideriis satisfiat!

Profecto te affectibus paternis alloquimur et tibi nostre mentis aperimus intrinseca ut de patris pectore

colligas quod tue prosperitatis commoda querimus et in tuis successibus prosperis delectamur; devota quoque horum attentione percipias quod tue salutis zelatores, existimus nec omittimus actus tuos dirigere precibus interdum linire commonitis et ad te, cum expedit, correctionis paterne virgam extendere; ac illa feriente a te indecentia queque prorsus excutere, ut illis expiatis munde reniteas Deo Patri et nobis filius presenteris electus, et exultent corda fidelium in lumine vultus tui, tuque prospere procedens et regnans tandem participationem eterne glorie merearis, et si qua forsan ex nostris eloquiis amara colligeres, tenere te volumus quod ex amoris dulcedine talis amaritudo procedit et finaliter a te grate percepta dulcescet.

Licet itaque in primo ipsius legati progressu displicuerit nobis et merito quod, sicut audivimus, tu ejus reformidans adventum et ingressum forsitan dubitans, illum dicebaris quod invite referimus impedire; cum non deceret de patre filium dubitare nec opinari seu debere presumere quod Romana mater ecclesia que munifica singulis non solum filios benedictionis grate complectitur et dulcedinis lactat uberibus, verum etiam oberrantibus, ut neminem sue relinquat benignitatis expertem, potius mansuetudinis sinum pandit ad gratiam, quam in illos judicium exerceat ultionis in te seviens quicquam tibi nocivum transmitteret, vel celsitudini regie ac regno predicto quod in memoria nostra tenemus acceptum, quod Christi ministros producit electos et viros religione fecundos, inclitos catholice fidei professores, et in quo degit catholicus populus mandatorum Domini sectator eximius, peregrinationibus, penitentiis et aliis piis vacans operibus, prout in pluribus experimur, fomenta negaret propinare salutis, tamen resumpsimus in mente letitiam, gratanter audito quod tu postmodum ingressu dicti legati percepto, te ipsius inductionibus et salutaribus monitis regali mansuetudine conformasti et animum tuum ad omnipotentem Dominum ut videbatur devote concurrens, dicta tibi per eundem legatum tam super observatione fidei ac decretorum et consuetudinum progenitorum tuorum et conservatione libertatis ecclesiastice, quam hereticorum expulsione de regno predicto servare ac in terris tuis servari facere super altare tactis Evangeliis promisisti; quodque ipsius legati monita super liberatione Christianorum, quos Cumani et alii pagani sub servitute tenebant, benigne recolligens quod Christianos a Cumanorum obsequiis retraheres, quod compelleres Cumanos ad habitandum in domibus solo fixis, et ex eis baptizatos potissime ad destructionem cogeres idolorum, nullum etiam infidelem vel quem scires excommunicatione ligatum in officialem regium vel familiarem admitteres; quod tam in te quam in illis de regno tuo dimisso paganorum abusu resumeres Christianorum habitum tam in vestibus quam capillis; Cumanos insuper restituere monasteria et ecclesias, occupata per ipsos ac apostatas dicti regni ad ordines redire compelleres, cum ab eorum prelatis existeres requisitus et quedam alia directionem regni et salutem continentia status tui coram ligno crucis solemniter in altari primo et iterum regia fide data Ungarico more jurasti. Et dum expectaretur quod in hujusmodi proposito salutari concresceres, predicta sic promissa pluries et jurata per te non fuerunt, proh dolor, ut sperabatur impleta : quamquam Cumanorum nuntii certos recepissent et approbassent articulos, uno excepto, videlicet de barbis radendis et crinibus breviandis, ad quod te, prelatis et baronibus regni predicti eundem legatum inducentibus, tu eidem legato quod cetera alia servari faceres promisisti, coronam et regnum tua propter hoc specialiter obligando. Et postmodum pro eo quod premissa que promiseras et juraveras, ut predicitur, adimplere distuleras, te graviter deliquisse humili spiritu recognoscens iterum cum obligatione simili per manum dexteram regia fide data Ungarico more similiter et denuo te excommunicatum et regnum tuum propter hoc juste interdicto fuisse suppositum recognoscens tactis sacrosanctis evangeliis jurasti, et renuntiando appellationibus, exceptionibus et impugnationibus quibuslibet, promisisti etiam implere per omnia supradicta.

Sed nec hiis non sine nota tui nominis, prout decuit, observatis miramur et mirando tibi compatimur et compatiendo dolemus quod te famam regalis nominis reprehensive inconstantie, in principe maxime, lacerari remorsibus negligente ac in vetita toties, non sine Dei offensa et inconstantia notabili, relabente, predicta sic per te jurata toties et promissa et obligationibus roborata, ne dicamus contempta, reperiuntur omissa et demum audito quod te improvide appellationis refugio immo potius diffugio commiseras, et pretextu appellationis hujusmodi quasi baculo harundineo incautus inherens non solum legato non parebas eidem sed te ipsum necnon et alios ab ejus prelatorum sibi adherentiam obedientia, non absque note macula, interdum comminationibus, inductionibus interdum penarum inflictionibus retrahebas; in eo potissime tanto graviori dolore perpungimur et anxiamur angustia quanto incautius super his te ipsum, animam et regnum tua diceris involvisse, unde progredi videris in devium et, nisi resilias, in ruinam.

Nos itaque more pastoris de commisso nobis grege dominico et salute tua, juxta officii nostri debitum, ne

videamur in te ac regno predicto negligere quod in catholicis christianis amamus sedulo cogitantes, ac licet nondum ad nos ex parte tua super prosecutione appellationis hujusmodi nuncii seu procuratores tui venerint, premissis absque intermissione temporis occurrentes, te, ne sub talibus nubibus cespitando precipites, pastoris ministerio non adjutus, ad tuam et regni tui salutem sub spe summi Patris promptis adhibitis studiis prevenimus.

Attende igitur, rex inclyte, cogita et resolve quo duceris et a quibus : quid postposueris et cui vel quibus inheseris. Attende te ipsum et vide quod dicitur, dum auditur quod regalis domus Ungarica que consuevit athletas Christi contra infideles producere ac insurgere ad reprimandam astutiam barbarorum, et que viros enutrivit electos catholice fidei professores, Deum et matrem Ecclesiam reverentes, cultores justitie, religionis Christiane servatores precipuos et piorum operum sedulos sectatores, tali et tanto quod ex premissis colligitur nephando contagio maculetur. Attende quod in presenti negotio agitur causa Christi, a quo non est appellationibus divertendum : nam ipse scrutator cordium judicat illos Deus. Quibus allegationibus te munies dum, ut dicitur, juramentorum et tot promissionum violator, maxime contra fidem, libertatem ecclesiasticam, in notoriis insuper, in eo etiam quod est tempore periturum, contra renuntiationem tuam ac salutem propriam sub pallio talis appellationis inobediens coram Christi vicario presentaris. Respuunt interdum in talibus appellationes nedum divina sed humana judicia. Quibus te poteris apud justum Judicem excusare suffragiis, dum salutem tuam et regalis nominis famam postposuisse sic diceris, et pateris quod sub tuo pretextu in regno sic catholico unde conscripta Sanctorum merita colit Ecclesia et fluctuet fides Christi. Quibus defensionibus poteris coram illo subsistere qui patiens et humilis miseretur, et commodat, et tandem provocatus ad iram mucrone dure sententie ferit et deprimit obsistentes?

Absit quod tu talibus contracteris insultibus. Absit quod tantum principem et sic electum regnum, sicque copiosam fidelium multitudinem periclitari nostro tempore videamus. — O quanta producimus et quam amara suspiria dum te ac dignum regnum, sic nobis cara, tantis videmus subjacere periculis! O quam profunde distrahimur dum astutias infidelium subtilius cogitamus et quanto languore diffundimur dum timemus nequitiam sitientium Christiani populi collidere veritatem. Nam ipsi scismatici tecum barbarico more luctantes tibi se ipsos seditiosa calliditate subjiciunt ut tandem sibi subjiciant tui nominis claritatem. Ad que divinam clementiam orationum suffragiis humiliter imploramus, ut dignetur ab oculis tuis omnem nubem excutere, per quam posset in te superioris luminis beneficium impediri, ut exclusa tenebrarum caligine, quid sis et ubi, quid agas quidque tuis merearis actibus tam exteriori quam interiori lumine contempleris. Et nichilominus illius vices gerentes in terris, qui pro ove deperdita ad flagella duci, clavis affigi et tandem mortem subire voluit, ut mortem nostram moriendo redimiret, et quas prothoplausti delicto meruimus miserias tolleret infernales, nos et fratres iidem, non solum in hiis adhibere que videbuntur opportuna remedia, sed nos ipsos etiam prout tenemur, pro conservatione catholice fidei, si expedierit, exhibere proponimus ut tuam et regni prefati salutem etiam si oportuerit non solum spiritualibus sed temporalibus correctionibus procuremus.

Et licet speremus in bonorum omnium directore quod ipse te reducet ad gratiam et diriget per suorum semitam mandatorum, si tamen, quod absit, in presenti varietate callesceres, firma fide tenemus quod nobis aderit ipse propitius et sua potentia prevalebit. Digne quoque confidimus sic prelatos, barones et populum regni prefati ad Deum et matrem Ecclesiam sincera devotione fervere et in divinis beneplacitis radicatos, quod non solum te in talibus non confoverent flagitiis sed zelo fidei et fervore Christiane religionis accensi potius in tuos actus reprobandos insurgerent pro conservanda gloria Redemptoris.

Exurge igitur per te ipsum et imbutus spiritu salutari mente consurge : animum tuum regali constantia et ad Creatorem tuum serena magnanimitate reforma; et illi pure ac simpliciter irrefragabili soliditate studiosius te conforma et ejus nutibus dirige actus tuos, a quo dependent omnium mors et vita. Exurge nec tepeas illius te beneplacitis humili spiritu devovere cujus est proprium misereri semper et parcere. Consurge fortis et prudenter audi verba quibus te Christi vicarius alloquitur. Illa sume sumptaque diligenter attende : nam te dante causam, deducunt ad verbera, ut te ipsum correctione paterna reformes nec avertas mansuetudinem matris ecclesie filium trahentis ad ubera, ut ipsum materna dulcedine liniat et reficiat gratia salutari. Et exurgens humiliter de tua vel cujusvis alterius contra Deum potentia non confidas, sicque faciens sicut catholicus Christianus, regalibus circumfultus virtutibus de quadam Deo placita necessitate virtutem et in dicto legato personam nostram devote contemplans, sicut nobis in predictis et aliis legato parere, pretextu cujusquam appellationis indebite vel incauti consilii non dimittas eidem : sed ei potius sic prompte ac humiliter acquiescas, promp-

titudine regali corrigas per te in hac parte commissa et plenitudine plena et intentione perfecta places Altissimum quod nos et dicti fratres per ipsius legati tuas, prelatorum et baronum regni prefati litteras et alias etiam obtata et Deo accepta gaudia cum efficaci et devota regali promptitudine de tuis actibus, dante Domino, velociter colligamus : ipse quoque pius pater tibi placatus arrideat, solium et regnum predicta solidet, dirigat et reformet ac te dictumque regnum ubertate fecundet tuque progenitorum tuorum sequens clara vestigia, quolibet nubilo fugato, reluceas et plene percipiens nominis divini flagrantiam et efficacius ad amorem ejus allectus ad dona celestis gratie valeas tanquam benedictionis filius pervenire, nec cogamur quod faceremus invite circa hec alia remedia cogitare. Dat. Rome apud S. Petrum, V idus decembris, anno II. »

608 Saint-Pierre, 9 décembre 1279.

Infrascriptis eadem significat. (Fol. 220 v°; an II, Curiales, n° 8; Potthast 21663.)

« *Nicolaus, etc. Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et ministris, guardianis et custodibus ac capitulis et conventibus Cisterciensis, Sancti Benedicti, Premontratensis, Predicatorum et fratrum Minorum ac aliorum ordinum et universo clero necnon hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, militie Templi et Sancte Marie Theotonicorum magistris, preceptoribus et fratribus per regnum Ungarie constitutis, venerabili fratri nostro Philippo episcopo Firmano apostolice sedis legato in officio sibi commisse fideliter assistentibus. Salutem et apostolicam benedictionem.* Militantis, etc. ut in proxima superiori verbis competenter mutatis usque alia remedia cogitare. Verum quia sensibus nostris —. Dat. ut supra. »

In e. m. dilectis filis viris, ducibus, marchionibus, comitibus et baronibus ac universo populo Christi fidelibus per regnum Ungarie constitutis, venerabili fratri nostro Philippo episcopo Firmano apostolice sedis legato in commisso sibi officio fideliter assistentibus. Salutem et apostolicam benedictionem.

609 Saint-Pierre, 9 décembre 1279.

Episcopum Firmanum apostolice sedis legatum hortatur ut commissis sibi negotiis prudenter et viriliter insistat. (Fol. 220 v°; an II, Curiales, n° 9; Potthast 21660.)

« *Venerabili fratri Philippo episcopo Firmano apostolice sedis legato.* Tue devotionis et fidei claritas lucidis patet operibus accepta Deo et humanis laudibus attollenda. Sentimus enim quod exaltationem catholice fidei plenis affectibus diligis et ejus existis promotor sollicitus, non variabili mutatione rerum vel temporum nec alicujus nubilo turbinis in virum alterum permutandus propter quod, preter divine retributionis premium, apostolice sedis favorem et gratiam per ipsorum operum evidentiam meruisti Unde abolim non immerito de tue puritatis constantia confidentes ac de salute .. regis et regni Ungarie sedulo cogitantes dudum intellectis, tumultuosis motibus ipsius regni et seditiosis tumultibus incolarum, illius etc. ut in proxima verbis conpetenter mutatis usque remedia cogitare. Quocirca fraternitatem tuam presentibus excitamus quatinus tanquam vir magnanimus audaciam et vigorem assumens nulliusque timoris vel periculi consideratione vel sub colore appellationis frivole interposite vel interponende lentescens, commissis tibi negotiis prudenter insistas et illa in hiis maxime que exaltationem catholice fidei, conservationem libertatis ecclesiastice, salubrem statum regis et regni predictorum respiciant sub illius spe ac ducatu viriliter prosequaris qui sperantes in se nullatenus derelinquit et sub observantia mandatorum ejus in stadio hujus vite currentibus bravium glorie repromittit. Dat. ut supra. »

610 Saint-Pierre, 9 décembre 1279

Carolum, regem Sicilie, cujus filia regi Ungarie matrimonio conjuncta fuit, hortatur ut ad eundem regem litteras et nuntios dirigat, atque eum inducat ad acquiescendum dicto legato, eique prenuntiet quod, si remaneret inobediens, ad resistendum contra ipsum cum aliis catholicis mundi principibus pro fidei catholice ac libertatis ecclesiastice observatione christiane religionis debitum coartaret. (Fol. 221; an II, Curiales, n° 10; POTTHAST 21661.)

« *Carissimo in Christo C. regi Sicilie illustri.* In virtutem et decorem —. Dat. ut supra. »

In e. m. carissimo in Christo filio R. regi Romanorum illustri.

611 Saint-Pierre, 9 décembre 1279

Reginam Ungarie gratulatur quod pro fidei claritate servanda et libertatis ecclesiastice conservatione persistat, atque eam hortatur ut perseveret (Fol. 221 v°; an II, Curiales, n° 11; POTTHAST 21662.)

« *Carissime in Christo filie.. regine Ungarie illustri.* Paterna domus tua —. Dat..

Iste tres littere suprascripte fuerunt misse clause.

612 Saint-Pierre, 13 décembre 1279

Hac generali et in perpetuum valitura constitutione sancit ut omnes electi cathedralium vel regularium ecclesiarum, quorum electionum confirmationes vel infirmationes ad examen sedis apostolice deducit immediata subjectio vel appellatio interjecta devolvit, infra unum mensem post consensum vel post obtentam de ipsorum electione notitiam, ad sedem ipsam iter arripiant. (Fol. 221 v°; an II, Curiales, n° 12, POTTHAST 21665.)

Nicolaus etc. ad perpetuam rei memoriam. Constitutio facta per eundem dominum N. de electis personaliter ad curiam accedendis et aliis prout in Constitutione continetur.

Cupientes ecclesiarum vacationibus periculosis occurrere ac malignantium subterfugiis obviare, jam provisis remediis alia que patenter ipsa rerum experientia ad earum expeditionem indicavit utilia remedia experta subjungimus et quod felicis recordationis Gregorius papa X predecessor noster de electionibus presentandis electis ipsorum electorum petendo ac adhibendo consensu salubriter statuit in suo robore cum infra scripti temporis moderatione in presentandis electionibus permanere volentes, sed quod de trimestri tempore post consensum ad petendas confirmationes instituit quo ad illas que petuntur vel peti debent a sede apostolica temperantes, cum interdum aliquorum locorum vicinitas minus exigat aliquorum distantia prolixius tempus exposcat, hac generali et in perpetuum valitura constitutione sancimus ut omnes electi cathedralium vel regularium ecclesiarum, quorum electionum confirmationes vel infirmationes ad ipsius sedis examen deducit immediata subiectio vel appellatio interjecta devolvit infra unum mensem post consensum vel post obtentam de ipsorum electione notitiam, si eam debito tempore non contingeret presentari, ad sedem ipsam iter arripiant et extunc sive infra prescriptum mensem iter arripuerint, sive non absque fraude quantum cito comode poterunt locorum considerata distantia petituri suarum electionum confirmationes vel prosecuturi electiones suas quibus potuerint modis licitis comparere cum omnibus actis, juribus et munimentis suis et processus suos contingentibus coram nobis personaliter teneantur. Quod si post viginti dies post lapsum exqualitate locorum moderandi temporis expectati sive eligentes seu opponentes venerint sive non, personaliter comparere et suarum electionum confirmationem vel prosecutionem seu executionem petere, nulla justa causa interveniente, contempserint, de qua infra predictos xx dies proposita infra xv dies post tempus hujusmodi coram nobis vel alio seu aliis deputando vel deputandis a nobis si admittenda videbitur teneantur apud sedem ipsam facere plenam fidem nisi vel infra eosdem xx dies seu predictos xv eo casu tantum cum ad predictam causam propositam ut predicitur et admissam probandam concessi fuerint talia et tam verisimilia proponi contingeret que judicio presidentis electos ipsos ab infrascripta pena merito excusarent et propter quod forsitan videretur eidem ad predictam comparitionem tempus prolixius indulgendum. Insuper etiam eo casu quo ad personalem electorum comparitionem excusandam aliquam justam causam proponi contigerit vel admitti nisi tunc infra idem tempus justo impedimento cessante per procuratorem ad

premissa omnia sufficienter instructum et nichilominus ipsa causa cessante ut premittitur se personaliter presentarint, electiones de ipsis factas eo ipso viribus vacuantes ipsos omni jure si quod eis per electionem hujusmodi quesitum esset decernimus esse privatos. Electos vero qui se sine actis juribus et munimentis suis et processus suos contingentibus personaliter vel per procuratorem ut premittitur presentarint eos volumus ex contemptu constitutionis hujusmodi eo casu pena percelli ut pro exhibendis illis alibi quam apud sedem ipsam nisi ex justa causa non possint dilationem aliam obtinere. Ad hec ut diligens inquisitio super electionibus, eligentibus et electis ac aliis premissa contingentibus plena informatio possit haberi, quam informationem per procuratores qui ut plurimum constituuntur absentes et processus ignari cursus causarum non sentit de facili provenire, de ipsis electoribus, due persone ad minus super negotio ipso ut de electis premittitur sufficienter instructe quando electionem concordem esse contigerit infra idem tempus per capitulum in expensis de bonis ad prelatum ipsius ecclesie de cujus electione agitur pertinentibus si sint discreta alioquin de communibus vel per ipsum capitulum aliunde provisis. Si de ipsis discretis vel communibus tunc haberi non possent ad omnia instructi plenarie transmittantur. Si vero in discordia electio vel electiones ipse processerint due persone ad minus de parte qualibet cum sunt plures vel de parte electi cum electio una processerit in necessariis et moderatis expensis electorum, quas si electi exhibere contempserint nisi forsan ipsos facultatum impotentia pro qualitate negotii excusaret omni jure ipsis ex tali electione quesito priventur et quando unicus est electus cui aliquis vel aliqui se opponunt in expensis propriis eo casu tam opponens quam opponentes hujusmodi si duo tantum vel si plures duos ad minus ex ipsis opponentibus in expensis ipsorum opponentium plene ut dictum est cum actis et munimentis instructe compareant, ut per premissas personas vel negotium plenarie instrui vel sedes eadem valeat informari, an ecclesiarum utilitate pensata et aliis inspectis circumstantiis super habendis aliquibus probationibus seu quibuscunque aliis sit alibi facienda commissio vel equitate suadente partes potius apud sedem ipsam in probationibus et aliis sint artande. Ceterum si eligentes, electiones ipsas concorditer vel in discordia celebratas infra viii dies postquam comode poterunt electis presentare distulerint ipsos qui culpabiles in hoc extiterint quo ad se a processus prosecutione totaliter excludentes omnibus beneficiis suis que in ecclesia ipsa de cujus electione agitur obtinent per triennium continuum extunc inchoandum volumus eo ipso fore suspensos. Ad que si infra illud tempus propria se temeritate vel alio colore quesito ingesserint illis ipso jure perpetuo sint privati vel si personas instructas ut premittitur etiam si opponentes vel electi mittere vel venire seu expensas ministrare contempnant destinare neglexerint. Nisi eos capituli vel contradicentium paucitas seu alia justa et probabilis causa evidenter excuset, in quo casu procuratorem sufficienter instructum mittere et nichilominus causa cessante dictas personas dirigere teneantur et a totali quod ad se prosecutione processus et a proventuum beneficiorum que in ecclesia ipsa obtinent per triennium continuum perceptione priventur, opponentis vel opponentium cui unicus est electus contumatia simili pena plectenda nichilominus tamen in promissis casibus quibus eligentes vel opponentes quo ad se processus prosecutione privantur, electis per hoc in prosecutione juris sui nullum prejudicium generetur. Denique cum ad postulationem concordem vel discordem procedi contigerit et aliqui patientes in ordinibus vel etate defectum vel hiis similes postulentur non qui aliis ecclesiis alligati liberum non habeant sine nostra permissione volatum, circa quos taliter alligatos nichil de veteri juris observantia immutamus, postulatos hujusmodi et postulantes eosdem ea moderata discretione perstringimus ut eo salvo quod postulati hujusmodi nec suis postulationibus prestare consensum nec ut de electis dictum est exhibere expensas aliquibus teneantur sed postulantes ipsi concorditer vel discorditer expensas ipsas personis talibus subministrent, postulatos in veniendo si non dissenserint et postulantes in mittendo personas instructas ut in concordi vel discordi electione per omnia supra premittitur moderatio previsa constringat et negligentes statuta ibidem similis pena percellat. Nec per hoc quod de postulatis quo celeri ecclesiarum expeditione statuitur postulationes ipse minus dependere intelligantur a gratia quam antea dependebant. Porro in singulis casibus supradictis in recuperandis vel reddendis expensis eligentium, (electorum, postulantium et etiam postulati illud ser-

vari decernimus quod justum fuerit seu equitas canomun indicabit nulli ergo etc. nostre constitutionis etc. Si quis autem etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum idibus decembris pontificatus nostri anno secundo. »

613 Saint-Pierre, 5 février 1280

Decernit ut constitutio, superius scripta, que incipit « Cupientes », eo moderamine observetur, ut virtus ejus, prout ipsorum negotiorum status et qualitas patientur sic in veniendo, comparendo, expensas ministrando eligentes, electos, postulantes, postulatos ab eo tempore quo verisimiliter possit ad eos presentis constitutionis editio pervenire, omnes astringat. (Fol. 222 v°; an II, Curiales n° 13, POTTHAST 21676.)

Nicolaus etc. *Ad perpetuam rei memoriam.*

Constitutio per quam declaratur constitutio que incipit cupientes superius scripta.

« Quia leges et constitutiones —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis februarii pontificatus nostri anno tertio. »

FIN DES LETTRES CURIALES DE LA DEUXIÈME ANNÉE

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM TERTII ANNI NICOLAI PAPE TERTII

614 Saint-Pierre, 13 janvier 1280

Electionem in ecclesia Frisingensi de Frederico preposito ejusdem ecclesie factam confirmat; eique munus consecrationis impendit. (Fol. 228; an III, n° 1, POTTHAST 21668.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Frederico episcopo Frisingensi salutem et apostolicam benedictionem.* Inter nostre mentis — Dudum siquidem ecclesia Frisingensi pastoris solatio destituta capitulum ejusdem ecclesie die ad eligendum prefixa vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum, procedere ad electionem hujusmodi per viam scrutinii unanimiter consenserunt. Verum postea licet H. prepositus ecclesie Ysinensis ipsius ecclesie Frisingensis canonicus ne fieret electio nisi canonica et de persona digna et Emicho decanus Bambergensis ejusdem Frisingensis ecclesie canonicus proponens quod tu homicidii et symoniace labis et variis eras criminibus irretitus, ac offerens in conspectu dicti capituli, oblato juramento se credere hec vera esse et posse probare, subjungens etiam quod se non obligabat illa omnia probaturum sed ea que sibi sufficere viderentur, et ne in episcopum eligereris tam prepositus quam decanus predicti ad sedem apostolicam appellassent, nichilominus tamen postmodum iidem capitulum prepositus et decanus per eandem viam ad electionem hujusmodi procedentes magistros Henricum archidiaconum, Henricum prepositum Werdeppem et Wulfingum doctorem decretorum canonicos prefate ecclesie votorum suorum scrutantes eligere curaverunt, qui demum eorundem et sua vota secreta ut singillatim diligentius perscrutati mox scrutinium hujusmodi prefatis capitulo publicarunt. Et tandem ex dictis capitulo qui erunt viginti et quatuor numero quod sexdecim in te, quinque vero in eundem Emichonem, et idem Emicho ac unus alius de ipso capitulo in Rodolphum canonicum Augustensem cancellarium carissimi in Christo filii nostri.. regis Romanorum illustris, tuque in dictum Wulfingum direxeratis vota vestra comperto diligenti collatione premissa predictus prepositus Ysinensis tria et quatuor prefatum E. qui in ipsum. Otto vero decanus ecclesie prefate sua similiter, et quindecim canonicorum ejusdem ecclesie qui in personam tuam suum consensum direxerant vice te in Frisingensem episcopum elegerunt. Negotio igitur electionum hujusmodi ad sedem delato eandem magister Hermannus et Corradus ejusdem electores tui et Rodegerus sancti Andree Frisingensis ecclesiarum canonici ipsius E. procurator in nostra presentia constituti, nobis te presente decretum electionum hujusmodi presentarunt tandem H. et C. quod electionem de te celebratam dignaremur confirmare humiliter postulantibus supradictis prefatus N. non esse admittendam postulationem hujusmodi multipliciter affirmavit. Verum in disquirendo merita appellationis hujusmodi aliquibus videbatur quod pro eo quod dictus decanus Bambergensis, ut promittitur, antequam esset processum ad electionem aliquam contra te nominatim nonnulla crimina in genere sed non singulariter aut in specie expressit nullo licet oblato corporali prestito juramento, et subjunxit se illa credere vera et posse probare offerens se non omnia probaturum sed ea que sibi sufficere viderentur. Et ne in Frisingensem episcopum eligereris vocem appellationis emisit, constitutio felicis recordationis Gregorii pape predecessoris nostri super hoc edita in concilio Lugdunensi non erat usque quoque servata, sed in contrarium dicebatur quod prefata constitutio appellantes post factas non ante faciendas electiones ex sui forma perstringit, nec tanquam penalis ad preambulas appellationes poterat vel debebat extendi. Nos autem nubem dubitationis in hac parte volentes perpetua declarationis ministerio submovere, declaravimus declarando decrevimus in casu constitutionis ejusdem idem servandum esse per omnia in objectibus et appellationibus

contra personam sive ante electionem sive post, ubi contra certam et nominatam personam oppositiones fieri et appellationes contigerit interponi, et id circo ipsis opponentibus et eis adherentibus in objectis silentium imponentes cum alia non proponerent ad que admittendi essent vel viderentur admitti diligentius prefato examinato decreto, quia electionem de prefato E. invenimus minus canonice celebratam, ipsam de consilio fratrum nostrorum justitia exigente cassantes ac cassam et irritam nuntiantes, tuam electionem utpote inventam canonicam duximus confirmandam, ac te tunc predicte Frisingensis ecclesie prepositum prefecimus eidem ecclesie Frisingensi in episcopum et pastorem tibique postmodum munus nostris manibus consecrationis duximus impendendum firma spe fiduciaque concepta quod —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum idibus januarii pontificatus nostri anno tertio. »

In e. m. dilectis filiis capitulo ecclesie Frisingensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Frisingensis.

I. e. m. populo civitatis et diocesis Frisingensis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Frisingensis. Dat. ut supra.

615 Saint-Pierre, 27 décembre 1279

Petro de Castra clerico Bituricensi, per magistrum Nicolinum de Camilla canonicum Ebroicensem capellanum suum examinato, tabellionatus officium concedit. (Fol. 229; an III, nº 2.)

« *Dilecto filio Petro de Castra clerico in minoribus ordinibus constituto Bituricensis dioesis.* Ne contractuum memoria —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI kalendas januarii anno tertio. »

In e. m. pro Petro de Bifiunhe clerico Baionensi in minoribus ordinibus etc. Dat. ut supra.

In e. m. pro magistro Philippo de Castegnolis clerico in minoribus ordinibus etc. Albensis diocesis. Dat. ut supra.

616 Saint-Pierre, 31 janvier 1280

Abbati secularis ecclesie S. Salvatoris Alatrine mandat quatinus episcopum Verulanum, a capitulo pro vitio symonie et diversis criminibus graviter accusatum, citare procuret ut infra viginti dies post citationem personaliter coram papa compareat. (Fol. 229; an III, nº 3.)

« ..*Abbati secularis ecclesie Sancti Salvatoris Alatrine.* Ex parte dilectorum filiorum capituli ecclesie Verulane ad aures nostras clamosa insinuatione pervenit quod venerabilis frater noster Gregorius episcopus Verulanus a quo ad ejus subditos pro quibus defixit apud districtum judicem manus suas provenire honestatis et puritatis signa deberent tanquam sue salutis oblitus per vite insolentiam et actus nepharios illis exempla pernitiosa demonstrat sicut ea que percepimus littera nostra describit. Idem namque episcopus precipiti lubrice voluptatis arbitrio laxas committit habenas non considerato quam sit detestabile manus actus libidinosi co inquinatas sordibus sacris ministeriis immiscere, beneficia quoque ecclesiastica contulit ac duos ex nepotibus suis clericis pro quibus id caro et sanguis sibi precipue revelarat in ecclesia Sancti Benedicti de Frisinone sue diocesis recipi procuravit mediante vitio symonie. Nonnullas etiam ecclesias et capellas sibi subjectas calicibus argenteis libris et ornamentis ecclesiasticis que sunt divinis cultibus deputata cupiditate seductus temeritate propria et sine causa rationabili spoliavit et earum bona dilapidat enormiter et consumit, ex quo evenit quod earum ministris propter tenuitatem reddituum et calitium librorum et ornamentorum ipsorum carentiam in eis nolentibus immo nequeuntibus residere in illis divina depereunt ac ecclesie et capelle predicte debita honorificentia defraudantur, predictus etiam episcopus perjurii crimine irretitus ab ecclesiis pluribus sue civitatis et diocesis, nullo in eis impenso visitationis officio, procurationes recepit et recipit contra sacrorum canonum instituta et ea maxime super hoc edita per felicis recordationis Gregorium papam predecessorem nostrum in concilio Lugdunensi predictus insuper episcopus qui deberet potius ejusdem Verulane ecclesie sponse sue vacare decori, ac ejus comoda procurare proventus suos ecclesiasticos non divino sed affectu carnis allectus in munitiones et edificia consanguineorum suorum prodigali largitione convertit, faciendo de hujusmodi proventibus in civitate Verulana ad usum et utilitatem cujusdem nepotis sui erigi quandam turrim, cujus occasione idem nepos quodammodo erectus in superbiam quendam civem Verulanum presente dicto episcopo nequiter

interemit, sicque dictus episcopus ut homicidam ipsum a pena sibi decreta propter dictum homicidium preservaret communi dicte civitatis ac Romane ecclesie mitram auro pretiosis gemmis lapidibusque contextam necnon et paramenta pontificalia ad eandem ecclesiam Verulanam spectantia temere obligavit et alia etiam dictus episcopus committere non veretur que Deum offendunt et homines scandalizant. Quare predicti capitulum instanter et suppliciter petiverunt a nobis ut providere super premissis paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur volentes super hujusmodi criminibus super quibus iidem capitulum episcopum ipsum concorditer et constanter asserunt publice diffamatum scire ac inquirere veritatem ac nolentes premissa si vera sunt prout nec debemus conniventibus oculis pertransire, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus eundem episcopum ex parte nostra peremptorie citare procures ut infra viginti dies post citationem tuam personaliter compareat coram nobis facturus et recepturus super hoc quod justitia suadebit. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum II kalendas februarii anno tertio. »

617 Saint-Pierre, 23 janvier 1280

Roberto archidiacono Cantuariensi plenam concedit facultatem ut de bonis suis licite acquisitis libere testari valeat, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis sue dispensationi commissis et que non fuerint altaris sen altarium ecclesiarum ipsi commissarum ministerio, seu alicui speciali earundem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, necnon et quibuscunque bonis mobilibus ab ipso per ecclesiam seu ecclesiis licite acquisitis, pro decentibus et honestis expensis sui funeris et pro remuneratione illorum qui sibi viventi serviverunt, sive sint consanguinei, sive alii. (Fol. 229, v°; an III, n° 4).

« *Magistro Roberto archidiacono Cantuariensi.* Via presentis vite — Dat. Rome apud Sanctum Petrum X kalendas februarii anno tertio. »

618 Saint-Pierre, 30 janvier 1280

Archiepiscopo Consano pallium per Joannem Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem, prestito ab ipso Ecclesie Romane fidelitatis solito juramento, assignat. (Fol. 230; an III, n° 5.)

« *Venerabili fratri L. archiepiscopo Consano.* - Cum palleum insigne — Dat. Rome apud Sanctum Petrum III kalendas februarii anno tertio. »

619 Saint-Pierre, 13 janvier 1280

Infrascriptis mandat quatinus J. Tropensem episcopum, olim Cassanensis ecclesie usurpatorem, cujus gravia scelera Johannes Agrossillus, canonicus ecclesie Tropensis sedi apostolice nuper insinuavit, peremptorie citare procurent ut infra quinquaginta dies personaliter coram papa compareat. (Fol. 230; an III, n° 6; POTTHAST 21670.)

« *..Decano ecclesie Neucastrensis et.. guardiano ordinis fratrum Minorum de Monteleone Militensis diocesis.* Nuper dilecto filio — Dat. Rome apud Sanctum Petrum idibus januarii anno tertio. »

620 Saint-Pierre, 28 février 1279

Abbati de Crista Lingonensis diocesis et magistro Johanni de Villarisicco canonico Remensi mandat quatinus decanum et capitulum ecclesie Lingonensis moneant ac efficaciter inducere procurent quod prebendam quandam, amoto clerico Hugone, illicito ejusdem detentore Symoni de Calvomonte canonico ecclesie de Brissyo Tullensis diocesis assignant; atque eundem in Lingonensi ecclesia recipiant in canonicum et in fratrem. (Fol. 230 v°; an III, n° 7.)

« *Abbati de Crista Lingonensis diocesis et magistro Johanni de Villarisicco canonico Remensi.* Sua nobis magister Symon de Calvomonte canonicus ecclesia de Brissyo Tullensis diocesis petitione monuit quod cum nos olim abbati monasterii Sancti Remigii Remensis et...decano Cathalaunensis nostris sub certa forma dedissemus litteris in mandatis ut ipsi vel eorum alter per se vel per alium seu alios eundem Symonem in ecclesia Lingonensi auctoritate nostra recipi facerent in canonicum et in fratrem, sibique de prebenda, si qua in ipsa ecclesia tunc vacabat vel quamprimum ad id se facultas offerret, providere curarent. Contradictores. etc. usque compescendo. iidem abbas et decanus venerabilem fratrem nostrum G. episcopum et G. decanum et capitulum

Lingonense in eadem ecclesia Lingonensi, licet idem episcopus tunc ibidem presens non esset, auctoritate litterarum hujusmodi moneri fecerunt ut eundem Symonem infra certum temporis spatium in eadem ecclesia reciperent in canonicum et in fratrem. Alioquin certo termino quem ad hoc assignarunt eisdem per se vel per procuratorem ydoneum coram eis vel ipsorum altero comparerent, causam rationabilem quare hoc non tenerentur facere ostensuri eis nichilominus inhibentes, ne prebendam proximo in dicta Lingonensi ecclesia vacaturam que de jure nulli alii deberetur, conferre ac assignare alicui attemptarent, cum de illa intenderent dicto Symoni providere, nisi rationabilem causam ostenderent et probarent propter quam non esset de jure dicto Symoni hujusmodi provisio in prefata Lingonensi ecclesia facienda. Decreverunt insuper iidem executores irritum et inane quicquid contra inhibitionem hujusmodi et apostolici mandati tenorem super hiis contingerit attemptari. Cumque nec in termino nec post iidem episcopus et capitulum causam aliquam allegarent, quare id efficere non deberent, et postmodum quadam prebenda per mortem quondam magistri Johannis de Montemauri, canonici ejusdem ecclesie Lingonensis ibidem vacante que de jure nulli alii debebatur, prefati decanus et capitulum predictum Symonem ad illam in canonicum predicte Lingonensis ecclesie recipere pro sue voluntatis libito non curantes, immo contra inhibitionem predictam temere venientes, eandem prebendam Hugoni de Viengiis clerico nepoti memorati decani Lingonensis, de facto cum de jure nequiverint, contulerint, eumque in corporalem possessionem prebende induxerint ejusdem, quam dictus Hugo tali pretextu detinet occupatam fructus percipiens ex eadem, in elusionem mandati apostolici et dicti Symonis prejudicium et gravamen. Propter hec ac pro eo etiam quod prefati executores eandem prebendam sic de jure vacantem dicto Symoni, cui debebatur de jure, conferre non sine contemptu dicte sedis ab eo requisiti humiliter recusarunt, diverse appellationes fuerunt ad prefatam sedem pro parte ipsius Symonis interjecte. Ad hec Johannes officialis Lingonensis contra Nicolaum de fonte tabellionem clericum qui predictis appellationibus a procuratore dicti Symonis nomine ipsius ad nos emissis interfuit, pro eo duntaxat rancore concepto, quod super eisdem appellationibus publica confecerat instrumenta adjunctis sibi nonnullis aliis suis in hac parte complicibus, dictum tabellionem, dum de civitate Lingonensi ad quam pro confitiendis dictis instrumentis accesserat ad propria remearet, usque in villam Calvimontis extitit insecutus, ibique occasione hujusmodi nisus fuit ipsum falso confingens eum falsarium violenter capere carcerali. custodie mancipandum. Et quia opponentibus se sibi super hoc quibusdam hominibus dicte ville efficere id nequivit, idem officialis in predictam villam interdicti et tam in eundem Symonem quam in prefatum procuratorem suum excommunicationis sententias temeritate propria de facto cum de jure nequiverit promulgavit, ac easdem sententias facit sollempniter innovari. Sicque predictus Symon non nisi labores et expensas ex facta sibi a nobis in hac parte gratia reportavit. Ne igitur dictus Symon premissorum occasione predicte gratie frustretur effectu ac prefati executores de hujusmodi sua inobedientia, dicti vero decanus et capitulum Hugo officialis, ac alii de tante temeritatis excessu in contemptum dicte sedis commissis valeant gloriari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, amoto exinde dicto Hugone seu quolibet alio illicito detentore, de prebenda prefata eidem Symoni vel procuratori suo ejus nomine providentes, dictos decanum et capitulum quod prebendam eandem dicto Symoni seu procuratori suo cum fructibus ipsis assignent ipsumque seu procuratorem suum ejus nomine ad illam in dicta Lingonensi ecclesia recipiant in canonicum et in fratrem ex parte nostra monere ac efficaciter inducere procuretis. Quod si forsan hoc facere non curarent vel allegarent seu confingerent causas rationabiles propter quas vel vestra posset seu deberet provisio vel predictorum amotio impediri vel ipsi capitulum id facere non deberent, cum ex premissis verisimiliter presumatur, quod dictus Symon per adversariorum potentiam sive malitiam in partibus illis de facili gratie per nos sibi facte consequi non possit effectum, ipsos decanum et capitulum et Hugonem ac etiam executores et officialem predictos peremptorie citare curetis ut infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi per procuratores ydoneos et in negotii circumstantiis sufficienter instructos cum omnibus actis, juribus et munimentis suis compareant coram nobis, suam si habere crediderint prosecuturi justitiam ac facturi et recepturi super hiis quod ordo dictaverit rationis, seu pro sua inobedien-

tia, contumatia seu temeritate si apparuerit mandatis nostris plenarie parituri, cum omnino nostre voluntatis existat quod prefatus Symon, propter cujuslibet potentiam vel astutiam, seu malitiam effectu predicte gratie contra justitiam non fraudetur et nichilominus prefati decanus, officialis, Hugo et executores infra tres menses, predictos duos menses immediate sequentes, personaliter nostro se conspectui representent, nisi dicti procuratores quos miserint sic properaverint interim aliquam causam rationabilem ostendere coram nobis, quare a personali presentatione per nos merito debeant excusari, quod ante decursum predictorum trium mensium, super excusatione sua si eam admitti contigerit littere nostre obtineri valeant, et ad eos congruo tempore pervenire. Si vero decanus, capitulum ac Hugo predicti monitioni prefate et aliis predictis plene paruerint, vos nichilominus executores Hugonem, decanum et officialem eosdem pro excessu et inobedientia hujusmodi prout secundum Deum expedire videritis puniatis. Diem vero citationis et formam et quicquid super hiis duxeritis faciendum nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum v kalendas februarii anno tertio ».

621 Saint-Pierre, 27 mars, 1280

Cum Robertus comes Clarimontis contra prohibitionem sedis apostolice tribus torneamentis se immiscuerit, S. Dyonisii et S. Genovephe abbatibus mandat quatinus ab eodem juramento recepto quod se torneamentis non ingeret exhiberi sibi faciant ab eo quingentas libras Turonenses; in pios usus convertendas, ac imposita ipsi penitentia salutari (ad ecclesiam b. Marie Anitiensis perigrinatione), eundem auctoritate apostolica ab excommunicatione absolvant (Fol, 231 v°; an III, n° 8.)

« ..*Sancti Dyonisii in Francia et.. Sancte Genovephe Parisiensis monasteriorum abbatibus.* Ex parte nobilis viri Roberti comitis Clarimontis fuit propositum coram nobis quod cum per dilectum filium nostrum S. tituli Sancte Cecilie presbiterum cardinalem tunc in regno Francie legationis fungentem officio in favorem negotii terre sancte inhibitio sub certa forma facta extiterit de mandato sedis apostolice publica et sollempnis, ne quis ipsius regni miles se in eodem regno torneamentis ingeneret aut etiam extra regnum in illos qui secus agerent excommunicationis sententia promulgata ac idem comes a predicta excommunicationis sententia in quam pro eo noscitur incidisse, quod contra inhibitionem predictam in prefato regno duobus se torneamentis duxerat ingerendum, per ipsum legatum in forma ecclesie fuerit absolutus injuncto sibi sub debito prestiti juramenti quod torneamentis dicta prohibitione durante se nullatenus immisceret ipse nichilominus juvenili ductus calore tribus se torneamentis extra regnum predictum immiscuit memorata prohibitione minime revocata, propter quod dubium non extitit ipsum predictam excommunicationis incurrisse sententiam et alias nichilominus graviter excessisse. Quare predictus nobilis se in hiis non modicum deliquisse devota plenitudine recognoscens nobis humiliter supplicavit ut sibi providere super hiis de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos autem licet talis excessus tantusque excommunicationis contemptus nobis non indigne displiceat, attendentes tamen quod nobilis ipse de domo Francie qui viros catholicos et ecclesie Romane devotos producere consuevit traxit originem, sic ad eum virgam correctionis extendimus quod in nobis non paterni rigoris judicium sed materne mansuetudinis salutare potius inveniat lenimentum. Quocirca discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, presentium auctoritate mandamus quatinus vos vel alter vestrum ab eodem nobili publice super hiis de stando mandatis ecclesie et quod contra prohibitionem hujusmodi se torneamentis non ingeret, juramento recepto exhiberi faciatis vobis ab eo quingentas libras turonenses in usus pauperum, domorum Dei hospitalium, leprosariarum, religiosorum ac aliorum piorum locorum in civitate Parisiensi, juxta vestre discretionis arbitrium, convertendas, ac tandem imposita sibi pro commissis penitentia salutari et specialiter quod ipse ad ecclesiam beate Marie Anitiensis, infra terminum, quem ad hoc sibi duxeritis prefigendum, causa peregrinationis accedat, ipsum auctoritate nostra hac vice ab excommunicatione hujusmodi absolvatis. Rescripturi nobis per vestras litteras harum seriem continentes quicquid in premissis duxeritis faciendum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum VI kalendas aprilis anno tertio ».

622 Saint-Pierre, 23 mars, 1280

Abbati de S. Dyonisii mandat quatinus eundem Ro-

bertum comitem, imposita ipsi pro modo culpe juxta sue discretionis arbitrium penitentia salutari, auctoritate apostolica ab excommunicatione absolvat. (Fol. 232, an III, n° 9.)

« .. *abbati de Sancto Dyonisio in Frantia Parisiensis diocesis.* Ex parte nobilis viri — Nos autem misericordie januam aperientes eidem ut in nobis non rigoris judicium sed mansuetudinis potius inveniat gratiam salutarem, devotioni tue de qua plene confidimus per apostolica scripta mandamus quatinus ab eodem nobili super hiis publice de stando mandatis ecclesie, et quod contra prohibitionem hujusmodi se torneamentis non ingeret juramento recepto, impositaque sibi pro modo culpe juxta tue discretionis arbitrium penitentia salutari, ipsum auctoritate nostra hac vice ab eadem excommunicatione absolvere non omittas rescripturus nobis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas aprilis anno tertio ».

In e. m. scribitur eidem pro nobili viro Johanne de Messiaco milite.

623 Saint-Pierre, 23 mars 1280

Eidem abbati pro nobili viro Radulpho Destrees idem mandat. (Fol. 232; an III, n° 10.)

« *Eidem.* Ex parte nobilis viri Radulphi Destrees militis fuit propositum coram nobis etc. Dat. ut supra. »

624 Saint-Pierre, 27 mars 1280

Johanni electo Metensi indulget ut a quocunque maluerit antistite diaconatus et presbiteratus ordines statutis temporibus recipere possit, atque idem antistes seu alius, ascitis duobus vel tribus episcopis, ipse munus consecrationis impendere valeat. (Fol. 232; an III, n° 11.)

« *Johanni electo Metensi.* Ecclesia Metensis diversarum dignitatum titulis insignita sicut habetur multorum honorum claritate conspicua sic meruit amplis per sedem apostolicam preveniri favoribus et in te specialiter honorari qui presidere suo regimini meruisti. Hec siquidem personam tuam sua dignitate magnificat, tu vero ipsam efficis tua magnitudine digniorem, sicque alter in altero dignitatis et magnitudinis suscipit incrementum. Desiderantes igitur ut ipsa debitis tibi per eam insigniis pontificalibus decoretur, et grex ejus tibi commissus qui diutius dispendiosis concertationibus languit in brevi sub tuo salubri regimine tam spirituali quam temporali custodia valeat gubernari, tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue ut tu qui subdiaconus esse diceris, a quocunque malueris antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, diaconatus et presbiteratus ordines statutis temporibus recipere possis, et postquam fueris in presbiterum ordinatus idem seu quivis antistes gratiam et communionem similem habens ascitis secum duobus vel tribus episcopis catholicis gratiam et communionem dicte sedis habentibus, quos duxeris nominandos, tibi munus consecrationis impendere valeat, auctoritate presentium indulgemus. Nolumus autem quod per hoc ecclesie Treverensi, cujus ipsa Metensis ecclesia suffraganea esse dinoscitur, aliquod im posterum prejudicium generetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis, etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum vi kalendas aprilis anno tertio. »

625 Saint-Pierre, 27 mars 1280

Joanni electo Metensi Insulensis et Brugensis ecclesiarum prepositurаs, quas retinet, usque ad septennium reservat; et Insulensi prépositure vicarium de consilio prioris Predicatorum Insulensium et custodis Minorum Flandrie prefici jubet. (Fol. 232 v°; an III, n° 12; Potthast 21698.)

« *Joanni electo Metensi.* Circa personam tuam —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum vi kalendas aprilis anno tertio. »

In e. m. dilectis filiis... abbati Sancti Nicolai Furnensis.. Harlebekcensis et.. Bethuniensis ecclesiarum prepositis Morinensis, Tornacensis et Atrebatensis diocesum. Circa personam dilecti filii —. Dat. ut supra.

626 Saint-Pierre, 15 février 1280

Infrascriptis mandat quatinus conventum Moysiacensem efficaciter inducere studeant ut compromisso

consentiat, quod abbas ejusdem et generalis Minorum cum episcopo Tusculano de quibusdam edificiis a fratribus Minorum ordinis Aquitanie in villis Moysiacensi et de Rapistagno inceptis fecerunt. (Fol. 233; an III, nº 13, POTTHAST 21680.)

« .. *archidiacono Albiensi et.. archipresbitero ecclesie de Mirapice Thelesane diocesis.* Sua nobis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xv kalendas martii anno tertio. »

627 Saint-Pierre, 5 avril 1280

Monasterio Sancti Launomarii Blesensis, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, Guillelmum de Sancto Marcello, tunc priorem Sancti Dyonisii, preficit in abbatem. (Fol. 233 vº; an III, nº 14.)

« *Guillelmo de Sancto Marcello electo monasterii Sancti Launomarii Blesensis, ordinis Sancti Benedicti, Carnotensis diocesis.* Debitum officii nostri —. Dudum siquidem monasterio Sancti Launomarii Blesensis Carnotensis diocesis per mortem quondam Garini abbatis ipsius monasterii pastoris regimine destituto, due inibi, una videlicet de quodam Gaufrido tunc priore Sancti Subplicii juxta Aquilam alia vero de Guillelmo priore de monasterio ejusdem diocesis fuerunt electiones in discordia celebrate. Postmodum vero eodem Gaufrido viam universe carnis ingresso, dictus Guillelmus quieti sue cupiens providere, juri si quod sibi erat in electione celebrata de ipso acquisitum sponte renuntiare curavit. Quamobrem conventus ejusdem monasterii, qui centum et sexdecim erant numero, ad providendum dicto monasterio de abbate prout moris est convenerunt in unum. Et tandem eorum votis in diversa divisis, quinquaginta duo Oddonem priorem de Sancto Angelo. sexaginta duo vero ex eis predictum Guillelmum in abbatem ipsius monasterii elegerunt. Sane negotio electionum de dictis Odone et Guillelmo celebratarum ad sedem apostolicam postea per appellationem legitime devoluto, felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster dilectum filium nostrum G. tituli Sancti Marci presbiterum cardinalem concessit partibus in negotio hujusmodi auditorem. Cumque in negotio ipso aliquandiu fuisset coram cardinali memorato processum, dicti Odo et Guillelmus mentis sincere directi consilio conspicientes quod ex hujusmodi super hoc questionis exorte anfractibus naufragia gravia spiritualiter et temporaliter incurrebat monasterium memoratum, ac propter hoc cupientes monasterium ipsum, et a gravaminum in hac parte preservare incursu, sue quoque tranquillitati ex hoc consultius providere jus si quod eis in electionibus hujusmodi competebat in nostris manibus libere resignavit. Nos autem hujusmodi resignatione recepta provisionem ipsius monasterii nobis ea vice duximus reservandam. Quare ad ipsius monasterii provisionem tanto vigilantius non immerito consurgentes, quanto ipsum longioris temporis spatio viduatum rectore quasi naufragium jacturis gravibus dinoscitur fuisse subjectum, vigilias nostras convertimus ad personarum examen de quarum numero aliquam denique susciperemus auxilio opitulante divino personam que meritorum splendore circum amicta, Deo dilecta, nobis grata ipsius monasterii acta utilitatibus censeretur. Propterea siquidem in personam tuam tunc priorem Sancti Dyonisii in Francia quam examine hujusmodi laudabilis discretionis industria, sicut asseritur vite munditia religionis professio in hac parte nostris desideriis presentarunt, attentionis nostre oculos dirigentes et de fratrum nostrorum consilio prefato monasterio ne sub mole viduitatis opprimatur diutius preficimus in abbatem, firma spe — Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis aprilis anno tertio ».

In e. m. suppriori et conventui monasterii Sancti Launomarii Blesensis ordinis Sancti Benedicti, Carnotensis diocesis. Dat. ut supra.

628 Saint-Pierre, 8 avril 1280

Electionem in ecclesia Carnotensi de Symone archidiacono Pisciacensi factam confirmat; eidem ipsum in episcopum preficit, et ipsi munus consecrationis impendit. (Fol. 234; an III, nº 15.)

« *Venerabili fratri Symoni episcopo Carnotensi.* Recte tunc ecclesiarum — Sane vacante dudum ecclesia Carnotensi pastore, capitulum ipsius ecclesie vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse ad tractandum de futuri substitutione pastoris in chori ejusdem ec-

clesie, in quo consueverunt hujusmodi celebrari electiones, insimul convenerunt. Quibus videlicet septuaginta et uno ecclesie predicte canonicis computatis, Willelmo archidiacono Blesensi in eadem ecclesia procuratore magistri Petri Vigerii Carnotensi canonici tunc absentis, et Johanne de Brocia tunc minore ut dicebatur quatuordecim annis ecclesie prefate canonico congregatis, qui quidem procurator et Johannes quia vertebatur in dubium utrum voces illorum duorum de jure valerent sub tali protestatione fuerunt admissi quod eorum voces, non nisi quantum possent de jure valerent, diversisque super hoc ad invicem tractatibus habitis, demum ipsi per viam scrutinii procedentes, quatuor ex eis ad scrutandum vota sua et aliorum omnium elegerunt et dictis quatuor vota ipsa scrutantibus et publicantibus in communi, compertum est quod ex predictis septuaginta et uno viginti quatuor, computatis Johanne ac procuratore predictis, in quondam Egidium decanum Turonensem et ecclesie prefate canonicum direxerant vota sua et statim ex predictis viginti quatuor unus ad pronuntiandum ipsius decani electionem dicitur prorupisse; ex parte quoque eligentium ipsum decanum dicitur fuisse appellatio interjecta, ne ipsorum electione non cassata procederetur per alios ad secundam, non tamen in ipsa appellatione aliquid expresserunt per quod eorum electio posset apparere valida vel saltem probabiliter dubia redderetur, quibus taliter subsecutis reliqui quadraginta sex canonici non obstantibus electione et interpositione appellationis hujusmodi prout sibi de jure licere credebant ad aliam procedere intendentes factis prout pro parte tua proponebatur, legitimis requisitionibus et citationibus ceterorum et super eisdem citationibus nonnullis documentis productis etiam eorum nobis die ad hoc adveniente prefixa, quadraginta tres canonici Carnotensis in choro ejusdem ecclesie convenerunt, et tandem ad electionem per viam scrutinii legitime procedendo, compertum est quod de predictis quadraginta tribus, triginta quatuor in te consenserunt; reliquis in diversa dividentibus vota sua et statim facta collatione numeri, meriti atque zeli magister Symon archidiaconus Carnotensis mandato ac vice sua et aliorum omnium qui in te consenserant te in Carnotensem elegit episcopum et pastorem, tuque electioni hujusmodi de te facte infra tempus legitimum consensisti. Verum magister Guillelmus de Leugis pro se et Gaufridus de Bonavalle clericus, procuratorio nomine Leobini de Santolio et postmodum ipse Leobinus et quondam Stephanus de Sancto Arnulpho, et Oddo de Montoneria ecclesie prefate canonici ad sedem apostolicam diversis temporibus sub formis variis appellarunt, contra personam tuam defectus et crimina et ipsius electionis formam quedam alia apponentes. Negotio itaque hujusmodi per appellationes ad sedem apostolicam devoluto et lite super ipso legitime contestata, extitit super illo apud sedem eandem diutius disceptatum. Et tandem nos venerabili fratri nostri... episcopo Tusculano ipsum negotium commisimus audiendum et post examinationem diutinam, et eodem decano viam universe carnis ingresso, factaque nobis per eundem episcopum relatione fideli et per nos etiam juribus appellationum earundem plene discussis, quia non fuerat in illis forma constitutionis Lugdunensis concilii observata, dictus episcopus de mandato nostro facto sibi per nos opponentes se dicte electioni de te celebrate repulit ab obiectis et eos ad opponendum aliquid contra te ac personas te eligentium et ipsis adherentes, decrevit non esse ulterius admittendos. Demum vero attendentes quod predictis appellantibus et eis adherentibus justitia exigente repulsis nullus apparebat qui vel suum contemptum prosequeretur, aut aliquid contra te vel electionem ipsam duceret proponendum, nos nichilominus ex officio nostro sollicitudinem nostram ad examinationem negotii predicti contulimus et de ipsarum electionum juribus et processibus, ac etiam de aliquibus que in personam tuam et predictorum eligentium te, tam in dictis appellationibus quam etiam in processu negotii fuerunt opposita noluimus ex habundanti quasi prout negotii qualitas exigebat certius experiri, sicque nichil ad nostram deducto notitiam quod personam tuam ad dignitatis apicem inhabilem redderet vel indignam quin potius de tua (*sic*) tuaque vita et conversatione laudabili, habitis plurium testimoniis fidedignis, comperto quoque inter cetera quod electio prefati decani a tam longe minori parte capituli fuerat celebrata, quod deductis Johanne de Brocia et procuratore predictis, nec tertiam partem capituli attingebat et computatis eisdem, si tamen computandi fuissent, eamdem tertiam vix vel saltem in valde modico intuendo perspicaciter excedebat, adeo ut etiam auctoritas sive zelus eligentium, si tamen intervenisset ibidem robur illi juxta quod nonnulli sentiunt non posse vide-

batur adicere quia hoc non in tanto distantia differentis numeri eligentium debet attendi, nichilque proponeretur legitime ut est dictum per quod electio de te facta redderetur infirma, non obstante electione de dicto decano taliter attemptata, prefatam electionem de te factam quo ad formam et tandem personam tuam in scientia iuxta morem quem in hoc Romana servat ecclesia, examinari fecimus diligenter et quia electionem eamdem invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam et te tunc archidiaconum Pisciacensem in eadem ecclesia ipsi Carnotensi ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem, tibique munus consecrationis nostris manibus duximus impendendium. Firmam spem — Dat. Rome apud Sanctum Petrum vi idus aprilis anno tertio. »

In e. m. capitulo ecclesie Carnotensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Carnotensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Carnotensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Carnotensis.
In e. m. carissimo in Christo filio Phylippo regi Francorum illustri. Dat. ut supra.

629 Saint-Pierre, 17 février 1280

Pro liberatione Amalrici de Monteforti capellani sui, qui dum sororem suam per partes maritimas Anglie regno vicinas ad virum conducebat, in captivitatem ductus fuit et, sicut dicitur, sub quorumdam ejusdem regni prelatorum custodia detinetur, Raymundum decanum ecclesie Anitiensis capellanum suum in Angliam destinat, eique mandat quatinus ab eodem, si consenserit, juramentum recipiat quod regnum absque sedis apostolice expressa licentia nunquam reintrabit. (Fol. 235 v°; an III, n° 16; Potthast 21682.)

« *Magistro Raymundo decano ecclesie Anitiensis capellano nostro.* Tua te credimus — Dat. Rome apud Sanctum Petrum XIII kalendas martii anno tertio. »

630 Saint-Pierre, 17 février 1280

Cantuariensi archiepiscopo ejusque suffraganeis, cum ex ordinatione Joannis pape vigesimi primi dicatur Amalricum de Monteforti sub eorum custodia detineri, eadem significat, et eis mandat quatinus pro liberatione ipsius attentis exhortationibus studeant regem inducere. (Fol. 236, an III, n° 17.)

« *Venerabilibus fratribus... Cantuariensi archiepiscopo et universis episcopis per Cantuariensem provinciam constitutis.* Super muros Jerusalem —. Dat. ut supra. »

631 Saint-Pierre, 17 février 1280

Edwardum regem Anglie rogat ut circa liberationem ejusdem Amalrici de Monteforti prebeat opem et operam efficaces. (Fol. 236; an III, n° 19, Potthast 21681.)

« *Regi Anglie illustri.* Inter fluctus assiduos —. Dat. ut supra. »

632 Saint-Pierre 23 mars 1280

Ecclesie Parisiensi, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, Johannem tunc cancellarium ejusdem ecclesie preficit in episcopum. (Fol. 236 v°; an III, n° 19.)

« *Johanni electo Parisiensi.* In dispositione ministrorum —. Sane vacante ecclesia Parisiensi per obitum bone memorie Stephani Parisiensis episcopi, capitulum ipsius ecclesie, die ad eligendum prefixa insimul convenerunt, et dum circa eligendi tractatum intenderent, unus ex eis, sicut accepimus, presente ac audiente dilecto filio magistro Oddone de Sancto Dyonisio canonico Parisiensi, dixit inter alios hec vel equipollentia verba : magister Oddo bonus episcopus noster esset, et aliquibus ex aliis tunc presentibus verbis quasi similibus inherentibus, idem vel alius cuidam de ipso capitulo immediate subjunxit super hoc consensus aliorum omnium, si eis id idem placeat requiratis, ad quod omnes quasi ad requisitionem hujusmodi pro majori parte, aliquibus tamen tacentibus et uno contradicente, in Oddonem consenserunt eundem et id Oddo predictus tollerans et permittens, nec aliqualiter se excusans hujusmodi verba vel similia dicitur protulisse : isti domini honoraverunt me de quo regratior eis, et etiam si plus non facerent, ab eis me reputo plurimum honoratum; que quidem verba sapere videbantur non solum sibi placere quod de ipso sic actum fuerat sed etiam gratum

esse, ut per eos procederetur ad negotii complementum, cumque per aliquos apud illos qui in ipsum non consenserant instaretur ut in ipsum consentirent, et instantes non proficerent in instando, quidam dicitur hec vel similia verba dixisse : eamus ad scrutinium, et unusquisque constanter in suo jam expresso proposito perseveret, ne possit de varietate notari. Et tandem post hec successive dicti capitulum ad electionem per viam scrutinii procedentes tribus ex eis committere curaverunt ut ipsi tres vota sua et aliorum omnium scrutarentur, quibus vota ipsa scrutantibus et publicantibus in communi compertum extitit quod in dictum Oddonem major pars dicti capituli concordabat, sicque in Parisiensem episcopum fuit electus. Sed dilectus filius Leonardus de Flisco capellanus noster, ejusdem ecclesie canonicus, electioni hujusmodi se opponens, pro se ac sibi adherentibus, in hac parte ad sedem apostolicam pluries appellavit. Negotio itaque hujusmodi ad sedem ipsam deducto, et dictis Oddone ac Leonardo accedentibus ad sedem eandem et in nostra presentia constitutis, licet dictus Leonardus, pro eo quod in appellatione ipsa forma constitutionis Lugdunensis concilii non videbatur usque quaque servata videretur aliquibus ab illius prosecutione et tam ab objectis quam etiam opponendis debere repelli, non tamen ut pars sed sicut Parisiensis canonicus pro se ac dilecto filio magistro Adinulpho de Anagnia Parisiensi canonico, qui dicebatur sub certa forma suis appellationibus adhesisse, ad viam quasi cujusdam denuntiationis pro suarum conscientiarum exoneratione studiosius se convertens, coram nobis et fratribus nostris asseruit quod dictus Oddo jam senio confractus propter manuum tremulentiam et alias imbecillitates sui corporis, que nostris et fratrum ipsorum oculis subjacebant, ac predictum inordinatum processum et plura que contra ipsum objecerat, indignus et insufficiens reddebatur ad pontificalis preminentiam dignitatis. Nos autem, quos comissi nobis gregis dominici cura perstringit, inherentes verbis apostoli dicentis nemini cito manum imponas, nos ipsos hujusmodi negotio contulimus et ex officio nostro in negotio procedentes eodem supradicta discussimus prout negotii qualitas exigebat, et eum super tremulentia manuum et ceteris imbecillitatibus corporis, que, quasi ut predicitur nostris et eorumdem fratrum oculis subjacebant, per omnes fratres predictos in curia tunc presentes examinari fecimus diligenter, et quia per ea que ex nostrorum fratrum relatione et alias per nos ipsos de predictis invenimus, nobilitate sic corruscantis ecclesie ad quam concurrit quasi universalis orbis cleri et populi multitudo, oneribus que ipsius ecclesie ministris et specialiter in ordinibus ministrandis, ecclesiis dedicandis et ceteris ad episcopale ministerium pertinentibus incumbere dinoscuntur et quod talia onera non solum imbeccilles opprimunt sed fortium etiam colla premunt, quodque per manuum tremulentiam posset in sacro presertim altaris ministerio scandalum vel periculum formidari, conditione quoque qua dictus Oddo residuum presentis vite percurrit, cum sic in diebus suis processerit, quod verisimiliter non debeat de ipsius fortificatione sperari, ac nichilominus quampluribus aliis, prout negotii qualitas exigebat, circa premissa cum matura deliberatione pensatis, nequivimus tales in tali persona ad tantam ecclesiam evocata defectus salva conscientia preterire. Et idcirco electionem ipsam, justitia exigente, prout est moris inter fratres ipsos cassavimus, eam cassam et irritam nuntiantes. Et licet ante publicationem cassationis hujusmodi prefatus Oddo in manibus nostris hujusmodi electioni et omni juri sibi ex tali electione quesito cessisset, nosque cessionem admisissemus eandem, nichilominus tamen ad majorem notitiam omnium premissorum cassationem et cessionem easdem in sollempni consistorio duximus publicandas, et inter nos et fratres prefatos consultatione habita si esset in electionis celebrande remissione dictis capitulo saltem de gratia deferendum, tandem prolixiorem vacationem ejusdem ecclesie inter alia pericula que per hoc possent occurrere dubitantes, cum preterita consueverint esse presagia de futuris, nec deceat quod tanta et talis ecclesia que multa claritate refulget diu remaneat viduata pastore, ad viam celerioris provisionis, divina gratia nos dirigente convertimus, et ea vice provisionem ecclesie prefate auctoritate apostolica nobis duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Demum vero de preficiendo ecclesie prefate pastore ydoneo sollicite cogitantes ad personam tuam quam odor fame laudabilis, cum habearis litterarum scientia preditus, et pro catholice fidei conservatione ac defensione cum expedit ex fervore caritatis attentus, helemosinarum largitione fecundus, pietate munificus,

bonorum operam sectator eximius, consideratione mentis nostre direximus, et sperantes quod tu ecclesiam ipsam que te lactavit ut filium in sponsam grate suscipiens eam tuis providis studiis salubri regimine diriges et spiritualiter ac temporaliter augmentabis, te tunc cancellarium e clesie prefate licet absentem, de fratrum eorumdem consilio ecclesie predicte prefecimus in episcopum et pastorem, tibi ejusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus administrationem plenariam committentes. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus — Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas aprilis anno tertio. »

In e. m. capitulo ecclesie Parisiensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Parisiensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Parisiensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Parisiensis.
In e. m. carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum illustri. Dat. ut supra.

633 5 janvier 1280

Cum Philippus episcopus Placentinus guardiano et fratribus ordinis Minorum Placentinis se super diversis articulis molestum et infestum reddiderit, infrascriptis mandat quatinus eundem episcopum, cujus sententias episcopus Tusculanus jam cassavit, peremptorie citare curent ut infra duos menses personaliter coram papa compareat. (Fol. 237 v°; an III, n° 20, Potthast 21667.)

« *Venerabili fratri.. episcopo Parmensi et dilectis filiis.. Cremonensi et.. Sancti Auxiani de Fragrano Mutinensis diocesis ecclesiarum archipresbiteris.* Fragilitatis humane malitia — Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis januarii anno tertio. »

634 Saint-Pierre, 5 avril 1280

Archipresbitero ecclesie Parmensis mandat quatinus processum et decretum Mathei Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis in lite inter infrascriptos petitores et episcopum Brixiensem coram eodem contestata, auctoritate apostolica in locis in quibus expedire viderit publicare procuret. (Fol. 239; an III, n° 21.)

« *Archipresbitero ecclesie Parmensis.* Sua nobis dilectus filius.. magister generalis et capitulum generale ordinis Humiliatorum, ac.. prepositus Sancti Luce foris portam.. Sancte Marie Magdalene de Gambara.. de Castro Guifredo.. Sancti Pauli de Pontevico.. de Contegnaga.. de Sancto Faustino.. Sanctorum Symonis et Jude.. Sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi.. de Palaczolo et.. de Calino prelati et conventus domorum Brixiensis ejusdem ordinis petitione monuerunt quod vos in causa que inter ipsos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Brixiensem super eo quod idem episcopus visitationem in eisdem domibus habere se asserit et aliis diversis articulis vertitur ex altera dilectum filium nostrum M. Sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem dedimus partibus auditorem. Verum lite coram eodem cardinali per Mathiam Theatinum dictorum magistri et capituli prelatorum et conventuum ac Antonium de Brixia ipsius episcopi procuratores in causa hujusmodi legitime contestata, idem Mathias a cardinali predicto instanter ac humiliter postulavit eidem Antonio et per ipsum eidem episcopo inhiberi et inhibendum fore decerni ne hujusmodi lite pendente super premissis predictus episcopus per se vel alium ejus nomine in prejudicium magistri et capituli prepositi prelatorum et conventuum predictorum ac earundem domorum aliquid innovaret et si quid per ipsum episcopum vel alium ejus nomine post inhibitionem hujusmodi innovari contingeret decerni per dictum cardinalem irritum et inane. Idem vero cardinalis, auditisque partes hinc et inde super hoc coram eo proponere voluerunt, attendens hujusmodi petitionem ejusdem Mathie consonam juri fore, ipsam procuratoribus predictis presentibus admisit justitia exigente, ac eidem Antonio prefati episcopi procuratori et per ipsum dicto episcopo inhibuit et inhibendum fore decrevit ne memoratus episcopus per se vel per alium seu alios vel dictus procurator ejusdem episcopi nomine super hiis in prejudicium magistri capituli prepositi prelatorum et conventuum predictorum aliquid innovare presumat, ac nichilominus decrevit irritum et inane quicquid per ipsum episcopum vel alium ejus nomine contra inhibitionem predictam fuerit attemptatum, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri, nosque postmodum dilectum filium nostrum S. Sancti Eustachii diaconum cardinalem in causa predicta loco ipsius cardinalis duximus subrogandum. Ipsorum igitur magistri, capituli, prepositi, prelatorum et conven-

tuum precibus inclinati, hujusmodi processum predicti Mathei cardinalis provide habitum ratum habentes et gratum discretioni vestre (*sic*) per apostolica scripta mandamus quatinus processum hujusmodi auctoritate nostra in locis in quibus expedire videris per te vel per alium aut alios publicare procures. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis aprilis anno tertio. »

635 Saint-Pierre, 6 mai 1280

Nimotiensi ecclesie, a temporibus Alexandri pape vacanti et patriarche Antiocheno commisse Ubertum capellanum suum preficit in episcopum, eique consecrationis munus impendit. (Fol. 239 v°; an III, n° 22.)

« *Alberto episcopo Nimotiensi.* Assumpti quamvis immerito — Sane vacante olim Nimociensi ecclesia, venerabili fratre nostro B. quondam Nimociensi episcopo translato ad ecclesiam Vicentinam, felicis recordationis Alexander papa predecessor noster curam et administrationem ipsius ecclesie Nimociensis venerabili fratri nostro Opizo patriarche Antiocheno gerendas per ipsum quousque patriarchatus suus, qui Turquemanorum et aliorum inimicorum christiani nominis continuis bellorum incursibus vexabatur, esset in statu pacifico et tranquillo, de fratrum suorum consilio commendavit, ut idem patriarcha interim ejusdem ecclesie Nimociensis curam et sollicitudinem in spiritualibus et temporalibus gerens pro sustentatione sua ipsius perciperet redditus et proventus. Cum igitur idem patriarcha curam et administrationem hujusmodi predicte ecclesie Nimociensis libere resignarit, nos de ipsius ecclesie Nimociensis ordinatione sollicite cogitantes ac ei de persona ydonea que tanto congruat oneri et honori providere volentes, ne diutius remaneret proprii pastoris presidio destituta, te tunc capellanum nostrum, virum utique discretum et providum morum honestate, decorum vite laudabilis scientia preditum litterarum acceptumque nobis et fratribus nostris propter tue merita probitatis eidem ecclesie Nimociensi de predictorum fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum prefecimus et pastorem, tibique consecrationis munus nostris manibus duximus impendendum, firma ducti fiducia — Dat. Rome apud Sanctum Petrum II nonas maii anno tertio. »

In e. m. decano et capitulo ecclesie Nimociensis.
In e. m. clero Nimociensis civitatis et diocesis.
In e. m. populo Nimociensis civitatis et diocesis.
In e. m. carissimo in Christo filio regi Cypri illustri.
Dat. ut supra.

636 Saint Pierre, 9 avril 1280

Ecclesie Karleolensi, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, electione de Radulpho tunc priore monasterii Giseburnie facta prius cassata, eundem priorem preficit in episcopum eique munus consecrationis per episcopum Tusculanum impendit. (Fol. 240; an III, n° 23.)

« *Radulpho episcopo Karleolensi.* In supreme dignitatis specula — Sane Karleolensi ecclesia olim per obitum bone memorie Roberti episcopi Karleolensis pastoris solatio destituta dilecti filii.. prior et conventus ejusdem ecclesie ordinis Sancti Augustini per viam compromissi procedentes in negotio electionis de prelato in ipsa ecclesia faciende que tunc temporis ingruebat, quondam magistrum Guillelmum decanum Eboracensem ecclesie tunc viventem ad ipsius Karleolensis ecclesie regimen elegerunt, qui electioni hujusmodi renuens consentire renuntiavit expresse juri si quod ex ipsa electione competebat eidem. Postmodum autem dicti prior et conventus ad tractandum de futuri substitutione pastoris die ad hoc prefixa insimul convenerunt ac in hujusmodi negotio per eandem viam compromissi procedere communi deliberavere consensu. Sicque predicti conventus quinque ex eis scilicet eidem priori Roberto de Everdon precentori, Roberto de Brampton succentori, Symoni de Karliolo cellarario et Hugoni de Bolton sacriste ipsius ecclesie Karleolensis providendi eidem Karleolensi ecclesie de prelato eo modo potestatem unanimiter concesserunt, quod ipsi vel major et sanior pars eorum dicte Karleolensis ecclesie de pastore ydoneo providerent. Iidem autem quinque convenientes in unum et post diligentem quem super hoc habuere tractatum ad personam tuam sue considerationis oculos dirigentes te tunc priorem monasterii Giseburnie predicti ordinis Eboracensis diocesis concorditer et commu-

niter omnes simul ex predicta potestate ipsis ut predictum esttradita in Karleolensem episcopum elegerunt, dictique prior et conventus, postquam electioni hujusmodi ad eorum instantiam consensisti facientes electionem ipsam bone memorie Gualtero archiepiscopo Eboracensi loci metropolitano per suos procuratores ydoneos presentari ab ipso archiepiscopo postularunt ut eandem electionem auctoritate metropolitica (*sic*) confirmaret, qui sue deliberationis super hoc pendente judicio debitum nature persolvit. Et licet dicti prior et conventus post ejusdem archiepiscopi obitum electionem ipsam petiissent instanter per procuratores suos ad hoc specialiter constitutos a capitulo ejusdem Eboracensis ecclesie confirmari, demum tamen iidem prior et conventus attendentes, quod dicti capitulum in hujusmodi confirmationis negotio moras et difficultates indebitas ingerentes, negotium ipsum per prolixos terminos et dilationes morosas in tempus longius protrahebant, in non modicum dicte Karleolensis ecclesie dispendium et gravamen, quodque iidem capitulum super hoc per prefatos procuratores pluries requisiti se finaliter nolle procedere in predicto negotio pretendere nitebantur, ex hujusmodi causis per procuratorem legitimum ad sedem apostolicam appellarunt. Negotio itaque hujusmodi per appellationem pro parte dictorum prioris et conventus ad nos taliter interjectam ad sedem devoluto predictam, nos examinationem electionis ipsius de te ut premittitur celebrate venerabili fratri O. episcopo Tusculano et dilectis filiis nostris Guillelmo tituli Sancti Marci presbitero ac Jordano Sancti Eustachii diacono cardinalibus duximus committendam, per quos diligenter examinatione hujusmodi et de hiis que per ipsam invenerunt nobis facta relatione fideli, quia in electione ipsa per dictos compromissarios non invenimus canonice fuisse processum, pro eo quod predicti quinque omnes insimul te, ut predicitur, elegerunt nec communis pronuntiata per unum fuit electio subsecuta, quod tamen fieri debuit, cum a nostris fuerit predecessoribus Romanis pontificibus observatum et etiam diffinitum, ut sicut per unum, quando per viam scrutinii ad electionem proceditur, est pronuntianda et facienda electio secundum canonica instituta sic et per unum est, quando per viam proceditur compromissi, eandem electionem de fratrum nostrorum consilio sententialiter cassavimus justitia exigente illam cassam et iritam nuntiando. Ceterum ne dicta Karleolensis ecclesia per vacationem diutinam detrimenta incurreret, que solent viduatis ecclesie imminere, provisionem ipsius nobis reservantes, hac vice ac decernentes irritum et inane si secus contingeret attemptari. Et demum considerantes personam tuam de litterarum scientia per relationem predictorem episcopi et cardinalium, de morum quoque maturitate, religionis observantia, prudentia spiritualium et temporalium providentia per multorum fidedigna testimonia multipliciter commendatum, te de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem Karleolensi ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem tibique fecimus per predictum episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi firma spe fiduciaque — Dat. Rome apud Sanctum Petrum v idus aprilis anno tertio ».

In e. m. priori et conventui ecclesie Karleolensis ordinis Sancti Augustini.

In e. m. clero civitatis et diocesis Karleo ensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Karleolensis.

In e. m. venerabili fratri archiepiscopo Eboracensi. Ad cumulum tue — Dat. Rome nonis aprilis.

In e. m. carissimo in Christo filio... regi Anglie illustri. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Vidus aprilis anno tertio.

637 Saint Pierre, 7 mai 1280

Ecclesie Humanatensi, per mortem Arnulfi episcopi vacanti, cum frater Marcus de Ancona, ordinis Minorum, electioni de se facte consentiendi a ministro suo nequiverit licentiam obtinere, Bernardum Balneoregiensem canonicum preficit in episcopum. (Fol. 241; an III, n° 24; Potthast 21709.)

« *Bernardo episcopo Humanatensi*. Rationis oculis intuentes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis maii anno tertio. »

In e. m. archipresbitero et capitulo ecclesie Humanatensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Humanatensis.

In e. m. populo civitatis et diocesis Humanatensis. Dat. ut supra.

638 Saint-Pierre, 11 mai 1280

Ad ecclesiam Urbevetanam, cujus provisionem sedi

apostolice reservavit, Franciscum, tunc Melfiensem electum, transfert, eique munus consecrationis impendit. (Fol. 241 v°, an III, n° 25.)

« *Venerabili fratri Francisco episcopo Urbevetano.* De sedis apostolice — Presentato siquidem nobis electionis decreto, que in Urbevetana ecclesia, tunc pastoris solatio destituta, de dilecto filio comite archidiacono Urbevetano celebrata extitit et eodem archidiacono ad nostram presentiam accedente ac demum sponte in nostris resignante manibus omne jus quod ex electione ipsa sibi competere videbatur, nos detrimentis ejusdem ecclesie volentes occurrere, que pretextu prolixe vacationis solent viduatis ecclesiis imminere, provisionem ejusdem ecclesie ea vice nobis duximus reservandam, ac tandem ad tuam personam nobis de litterarum scientia, maturitate morum, prudentia spiritualium et temporalium providentia plurimum commendatam, nostre considerationis aciem dirigentes, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis te tunc Melfiensem electum absolvimus a vinculo quo Melfiensi ecclesie tenebaris, et te ad dictam Urbevetanam ecclesiam transferentes, tibi ad illam transeundi licentiam tribuendo, te in episcopum ejusdem ecclesie Urbevetane prefecimus et pastorem, tibique propriis manibus consecrationis munus duximus impendendum, firma spe fiduciaque — Dat. Rome apud Sanctum Petrum v idus maii anno tertio. »

In e. m. archipresbitero et capitulo Urbevetano.

In e. m. clero civitatis et diocesis Urbevetane.

In e. m. populo civitatis et diocesis Urbevetane. Dat. ut supra.

639 Saint-Pierre, 8 avril 1280

Monasterio Mortariensi, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, Robaldum, tunc prepositum ecclesie Sancte Marie de Lombriasco, preficit in prepositum. (Fol. 242; an III, n° 26.)

« *Dilecto filio Robaldo, preposito monasterii Mortariensis per prepositum solili gubernari, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis Sancti Augustini, Papiensis diocesis.* Licet continuata supervenientium —. Olim siquidem monasterio Mortariensi per prepositum solito gubernari, ad Romanam ecclesiam nullo pertinente ordinis Sancti Augustini, Papiensis diocesis, per liberam resignationem Bonifatii canonici tunc prepositi ejusdem monasterii factam in manibus nostris vacante, nos provisionem ipsius monasterii ea vice sedi apostolice dicimur reservasse, decernentes irritum et inane si quid super hoc contra hujusmodi nostram reservationem scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Postmodum autem conventus monasterii ejusdem intellecto quod monasterium ipsum per predictam resignationem vacabat, hujusmodi reservationis et decreti, ut dicitur, prorsus ignari, Henricum dictum de Lomello, dicti monasterii canonicum de facto quamquam concorditer, sicut fertur, in ipsius monasterii prepositum elegerunt. Sane memoratus Henricus, postquam predicta reservatio et decretum ad ejus notitiam pervenerunt, considerans quod hujusmodi sua electio nulla erat, omne jus si quod sibi in electione ipsa competere potuisset, sponte ac libere in nostris manibus resignavit; nos igitur de ordinatione dicti monasterii sollicite cogitantes ac de tali persona cupientes eidem monasterio providere, per quam posset salubriter gubernari, in te tunc prepositum ecclesie Sancte Marie de Lombriasco, predicti ordinis, Taurinensis diocesis, direximus nostre considerationis intuitum, teque de fratrum nostrorum consilio in prepositum prefecimus monasterio supradicto, firma concepta fiducia quod — Dat. Rome apud Sanctum Petrum VI idus aprilis, anno tertio. »

In e. m. conventui monasterii Mortariensis.

In e. m. universis prepositis, prioribus, archipresbiteris et clericis subjectis monasterio Mortariensi.

In e. m. universis vassallis et hominibus monasterii Mortariensis. etc.

In e. m. dilectis filiis... potestati, consilio et comuni Papiensibus. etc. Dat. ut supra.

640 Saint-Pierre, 7 mai 1280

Infrascriptis mandat quatinus Philippo Firmano apostolice sedis legato et Andree Agriensi episcopis pallium Lodomero, tunc episcopo Waradiensi, electo Strigoniensi tradendum, personaliter presentent. (Fol. 242 v°; an III, n° 27; POTTHAST 21711.)

« *Dilectis filiis magistris Romano Huntensi et Anglerio Nitriensi archidiaconis in ecclesia Stri-*

goniensi. Cum venerabilem fratrem — Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis maii anno tertio.

641 Saint-Pierre, 7 mai 1280

Philippo Firmano et Andree Agriensi episcopis mandat quatinus pallium, a predictis magistris receptum Lodomerio electo Strigoniensi tradant. (Fol. 243; an III, nº 28; POTTHAST 21712.)

« *Venerabilibus fratribus Philippo Firmano apostolice sedis legato et Andree Agriensi episcopis.* Cum venerabilem fratrem — Dat. ut supra. »

642 Saint-Pierre, 3 mai 1280

Ecclesie Trojane, per translationem Hugonis episcopi ad ecclesiam Bethleemitanam vacanti, postulatione de Benedicto episcopo Esculano facta non admissa, Raynerium fratrum Minorum ordinis professorem, tunc Caroli regis Sicilie capellanum, preficit in episcopum. (Fol. 243; an III, nº 29; POTTHAST 21708.)

« *Raynerio electo Troiano.* Licet continuata supervenientium — Dat. Rome apud Sanctum Petrum v nonas maii anno tertio. »

In e. m. cantori et capitulo ecclesie Troiane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Troiane.
In e. m. populo civitatis et diocesis Troiane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Troiane.
In e. m. carissimo in Christo filio... regi Sicilie illustri. Dat. ut supra.

643 Saint-Pierre, 7 mai 1280

Comiti archidiacono Urbevetano, qui omne jus quod sibi ex electione a capitulo ecclesie Urbevetane facta competebat libere resignavit, indulget ut nihil ipsi possit impingi, quin ad omnes honores et actus legitimos et quamlibet dignitatem ecclesiasticam episcopalem vel aliam eligi libere valeat. (Fol. 243 vº; an III, nº 30.)

« *Comiti archidiacono Urbevetano.* Tue devotionis et probitatis merita nos inducunt ut personam tuam, quantum cum Deo possumus, favorabiliter prosequamur. Olim siquidem Urbevetana ecclesia per mortem bone memorie A. episcopi Urbevetani pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie te ad ejusdem ecclesie regimen concorditer elegerunt et postmodum facientes nobis per suos certos procuratores ad hoc specialiter constitutos decretum electionis hujusmodi presentari a nobis ut electionem confirmaremus eandem per eosdem procuratores suppliciter postularunt. Nos vero ipsius electionis examinationem venerabili fratri... episcopo Albanensi et dilectis filiis nostris G. Sancti Marci presbitero et J. Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinalibus duximus committendam, qui post factam examinationem hujusmodi diligenter que super hoc invenerant nobis fideliter retulerunt. Verum quia tu forsan saniori ductus consilio, cupiens potius in vigore tue juventutis habundantius imbui scientia litterali, ac alias exercitari virtutibus quam preminentia pontificali precingi, omne jus quod tibi ex electione hujusmodi competebat libere in nostris manibus resignasti, prosperi status tui securitatem affectans, supplicasti nobis humiliter ut statui tuo pro eo, quod de te fuerant aliqua sussurata, nemine tamen palam contra personam tuam, seu electionis tue processum aliquod opponente, vel in judicio comparente, ne propter hoc in posterum tibi quomodolibet detrahatur, providere de benignitate solita curaremus. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue auctoritate presentium indulgemus ut pretextu susurrationis hujusmodi vel quorumcumque coram nobis seu in judicio habitorum processum in premissis seu predictorum occasione nichil tibi possit impingi, quin ad omnes honores et actus legitimos et quamlibet dignitatem ecclesiasticam episcopalem, vel aliam sicut antea poteras eligi libere valeas et assumi. Nulli e. go. etc. nostre concessionis. etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis maii anno tertio ».

644 Saint-Pierre, 6 mai 1280

Eidem, qui ecclesiam S. Petri de Cuntellis cum archidiaconatu ecclesie Urbevetane per quinquennium absque dispensatione sedis apostolice tenuit, concedit quod occasione hujusmodi detentionis nullum possit ipsi fieri prejudicium. (Fol. 244; an III, nº 31.)

« *Eidem.* Petitionis tue series continebat quod tu olim ecclesie Sancti Petri de Cuntellis Balneo-

regensis diocesis curam animarum habentis rector existens, archidiaconatum ecclesie Urbevetane alias canonice adeptus fuisti, ac eandem ecclesiam Sancti Petri una cum dicto archidiaconatu fructus ex ea percipiendo absque dispensatione sedis apostolice per quinquennium tenuisti et interim in subdiaconatus et diaconatus ordinibus ad illos alias rite promotus multotiens ministrasti. Quare humiliter petebas a nobis ut, cum ecclesiam Sancti Petri libere dimiseris supradictam, providere tibi super hiis paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque saluti tue hac parte consulere intendentes, tuis supplicationibus inclinati fructus hujusmodi tibi plene remittimus et donamus. Omnem quoque infamiam et quamlibet inhabilitatis notam, si quam ex inde contraxisti, de apostolice potestatis plenitudine penitus abolentes, teque restituentes in integrum, devotioni tue presentium auctoritate concedimus quod occasione hujusmodi detentionis ipsius ecclesie Sancti Petri, perceptionis fructuum predictorum promotionis hujusmodi, ad ordines supradictos et ministrationis in illis, nullum possit tibi fieri prejudicium, aut in judicio vel extra judicium impedimentum prestari seu obstaculum interponi, quin ad omnes actus legitimos et honores et quamlibet dignitatem ecclesiasticam, episcopalem vel aliam assumi libere valeas sicut prius. Nulli ergo etc. nostre remissionis, donationis, abolitionis, restitutionis et concessionis etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum II nonas maii anno tertio.»

645 Saint-Pierre, 30 mars 1280

Infrascriptis mandat quatinus Theobaldum decanum Baiocensis ecclesie, de quo gravis querela episcopi Baiocensis ad sedem apostolicam pervenit, cum inter alia predictus decanus cum quibusdam consiliariis regis Francorum procuraverit ut familiares episcopi caperentur, peremptorie citare procurent ut infra duos menses coram papa personaliter compareat. (Fol. 244 v°; an III, n° 32; POTTHAST 21700.)

« *Venerabili fratri.. episcopo Sagiensi et dilectis filiis.. priori Predicatorum et.. guardiano Minorum fratrum ordinum de Cadorno Baiocensis diocesis.* Nuper ad nos — Dat. Rome apud Sanctum Petrum III kalendas aprilis anno tertio. »

646 Saint-Pierre, 30 mars 1280

Episcopo Sagiensi de eodem negotio scribit. (Fol. 245 v°; an III, n° 33.)

« *Venerabili fratri.. episcopo Sagiensi.* Nuper ad nos — Nos itaque eidem episcopo in hac parte benigno compatientes affectu et attendentes quod propter potentiam et malitiam dicti decani prefato episcopo grave forsan existeret de premissis in eisdem partibus experiri, fraternitati tua per apostolica scripter mandamus quatinus predictum decanum ex parte nostra per te vel per alium peremptorie citare procures ut infra duos menses post citationem hujusmodi per se vel per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui representet, facturus et recepturus super hiis quod justitia suadebit. Diem vero citationis et formam et quicquid inde duxeris faciendum nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Dat. ut supra. »

647 1er avril 1280

Ecclesie Tranensis, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, curam et administrationem patriarche Antiocheno committit. (Fol. 245 v°; an III, n° 34.)

« *Venerabili fratri O. patriarche Antiocheno.* Romani pontificis — Sane dudum Tranensi ecclesia pastoris solatio destituta, Thomasius de Fossa prepositus ecclesie de Sancto Eusartio Aquilensis diocesis in Tranensem archiepiscopum fuit electus, et tandem nobis electione hujusmodi presentata, nos illam, non vitio persone sed alias ex causa legitima justitia exigente cassantes, provisionem ipsius ecclesie nobis ea vice auctoritate apostolica duximus reservandam. Et postmodum ad te, qui propter Agarenorum invalescentem perfidiam ab ecclesia tua Antiochensi exulari et illius fructuum perceptione fraudatus, necessariorum incomoda experiri compelleris compassionis animum convertentes et decentia suadente incongruum reputantes quod in contemptum pontificalis officii rerum inopiam patiaris, cum hujusmodi preminentie digne subserviat habundantia facultatum et attenuet indigentia precellentiam dignitatis, intendentes quoque talem ad ipsius Tranensis ecclesie custodiam deputare personam, cujus boni-

tate ac studio preservari a noxiis, ad salubria dirigi et in prosperis possit Deo propitio ampliari, providentie tue, de qua discretione precognita promptitudine animi et diligentia circumspecta plenam in domino fiduciam obtinemus, curam et administrationem ipsius Tranensis ecclesie in spiritualibus et temporalibus de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis committimus, libere in omnibus exercendas, donec eadem Antiochena ecclesia bonis suis recuperatis de adepta ipsorum possessione letetur. Ita quod in eisdem spiritualibus et temporalibus disponendi, precipiendi et ordinandi, prout ejusdem ecclesie Tranensis utilitati expedire videris plenam et liberam habeas facultatem, nisi per nos vel successores nostros id interim revocari contigerit, vel de te aliter ordinari. Ne autem ovibus tibi commissis desit cura pastoris vel eadem Tranensis ecclesia provido careat directore, volumus quod personaliter ibi resideas que pontificale requirunt officium, ibidem juxta datam tibi a Domino gratiam impleturus, nullatenus enim nostre intentionis existit quod per tuos vicarios seu vicarium eadem gubernetur ecclesia et tu alibi commoreris, sed sicut archiepiscopus proprius morari tenetur ibidem, sic et tu quamdiu commissio predicta duraverit inibi moram trahere tenearis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus curam et administrationem hujusmodi sic laudabiliter gerere studeas, quod exinde retributionis eterne tibi proveniat incrementum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum kalendis aprilis anno tertio. »

In e. m. capitulo Tranensi.
In e. m. clero civitatis et diocesis Tranensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Tranensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Tranensis.
In e. m. carissimo in Christo filio... regi Sicilie illustri. Dat ut supra.

648 Saint-Pierre, 7 mai 1280

Electionem in ecclesia Castellana de Jacobo tunc canonico Urbevetano factam confirmat, eique munus consecrationis impendit. (Fol. 246; an III, n° 35.)

« *Jacobo episcopo Castellano.* Ex incumbenti nobis cura — Presentata siquidem nobis electione de te tunc canonico Urbevetano facta in ecclesia Castellana tunc pastoris regimine destituta, quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, teque ipsi ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, et tibi munus consecrationis nostris manibus duximus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis maii anno tertio. »

In e. m. capitulo Castellano.
In e. m. populo civitatis et diocesis Castellane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Castellane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Castellane. — Dat. ut supra.

649 Saint Pierre, 15 mai 1280

Ad ecclesiam Toletanam, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, Gundisalvum, tunc episcopum Burgensem, transfert. (Fol. 246 v°; an III, n° 36.)

« *Gundisalvo archiepiscopo Toletano.* In dispositione ministrorum — Sane dudum ecclesia Toletana per obitum bone memorie Sanctii archiepiscopi Toletani solatio destituta pastoris, dilectus filius Fernandus Roderici, abbas secularis ecclesie de Caveis Rubeis, Burgensis diocesis, in Toletanum archiepiscopum fuit electus et eodem Fernando negotium electionis hujusmodi prosequente, dum super hiis apud sedem apostolicam discussione provida diligentius ageretur, dictus Fernandus omne jus quod sibi ex electione competebat eadem libere in nostris manibus resignavit. Nos autem, resignatione ipsa recepta, provisionem ipsius ecclesie nobis ea vice duximus auctoritate apostolica reservandam et postmodum de statu ejusdem ecclesie prospero, ne ipsa que multa nobilitate refulget diutina vacatione langueret, sollicite cogitantes ac cupientes eidem ecclesie talem deputare ministrum, qui suo sibi decore competeret et per quem ipsa clara consurgens liberius effunderet sue radios claritatis, ad personam tuam, quam diversarum virtutum donis, litterarum scientia, et discretionis maturitate precinctam, morum elegantia Dominus ex alto dotavit, mentem nostram convertimus et attendentes quod tu, quem ipsa ecclesia tunc decanum ipsius lactavit ut filium demum ejus sponsus, illam majori caritate cons-

tringes, et tam in ipsa ecclesia quam in civitate Toletana, que tibi solum natale prebuit, inibi enutritus et allectus naturali dulcedine fructus utiles et Deo placidos divina tuis ferventibus studiis assistente clementia germinabis. Sperantes quoque quod tu preclarus meritis et alias in spiritualibus et temporalibus circumspectus eandem ecclesiam salubri, dante Domino, regimine gubernabis, ipsaque utilis presidio munita pastoris optatis affluet incrementis, te tunc episcopum Burgensem de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis a vinculo quo tenebaris Burgensi ecclesie absolventes ac ad predictam Toletanam ecclesiam transferentes, te ipsi ecclesie Toletane in archiepiscopum prefecimus et pastorem, liberam tibi dantes licentiam ad eandem Toletanam ecclesiam transeundi, tibique palleum insigne, videlicet pontificalis officii cum qua decuit instantia postulatum fecimus assignari. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus — Dat. Rome apud Sanctum Petrum idibus maii anno tertio ».

In e. m. capitulo ecclesie Toletane.
In e. m. clero civitatis et diocesis Toletanis.
In e. m. populo civitatis Toletane.
In e. m. universis vassallis ecclesie Toletane.
In e. m. universis suffraganeis ecclesie Toletane.

In e. m. carissimo in Christo filio... regi Castelle ac Legionis illustri. Dat. ut supra.

650 Saint-Pierre, 14 mai 1280

Eidem pallium per J. Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem assignat. (Fol. 247; an III, n° 37.)

« *Eidem.* Cum palleum insigne —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum ii idus maii anno tertio ».

651 Saint-Pierre, 21 mai 1280

Ecclesie Burgensi, cujus provisionem sedi apostolice (cui nullo mediante subjecta est) reservavit, Fernandum, tunc fratrum Minorum ordinis professorem. preficit in episcopum, eique munus consecrationis impendit. (Fol. 247; an III, n° 38; Potthast 21719.)

« *Fernando episcopo Burgensi.* Consulte tunc utilitati —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xii kalendas junii anno tertio ».

In e. m. decano et capitulo ecclesie Burgensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Burgensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Burgensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Burgensis.
In e. m. carissimo in Cristo filio... regi Castelle illustri. Dat. ut supra.

652 Saint-Pierre, 7 mai 1280

Ecclesie Melfiensi, post translationem F. electi Melfiensis ad Urbevetanam ecclesiam, Sinibaldum fratrem ordinis Minorum olim inquisitorem, preficit in episcopum et ei munus consecrationis impendit. (Fol. 248; an III, n° 39, Potthast 21710.)

« *Sinibaldo episcopo Melfiensi.* In suppreme dignitatis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis maii anno tertio ».

In e. m. capitulo ecclesie Melfiensis.
In e. m. clero civitatis et diocesis Melfiensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Melfiensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Melfiensis.
In e. m. carissimo in Christo filio C. regi Sicilie illustri. Dat. ut supra.

653 Saint-Pierre, 20 avril 1280

Electionem in ecclesia Arborensi de P. tunc monacho S. Prosperi Reginensis factam confirmat, et ei munus consecrationis per episcopum Tusculanum impendi facit. (Fol. 248 v°; an III, n° 40.)

« *Venerabili fratri P. archiepiscopo Arborensi.* Rationis oculos intuentes etc. — Sane dudum Arborensi ecclesia per obitum bone memorie Aleardi archiepiscopi Arborensis pastore vacante, Arsotus archipresbiter et capitulum ejusdem ecclesie, primo quondam Egidium tunc archipresbiterum Turritanum et eo sublato de medio quondam fratrem Danielem, monachum monasterii Stamedei in Burgundia Cisterciensis ordinis in archiepiscopum Arborensem postularunt et postulando etiam elegerunt; verum postmodum eodem Daniele viam universe carnis ingresso et ejus corpore tradito ecclesiastice sepulture, Arsotus archipresbiter dicte

ecclesie et capitulum memoratum, die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse pro futuri substitutione pastoris, prout moris est, die ad hoc prefixa convenientes in unum ac procedere ad electionem hujusmodi per viam compromissi concorditer eligentes, dicto Arsoto archipresbitero, Trogodorio et Alberto canonicis predicte ecclesie potestatem providendi eidem ecclesie de pastore concorditer concesserunt, promittentes illum recipere in archiepiscopum quem ipsi ducerent eligendum, qui demum hujusmodi compromisso recepto, secedentes in partem, requisitis, prout postea dictis capitulo retulerunt, consiliis singularum personarum ipsorum capituli, in te tunc monachum monasterii sancti Prosperi Reginensis consensum unanimem direxerunt et tandem prefatus Arsotus archipresbiter sua et dictorum canonicorum vice in presentia dicti capituli te in archiepiscopum Arborensem postulando elegit et postulavit etiam eligendo. Cumque postmodum prefati capitulum a nobis humiliter postulassent per nos electionem hujusmodi confirmari, nos electionem ipsam et personam tuam per venerabilem fratrem.. episcopum Albanensem et dilectos filios nostros A. tituli Sancte Praxedis presbiterum et J. Sancte Marie in Vialata diaconum cardinales examinari fecimus diligenter. Et quia, prout ex eorum fideli relatione accepimus, electio hujusmodi est de persona ydonea canonice celebrata, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam et te prefecimus eidem ecclesie in archiepiscopum et pastorem tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque concepta —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum XII kalendas maii anno tertio. »

In e. m. capitulo Arborensi.
In e. m. clero civitatis et diocesis Arborensis.
In e. m. populo civitatis et diocesis Arborensis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Arborensis.
In e. m. universis episcopis suffraganeis ecclesie Arborensis. Dat. ut supra.

654 Saint-Pierre, 1er avril 1280

Regi Sicilie mandat quatinus archiepiscopum Capuanum super castro, quod Castellum ad Mare de Wulturno vulgariter nuncupatur, ejusque pertinentiis non ulterius molestet; eum monet quod, si adversus archiepiscopum jus aliquod sibi competere credat, illud coram papa prosequi poterit. (Fol. 249; an III, nº 41; POTTHAST 21701).

« *Carissimo in Christo filio C. illustri regi Sicilie.* Habet humilis et —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum kalendis aprilis anno tertio. »

655 Saint-Pierre, 14 mai 1280

Johanni electo Surrentino indulget quod Amalfitanus archiepiscopus vel quivis alius antistes catholicus gratiam et communionem apostolice sedis habens, ascitis secum duobus vel tribus episcopis catholicis et gratiam ipsius sedis habentibus, quos idem Johannes duxerit nominandos, munus consecrationis ipsi impendere valeant. (Fol. 249 vº; an III, nº 42.)

« *Johanni electo Surrentino.* Ea que juste deriderat —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum II idus maii anno tertio. »

656 Saint-Pierre, 15 mai 1280

Nicolao de Cusoach, quem ecclesie Darensi prefecit in episcopum, tunc absentem, ad papam personaliter accedenti, munus consecrationis impendit. (Fol. 249 vº; an III, nº 43; POTTHAST 21714; cf. 584.)

« *Nicolao de Cusoach episcopo Darensi.* Rationis oculis intuentes —. Ecclesie predicte prefecimus tunc absentem in épicopum et pastorem tibique tandem ad nostram presentiam personaliter accedenti tunc propriis nostris manibus consecrationis munus duximus impendendum, firma concepta fiducia —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum idibus maii anno tertio. »

Saint-Pierre, 13 mai 1280

In e. m. Carissimo in Christo filio... illustri regi Anglie. Regi regum —. Dat Rome apud Sanctum Petrum III idus maii anno tertio (ei mandat quatinus episcopo quecunque bona et jura ipsius ecclesie a suis officialibus seu ministris, sive subditis aliis illicite detentas restituat integre seu restitui faciat, et ejudem ecclesie libertates et jura strenue defendat.)

657 Saint-Pierre, 21 mai 1280

Monasterio Cerasiensi, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, Guillelmum, tunc priorem Sancte Margarete in Hellicuria, preficit in abbatem, eique munus benedictionis impendit. (Fol. 250; an III, n° 44.)

« *Guillelmo, abbati monasterii Cerasiensis, ordinis Sancti Benedicti, Bajocensis diocesis.* Militanti ecclesie disponente Domino etc. — Sane dudum monasterio Cerasiensi Bajocensis diocesis abbatis regimine destituto et duabus ibidem electionibus, una videlicet de Guillelmo de Sancto Gabriele, reliqua vero de Riccardo de Lauda ipsius monasterii monachis, in discordia celebratis, Henricus de Lauda et Johannes de Humeto, ipsius monasterii monachi, prosequentes electionem de Riccardo celebratam eodem electioni prefati Guillelmi se opponere curaverunt. Negotio itaque hujusmodi ad sedem apostolicam legitime devoluto, extitit super illo apud sedem eandem diutius disceptatum, et tandem iidem Guillelmus et Riccardus omne jus quod eis et eorum cuilibet in electionibus hujusmodi competebat libere in nostris manibus resignarunt. Nos autem hujusmodi resignatione recepta provisionem ipsius monasterii nobis ea vice duximus auctoritate apostolica reservandam, et postmodum paterna volentes sollicitudine precavere ne monasterium ipsum prolixe dispendia vacationis incurrat, ad personam tuam aciem apostolice considerationis extendimus, teque tunc priorem Sancte Margarete in Hellicuria Cluniacensis ordinis, Belvacensis diocesis, ipsi monasterio Cerasiensi de fratrum nostrorum consilio prefecimus in abbatem et tibi munus benedictionis duximus impendendum firmam spem fiduciamque tenentes —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum XII kalendas junii anno tertio. »

In e. m. conventui monasterii Cerasiensis ordinis Sancti Benedicti, Bajocensis diocesis.

In e. m. universis vassallis monasterii Cerasiensis.

In e. m. carissimo in Christo filio... regi Francorum illustri. — Dat ut supra.

658 Saint-Pierre, 12 mai 1280

Monasterio S. Martini Eduensis, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, fratrem Petrum de Brennio, tunc priorem de Vessaus Vivariensis diocesis, preficit in abbatem, eique munus benedictionis impendit. (Fol. 250 v°; an III, n° 45.)

« *Fratri Petro de Brennio abbati monasterii Sancti Martini Eduensis, ordinis Sancti Benedicti.* Circa curam quarumlibet — Sane monasterio Sancti Martini Eduensis ordinis Sancti Benedicti per obitum quondam Michaelis abbatis ejusdem pastoris regimine destituto, contigit in eo duas electiones, unam, videlicet de Johanne de Sancto Salvio Nivernensi, reliquam vero de Leobando de Tilio, Eduensis diocesis prioratuum prioribus ejusdem monasterii monachis in discordia celebrari. Orta igitur inter eosdem priores, occasione electionum ipsarum, materia questionis et hujusmodi electionum negotio per appellationem ad sedem apostolicam devoluto, demum priores ipsi, qui propter hoc personaliter ad presentiam nostram accesserant, sponte in nostris manibus resignarunt omne jus quod eis ex predictis electionibus competere videbantur. Nos vero, ne memoratum monasterium cujus statum prosperum affectamus prolixioris vacationis cogeretur incommoda deplorare, provisionem ipsius monasterii nobis ea vice de fratrum nostrorum consilio duximus reservandam, et demum ad personam tuam nostre considerationis aciem extendentes, te tunc priorem de Vessaus Vivariensis diocesis ejusdem ordinis, de cujus prudentia, vita et conversatione laudabili, morumque gravitate, bonum nobis a fidedignis testimonium perhibetur, predicto monasterio Sancti Martini de ipsorum fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis in abbatem prefecimus et pastorem, tibique plena ejusdem monasterii Sancti Martini tam in spiritualibus quam temporalibus administratione concessa benedictionis munus propriis manibus duximus impendendum, firma spe fiduciaque concepta etc., usque incrementis. Quocirca etc. —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum III idus maii anno tertio. »

In e. m. priori et conventui monasterii Sancti Martini Eduensis, ordinis Sancti Benedicti.

In e. m. universis vassallis monasterii Sancti Martini Eduensis, ordinis Sancti Benedicti.

In e. m. nobili viro... duci Burgundie —. Dat. ut supra.

659 Saint-Pierre, 30 mars 1280

Guillelmo episcopo Autisiodorensi concedit facultatem ut de bonis suis licite acquisitis libere testari valeat

ac de bonis mobilibus ecclesiasticis pro quibusdam expensis disponere possit. (Fol. 251 v°; an III, n° 46.)

« *Guillelmo episcopo Aulisidorensi.* Quia presentis vite conditio statum habet instabilem et ea que visibilem habent essentiam tendunt visibiliter ad non esse, tu hoc salubri meditatione premeditans diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque non per ecclesiam seu ecclesias alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dum viveres dispensationi seu administrationi commissis et que non fuerint altaris ministerio seu alicui speciali divino cultui vel usui deputata, pro decentibus et honestis expensis tui funeris et pro remuneratione illorum qui tibi viventi servierint sive sint consanguinei, sive alii, juxta servitii meritum, testari ac disponere possis et alias prius ecclesie tue ere alieno deducto, ut ipsa ecclesia non remaneat debitis obligata de ipsis in pios usus ac licitos convertendis, fraternitati tue plenam ac liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus autem ut in eorundem ecclesiasticorum dispositione bonorum, juxta quantitatem residui erga ecclesias a quibus eadem percepisti te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit et saluti anime tue videris expedire. Dat. Rome apud Sanctum Petrum III kalendas aprilis anno tertio ».

660 Saint-Pierre, 21 mai 1280

Willelmum, decanum Glasguensem, quem prior et capitulum ecclesie S. Andree in Scotia unanimiter elegerunt in episcopum, processu electionis per O. Tusculanum episcopum et G. Basilice XII apostolorum presbiterum et J. Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinales diligenter examinato, eidem ecclesie preficit in pastorem eique munus consecrationis suis manibus impendit. (Fol. 251 v°; an III, n° 47; POTTHAST 21720.)

« *Willelmo episcopo Sancti Andree in Scotia.* Onerosa pastoralis officii —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum XII kalendas junii anno tertio.

In e. m. priori et capitulo ecclesie Sancti Andree in Scotia, ordinis Sancti Augustini.

In e. m. clero civitatis et diocesis Sancti Andree in Scotia.

In e. m. populo civitatis et diocesis Sancti Andree in Scotia.

In e. m. universis vassallis ecclesie Sancti Andree in Scotia.

In e. m... regi Scotie illustri. Dat. ut supra.

661 Saint-Pierre, 19 mai 1280

Regi Sicilie mandat quatinus usurpationes, a justiciario Aprutino commissas, diligenter corrigat et jura ecclesie recuperanda et conservanda strenue defendat. (Fol. 252; an III, n° 48, POTTHAST 21718).

Carissimo in Christo filio.. regi Sicilie illustri. Mentem nostram clare circumspice fili carissime ut que de patris pectore prodeunt pleno intellectu suscipias, illaque tuis affixa precordiis comprehendas regali severitate retineas et devotis affectibus prosequaris. Tunc enim filii sinceritas sensibus paternis adjungitur inibi radicatur et clarius elucessit cum se illis devota sensibilitate confirmat. Nuper siquidem intellecto quod.. justitiarius Aprutinus aliqua castra, terras et alia loca ultra Truncum fluvium versus regnum Sicilie occupavit et detinet occupata, quibusdam ecclesie Romane vassallis exinde violenter ejectis, nos, quos ad conservationem jurium ipsius ecclesie commissa a Domino nobis officii potissime cura perstringit vias et modos perquirentes quibus jura ipsa non decidant sed potius conserventur ut vigeant provideri super hoc sollicite cupientes, dilecto filio.. abbati Montismajoris Marchie Anconitane rectori per alias nostras litteras sub certa forma mandamus ut certum modum in hac parte servare studeat pro hujusmodi recuperandis juribus et etiam conservandis. Quid indecentius quam si bona ipsius ecclesie taliter a fidelibus occupentur, cum ipsa ecclesia se cuilibet ex ipsis exhibeat in conservatione suorum jurium propitiam adjutricem. Quid si quasi exposita invadantur veluti carentia defensore cum ab ipsa ecclesia ab aliis alia defendantur. Quid si quasi in nullius bonis posita occupantibus concedantur veluti dominis vel custodibus destituta. Quid preter indecentiam horribilius quam sugentium ubera materna vorax aviditas, si post gustum dulcedinis

attractivis exasperetur morsibus propinatrix. Et quid si mater filios, quos suos confidit habere custodes, ipsos tandem sue substantie perciperet corrosores? Certe dum premissa et ipsius benignitatem ecclesie que in justitia prompta singulis etiam de se ipsa petentibus juris debitum observaret attendimus tunc precipue movemur et turbamur et merito, cum illos qui nostri sunt specialiter veluti sue salutis immemores, in hiis errare percipimus, contemptu nostro et nota ingratitudinis non vitatis. Et quia id te in ea parte contingit quod dictus justitiarius tuus officialis existit, nec deceret quod ex ejus temeritate quicquam tibi posset impingi quod mansuetudinem regiam devotione fulgentem, erga predictam ecclesiam quavis indecentia macularet, serenitatem tuam monemus rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus attente rememorans quantum te deceat in ecclesie prefate devotione fervere, ac non solum ejus evitare dispendia sed pro ipsius conservatione jurium te promptum exponere defensorem, cum in te illa quadam speciali securitate quiescat, procures et facias quod dictus justitiarius seu quicumque alii officiales homines vassalli vel subditi tui castra et alia predicta ad ipsam ecclesiam pertinentia, seu in quorum possessione per se vel alios eadem ecclesie dignoscitur extitisse libera et expedita sine qualibet difficultate dimittant, talia vel similia de cetero nullatenus presumpturi. Ita quod exinde celsitudinis tua studia merito commendare possimus, et urgente conscientia super hiis alia remedia querere non cogamur. Quod si forte dictus justitiarius vel quivis alius de premissis vel in premissis justitiam peteret parati sumus illam petentibus exhibere cum simus in hoc omnibus debitores. Et ut de intentione tua super premissis pleniorem notitiam habeamus, quod in hiis feceris tuis litteris harum seriem continentibus nobis per latorem presentium celeriter studeas intimare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xiii kalendas junii anno tertio. »

662 Saint-Pierre, 19 mai 1280

Abbati Montismajoris Marchie Anconitane rectori mandat quatinus castra et terras, quas justiciarius Aprutinus occupaverit recuperare procuret, alias in eud em et quoslibet alios sequaces ipsius censura ecclesiastica animadvertat. (Fol. 252 v°; an III, n° 49; POTTHAST 21717.)

« .. *abbati Montismajoris Marchie Anconitane rectori*. Quam plurium relatibus — Dat. ut supra. »

663 Saint-Pierre, 13 février 1280

Precipit ut in villa de Caroloco, Matisconensis diocesis, monachi Cluniacenses, qui jam executioni mandati Alexandri pape restiterunt, fratribus ordinis Minorum conventum edificare permittant. (Fol. 253; an III, n° 50; POTTHAST 21679.)

« *Nicolaus etc. ad perpetuam rei memoriam*. Olim ex relatione — Dat. Rome apud Sanctum Petrum idibus februarii anno tertio. »

664 Saint-Pierre, 13 février 1280

Archiepiscopo Bisuntino, cui jam de eodem negocio scripsit, Matisconensi et Bellicensi episcopis mandat quatinus conventui Cluniacensi districte precipiant ut, quantum in eis est, opem et operam efficaces impendant quod abbas, prior et monachi plene observent omnia in ipsorum ordinatione contenta; et eosdem, si obedire neglexerint, citare procurent ut infra trium mensium spatium quatuor de monachis memorati prioratus ad presentiam. pontificis destinare studeant (Fol. 254; an III, n° 51.)

« *Venerabilibus fratribus... archiepiscopo Bisuntino et... Matisconensi ac... Bellicensi episcopis*. Olim ex relatione dilectorum filiorum... ministri et fratrum ordinis Minorum in Burgundia etc. ut in proxima superiori usque plenam justitiam faceremus tibi frater archiepiscope et venerabili fratri nostro.. episcopo Cabilonensi per alias nostras litteras injungentes, ut si prefati abbas, prior et conventus infra predictum tempus non parerent eisdem monitis et mandatis,tu frater archiepiscope vel idem episcopus Cabilonensis eos ex tunc ex parte nostra peremptorie citare curaretis, ut infra trium mensium spatium etc. usque nos facere contingeret recepturi te nichilominus tu predicte archiepiscope ac memoratus episcopus denuntiaretis eisdem etc. verbis com-

petenter mutatis, usque non parentibus predictis monitis et mandatis, tu dicte archiepiscope duxeris ad hujusmodi citationem et denuntiationem juxta formam mandati apostolici procedendum, tamen hujusmodi quatuor monachi in assignato ad hoc a te archiepiscope predicto termino nostro se conspectui minime presentarunt, quamquam aliquis etc. usque inviolabiliter observetur. Si vero dictus abbas id juxta hujusmodi precepto nostri tenorem infra decem dies postquam predicta nostra ordinatio ad eorum notitiam potuerit verisimiliter pervenire et per vos secundum tenorem presentium fuerit publicata non curaverit adimplere etc. usque vel quomodolibet retardari. Et nichilominus tam dicti abbas, conventus ejusdem monasterii Cluniacensis, si conventus ipse juxta preceptum apostolicum per vos eisdem conventui auctoritate presentium in virtute obedientie faciendum.etc.usque provenire compositionem amicabilem non contingat, per vos ad inquisitionem, citationem, denuntiationem et remissionem sub certis modis et formis faciendas in hujusmodi negotio procedatur prout in presentibus seriosius continetur. De vestra igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios predictam ordinationem apud predictam villam Cariloci et Cluniacensem vel alibi, juxta vestre discretionis arbitrium, unde verisimile sit quod ad eorundem abbatis, conventus et monachorum possit pervenire notitiam, primitus publicantes conventui Cluniacensi predictis in virtute obedientie precipiatis districte ut, quantum in eis est, opem et operam efficaces impendant, quod abbas, prior et monachi prefati plene observent omnia supradicta in eadem vestra ordinatione contenta. Quod si dicti conventus in hoc inobedientes extiterint, nos viginti monachos de ipso conventu sic inobedientes,si tot fuerint vel etiam pautiores si vicenarium numerum non attingant suspensionis sententiam incurrere decernimus ipso facto. Exponatis insuper memoratis conventui quod durius et gravius contra eos, si eorum pertinatia exegerit, procedemus, quodque ipsi exinde penam privationis omnium privilegiorum et indulgentiarum eis et dicto monasterio Cluniacensi concessorum per nos pro tante inobedientie vitio infligendam merito poterunt formidare; illos etiam qui occasione premissorum excomunicationis seu suspensionis sententias per nos, ut predicitur, promulgatas incurrere forsan contigerit, excomunicatos et suspensos usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, in locis, in quibus expedire videritis,diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, publice nuntietis. Postquam autem memorati fratres juxta tenorem predicte nostre ordinationis in loco fuerint supradicto, nisi prius intercesserit concordia inter partes, ad prefatam questionem inter partes ipsas amicabiliter sopiendam interponatis sollicite partes vestras. Et si forte id infra unius mensis spatium non poterit provenire, extunc ex officio nostro infra tres menses predictum unum immediate sequentes de plano et sine strepitu judicii diligenter inquiratis an prefatus locus feudalis seu censualis dicti prioratus existat et utrum omnia loca predicte ville Cariloci sint feudalia seu censualia et que sint talia et que non et an in alia parte ipsius ville possint dicti fratres commodius et cum minori scandalo dictorum prioris et monachorum locum sufficientem habere, testes quos super hoc tam prior et monachi ejusdem prioratus, quam fratres predicti producere voluerint ad perhibendum veritati testimonium admittendo, necnon et de omnibus circumstantiis que super hoc fuerint attendende universum processum quod super premissis per vos habitus fuerit, sub vestris inclusum sigillis nobis fideliter transmissuri, et nichilominus prefatos abbatem et conventum Cluniacenses, necnon dictos priorem et monachos dicti prioratus per vos vel per alium seu alios ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi, quatuor de monachis memorati prioratus fidedignos, odientes malum Deumque timentes, pacis et concordie amatores, ad hujusmodi negotium sufficienter instructos, per quos super predictis possit veritas repperiri, ad presentiam nostram studeant destinare, per eosdem monachos habentes ab ipsis abbate, priore et conventu dicti prioratus super hiis mandatum sufficiens, apostolicum subituri judicium de plano et sine strepitu judicii exercendum, vel provisionem, ordinationem seu compositionem quam super premissis faciendam duxerimus recepturi denuntiaturi eisdem, quod sive taliter coram nobis in assignando eis a vobis ad hoc termino comparuerint sive non, nos extunc in eodem negotio, prout nobis fuerit, procedemus, eorum absentia non obstante. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceritis nobis per vestras litteras, harum seriem

continentes, studeatis fideliter intimare. Dat. ut supra. »

665 Saint-Pierre, 21 mai 1280

Electionem de R. archidiacono factam, a tempore Gregorii decimi pape contestatam, et a tribus cardinalibus examinatam confirmat; eundem ecclesie Caturcensi preficit in episcopum. (Fol. 256 v°; an III, n° 52.)

« *R. episcopo Caturcensi.* Ecclesia Caturcensi per mortem bone memorie B. episcopi Caturcensis du dum pastoris solatio destituta, capitulum ejusdem ecclesie die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum ac tandem tam ipsi quam dilectus filius... abbas monasterii Marciliacensis, qui de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine vocem in electione Caturcensis episcopi dicitur obtinere, procedere ad electionem hujusmodi per viam scrutinii unanimiter eligentes, magistros Guillelmum de Sinhargas Sancti Sereni et Guillelmum Bartholomei Montispensati archidiaconos et Guillelmum de Magnomonte cantorem ejusdem ecclesie votorum suorum scrutatores concorditer elegerunt, qui sua et eorundem vota secreto et singillatim diligentius perscrutati, mox eidem capitulo et abbati scrutinium hujusmodi publicarunt, ex cujus publicatione comperto quod cum ad electionem hujusmodi prefato Marciliacensi abbate ac procuratoribus duorum ex dicto capitulo, qui legitimis impedimentis detenti electioni hujusmodi interesse non poterant, computatis, vigintiquinque vocem habentes in illa tantummodo convenissent, idem abbas Marciliacensis et alii duodecim ex eodem capitulo in te tunc archidiaconum Caturcensem, septem vero in .. abbatem monasterii Moysiacensis Cluniacensis ordinis, reliqui vero in diversos direxerant vota sua, diligenti numeri ad numerum zeli ad zelum et meriti ad meritum collatione prehabita dictus Guillelmus Bartholomei unus ex predictis, tuis electoribus, te suo, dicti abbatis Marciliacensis et reliquorum undecim in te consentientium nomine ac mandato elegit in episcopum Caturcensem, memoratis septem, qui in dictum abbatem Moysiacensem ut premittitur consenserunt, ipsum postulando eligentibus et postulantibus eligendo. Negotio gitur hujusmodi ad sedem apostolicam per appellationem legitime devoluto, felicis recordationis G. papa X. predecessor noster bone memorie V. Penestrinum episcopum in ipso concessit partibus auditorem, coram quo, cum tres ex electoribus tuis tuam electionem confirmari et dictam electionem seu postulationem Moysiacensis abbatis cassari seu cassam et irritam nuntiari, eligentes vero sive postulantes dictum abbatem Moysiacensem admitti electionem seu postulationem ejusdem et infirmari tuam electionem instantius postularent, libellis super hoc utrinque oblatis, super eis litis contestatio facta et juramenta de veritate dicenda fuerunt prestita hinc et inde. Verum postmodum comperto quod dictus abbas non consenserat electioni de se facte, extunc eam nemine prosequente super libello pro parte ipsorum postulantium seu eligentium Mosiacensem abbatem non extitit plus processum. Super libello autem tuam electionem prosequentium, licet fuerint coram eodem Penestrino positiones et responsiones facte ad eas, quia tamen per ea que acta fuerant coram eo non potuit apud sedem ipsam de hujusmodi negotio plene liquere, idem predecessor dilectis filiis.. archidiacono de Amiliano in ecclesia Ruthenensi, Ebolo de Ornahaco Lemovicensi et Hugoni de Rupeforti Agennensi ecclesiarum canonicis, sub certa forma suis dedit litteris in mandatis ut testes quos pro eorundem tuorum trium electorum et illorum qui se tibi, ut premittitur, opponebant, parte produci contingeret coram eis sapienter recipere et diligenter examinare curarent. Depositiones testium in scriptis redactas ad suam presentiam transmissuri, prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel per procuratores ydoneos apostolico se conspectui presentarent, justam, dante Domino, sententiam recepture. Porro dicti archidiaconus de Amiliano et college ipsius, receptis et examinatis testibus productis a tuis electoribus et tibi se opponentibus supradictis, depositiones ipsorum remiserunt ad sedem eandem, prefixo partibus termino juxta traditam sibi formam. Post quarum remissionem procurator dictorum trium electionem prosequentium de te factam, coram dilecto filio nostro Jacobo Sancte Marie in Cosmedyn diacono cardinali, quem felicis recordationis Johannes papa predecessor noster eidem episcopo Penestrino in eodem negotio subrogaverat, auditorem pro parte dictorum se tibi opponentium nemine comparente in dicto termino a prefatis archidiacono de Amiliano

et collegis prefixo comparens et attestationes testium productorum ab hiis quorum procurator erat eidem cardinali presentans illas instanter petiit publicari. Cumque idem cardinalis in contumatiam partis adverse attestationes easdem publicari fecisset, ac pluries et peremptorie in audientia publica solito more citari partem adversam, ut exhiberet sibi attestationes, si quas haberet et de predictis jám publicatis, si vellet, reciperet copiam, primo procurator predictorum tibi se opponentium ab eo qui litem contestatus fuerat substitutus expresse renuntians et postmodum is qui, ut predicitur, per contestationem litis dominus factus erat, renuntiare offerens se paratum omnibus que tibi opposuerant, in ejusdem cardinalis constituti presentia dixerunt se velle insistere tantummodo circa eum quem inter cetera tibi objecerant litterature defectum, nec prosecutioni ejusdem negotii amplius institerunt diutius expectati. Sane sepefatus cardinalis Jacobus ad evidentiorem processus habendi justitiam eandem partem adversam necnon omnes, quos hujusmodi contingebat negotium, quique sua interesse credebant in audientia publica peremptorie fecit citari ut in prefixo ad hoc eis termino comparerent proposituri quicquid vellent contra te ac processum habitum in premissis. Et si non comparerent in eodem termino vel comparentes non proponerent aliquid rationabile quare id fieri non deberet, eis crastinum ejusdem termini ad diffinitivam sententiam audiendam peremptorium terminum assignavit. Cumque nullus in prefato ad hoc assignato termino aliquid contra te vel eundem processum proponere vel etiam comparere curasset, Nos nolentes eandem Caturcensem ecclesiam diutius vacationis dispendia sustinere, super hiis et aliis hujusmodi negotii circumstantiis per eundem cardinalem facta nobis relatione fideli te per venerabilem fratrem... Albanensem episcopum et dilectos filios nostros G. basilice XII apostolorum presbiterum et prefatum J. cardinales examinari fecimus diligenter, et quia per eorumdem episcopi et cardinalium examinationem inventus es in litteratura sufficiens, nichilque de objectis ab adversa parte contra te fuisse probatum, ac electionem tuam canonice celebratam invenerimus, ipsam, de fratrum nostrorum consilio, exigente justitia, duximus confirmandam, ac te prefecimus eidem Caturcensi ecclesie in episcopum et pastorem, tibi postmodum munus consecrationis nostris impendendo, firma spe fiduciaque concepta quod. — Dat Rome apud Sanctum Petrum xii kalendas junii anno tertio ».

In e. m. capitulo Caturcensi.

In e. m. clero Caturcensium civitatis et diocesis.

In e. m. universis vassallis ecclesie Caturcensis.

In e. m. communitatibus civitatis et diocesis Caturcensium.

In e. m. carissimo in Christo filio... regi Francie illustri.

In e. m. venerabili fratri... archiepiscopo Bituricensi. Ad cumulum tue cedit salutis et fame. etc. — Dat. ut supra.

666 Soriano, 28 juin 1280

Duas postulationes de Bathoniensi et Wellensi episcopo factas, primum in ecclesia Cantuariensi deinde in ecclesia Wintoniensi, non admittendas declarat, et provisionem ecclesie Wintoniensis sedi apostolice reservat. (Fol. 258; an III, n° 53.)

« *Nicolaus. etc. Ad perpetuam rei memoriam.* Non multo transacto jam tempore Cantuariensis ecclesia per translationem bone memorie R. Portuensis episcopi, tunc archiepiscopi Cantuariensis, solatio destituta pastoris, capitulum ipsius ecclesie venerabilem fratrem nostrum R. Bathoniensem et Wellensem episcopum in Cantuariensem archiepiscopum postularunt, et nobis postulatione hujusmodi presentata ipsam et eam contingentia quibusdam ex fratribus nostris juxta modum quem in hiis Romana servat ecclesia examinanda commisimus diligenter, qui postulatione ac contingentibus eisdem discussis quod perceperunt ex eis nobis provide retulerunt. Sane per ea que ex hujusmodi relatione percepimus et nonnulla alia dicte postulationis negotium contingentia ad nostram et fratrum nostrorum audientiam non leviter a fidedignis prolata, propter que postulationem eandem sana conscientia nec poteramus nec debebamus admittere, ac credebamus divino beneplacito magis acceptum quod idem Bathoniensis et Wellensis episcopus in ea vocatione ad quam vocatus est videlicet in Bathoniensi et Wellensi ecclesia remaneret, quam quod ad ipsam Cantuariensem ecclesiam transferretur et nulla juris necessitas nos ea que, ut predicitur, ad nos et fratres eosdem pervenerant postulantibus seu postulato patefacere vel

eis presentibus indagare constringeret sed ad non admittendum postulationem ipsam, que a sola gratia dependebat, ex ipsis nostra et dictorum fratrum informatio rationabiliter percepta sufficeret, commoti ex causis urgentibus et stimulis conscientie coartati postulationem non admisimus supradictam. Nuper autem vacante Wintoniensi ecclesia per obitum bone memorie Nicolai Wintoniensis episcopi, capitulum ipsius Wintoniensis ecclesie predictum Bathoniensem et Wellensem episcopum in Wintoniensem episcopum postulantes, nobis postulationem hujusmodi factam in ipsa Wintoniensi ecclesia per speciales procuratores et nuntios presentarunt. Nosque postulationem ipsam sic propere post prefatam postulationem de ipso, ut premittitur, episcopo non admissam quasi e vestigio subsecutam admirantes audivimus, cum non esset verisimile id quod de ipso episcopo in prefata Cantuariensi postulatione contigerat Wintonienses monachos latuisse, quod sic publice per nos factum fuerat sic patenter per provisionem Cantuariensi ecclesie per regnum Anglie publicatum, nichilominus tamen postulationem ipsam et eam contingentia per venerabilem fratrem B. Albanensem episcopum et dilectos filios nostros S. tituli Sancte Cecilie presbiterum et M. Sancte Marie in porticu diaconum cardinales examinari fecimus, ut est moris, quibus postulationem et contingentia discutientibus supradicta, factaque nobis relatione fideli comperimus quod lapsus temporis, qui modicus est, non sic verisimiliter in persona dicti episcopi objecta preterita, ipsorumque sequelam poterat diluisse, quod eorum consideratio negligenda foret aut deberet omitti, presertim cum fidedigni relatus nonnulla de ipsis objectis nova assertione firmarint sicque ad huc premissa obsistentia predicte postulationi de dicto Bathoniensi et Wellensi episcopo facte in predicta Wintoniensi ecclesia obsistebant, et preter illa nonnulla alia in secunde postulationis processu postmodum emerserunt que nedum conjuncta prioribus sed per se absolute pensata animum nostrum ad non admittendum postulationem ipsam, que dependebat a gratia, retrahere merito et poterant et debebant, cum etiam si eidem postulato jus quesitum fuisset ex postulatione hujusmodi, sicut ex electione quereretur electo ad declarationem seu determinationem juris hujusmodi absque sollerti discussione procedi nullo modo debuisset nisi presentibus partibus vel saltem postulato eodem et alias juris ordine observato, quod tamen sine tractu prolixi temporis et ipsius ecclesie spirituali et temporali multo dispendio fieri nullatenus potuisset, que provide vitare voluimus, sicut et debuimus, cum ad hoc in ipso postulationis negotio, que, ut dictum est, dependet a gratia, nulla juris necessitas nos artaret. Ad predictorum autem expressionem nec juris necessitate compellimur et ad illa tacenda deliberatione provida ex multis rationabilibus considerationibus coartamur. Quare non immerito premissa omnia cogitantes, predictam postulationem de prefato Bathoniensi et Wellensi episcopo factam in Wintoniensi ecclesia supradicta de fratrum eorundem consilio non duximus admittendam et predictam Wintoniensem ecclesiam a vacationum dispendiis preservare volentes ac intendentes quod apostolice sollicitudinis studiis per provisionem nostram vel remissionem seu commissionem electionis seu provisionis hujusmodi, aut alias etiam juxta dispositionem nostram prefate Wintoniensi ecclesie salubris, dante Domino, provisio subsequatur, provisionem eandem hac vice dispositioni et ordinationi nostre de apostolice potestatis plenitudine duximus reservandam, districtius inhibentes ne predictum capitulum prefate Wintoniensis ecclesie seu quicumque alii ad aliquam electionem, postulationem seu provisionem aliam de preficiendo sibi et ipsi Wintoniensi ecclesie episcopo vel pastore sine nostro expresso mandato quoquomodo procedant. Decernimus quoque nichilominus ex nunc irritum et inane quicquid super hiis vel eorum aliquo contra hujusmodi reservationem et inhibitionem nostras per eos et quemlibet alium vel alios scienter vel ignoranter extiterit attemptatum. Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis. etc. Dat. Suriano III kalendas julii anno tertio ».

667 Soriano, 7 juillet 1280

Capitulo Wintoniensi, non obstante reservatione predicta, electionem episcopi in eadem ecclesia restituit (Fol. 259; an III; n° 54.)

« *Dilectis filiis capitulo Wintoniensi.* Non multo transacto jam tempore etc. ut in proxima superiori, verbis competenter mutatis, usque prefate Wintoniensi ecclesie salubris, dante Domino, provisio sequeretur, provisionem eandem ea vice dis-

positioni et ordinationi nostre de apostolice potestatis plenitudine duximus reservandam, districtius inhibentes ne vos seu quicumque alii ad aliquam electionem, postulationem seu provisionem aliam, de preficiendo vobis et ipsi Wintoniensi ecclesie episcopo vel pastore sine nostro expresso mandato quoquomodo procedere curaretis. Decrevimus quoque nihilominus extunc irritum et inane quicquid super hiis vel eorum aliquo contra hujusmodi reservationem et inhibitionem nostras per vos et quemlibet alium vel alios scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et postmodum circa salubrem provisionem ejusdem Wintoniensis ecclesie, quam affectione paterna respicimus et mente tenemus, nostra studia convertentes et attendentes quod vos de personis ad hoc ydoneis, consideratis conditionibus et circumstantiis universis, notitiam habere poteritis pleniorem, experiri quoque volentes qualis vos ad personam que ipsi ecclesie competat et secundum Deum tante congruat dignitati gratia dirigat unitatis, ac sperantes quod quietius in hac parte nostris desideriis satisfiat, electionem pro futuri substitutione pastoris in dicta Wintoniensi ecclesia celebrandam vobis de speciali gratia duximus remittendam. Sic itaque vocatis illis qui de jure vel de consuetudine sunt vocandi, studeatis vobis et eidem Wintoniensi ecclesie non obstantibus reservatione et inhibitione predictis, de pastore ydoneo, dante Domino, canonice providere, quod nos spe, quam in hoc parte de circumspectione vestra gerimus non fraudemur, vosque possitis exinde apud Deum et homines merito commandari : Dat Suriano nonis julii anno tertio ».

668 Soriano, 18 juillet 1280

Archiepiscopo (Burdegalensi ?) et episcopo Engolismensi mandat quatinus episcopum Pictaviensem citare curent ut infra septem septimanas post citationem per se vel per procuratorem idoneum coram papa compareat, de negotio magistri Rampnulphi decani ruralis Asyanensis rationabiles excusationes ostensurus, et nichilominus infra quinque menses septem septimanas immediate sequentes cum omnibus actis personaliter se representet. (Fol. 259; an III, n° 55.)

« *Venerabilibus fratribus.. archiepiscopo et.. episcopo Engolismensi.* Si venerabilis frater noster G. Pictavensis episcopus, juxta debitum sui quod profitetur pastoris officii et doctoris, quod justum est diligentius sequeretur, proculdubio ad petram unde se ignorare non debet excisum doctrinam secutus propheticam prudentius attendisset et sedi apostolice, cujus sola benignitas ipsum in pastorem generose provexit et erexit favorabiliter ad pontificalis apicem dignitatis, obedientiam et reverentiam debitam studiosius exhiberet et juramentum nuper post suam consecrationem prestitum de fidelitate inter cetera ipsi sedi et papatus juribus conservandis curiosius observaret. Sed ipse, si a veritate subscripta non deviant, se a sui ordinis modestia exhibens alienum et maturitatis pontificalis expertem subitoque factus recepti beneficii reprehensibiliter immemor et ingratus ad gratiam auctoritati sedis ipsius detrahere nititur ejus exercitium, quod ampliare in discolas etiam nationes conari deberet ab hiis que ad eam spectant, excludere non sine temeritate multiplici presumendo. Pervenit siquidem ad audientiam nostram quod cum idem episcopus dilectum filium magistrum Rampnulphum decanum ruralem Asyanensem Pictavensis diocesis autoritate ordinaria per suas litteras citari fecisset, ut coram eo certo in hujusmodi citationis litteris comprehenso termino personaliter compareret super illis que suam personalem exigebant presentiam responsurus, decanus idem tamquam obedientie filius terminum ipsum preveniens coram ipso personaliter comparere curavit, et eodem episcopo tunc petente ut litteras et privilegia, si qua forsitan habebat, decanatum suum contingentia exhiberet, ipse primo quasdam litteras felicis recordationis Johannis pape predecessoris nostri, per quas sibi, ut asserit, est indultum ut juris canonici et civilis insistens studio ubi generaliter exercetur, fructus, redditus et proventus, decanatus sui Asyanensis et prebende quam in ecclesia Sancte Radegundis Pictavensis, cujus existit canonicus, obtinet, possit per quinquennium integre percipere, ac si personaliter in prefatis decanatu et ecclesia resideret, nec interim ad faciendum in eis personalem residentiam vel ad susceptionem superiorum ordinum teneatur neque ad id a quoquam valeat coartari. Non obstantibus predictorum decanatus et ecclesie contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento confirmatione sedis apostolice, seu quacunque firmitate alia roboratis sive quibuscunque indulgentiis, vel litteris apostolicis, quorumcunque tenorum existant, per quas in eisdem litteris non

expressas vel totaliter non insertas, effectus hujusmodi gratie impediri posset vel etiam retardari, et de quibus in eisdem litteris habenda foret mentio specialis et secundario quasdam alias testimoniales per quas constabat ipsum post indultum hujusmodi decretales legisse et aliquamdiu jura civilia in generali studio audivisse. Necnon et quasdam alias pie memorie Gregorii pape predecessoris nostri confectas super collatione sibi ab ipso G. predecessore facta de decanatu predicto et nostras etiam litteras per quas sibi duximus indulgendum ut per triennium in obsequiis carissimi in Christo filii nostri C. regis Sicilie illustris insistens fructus, reditus et proventus decanatus cui cura non iminet animarum et prebende predictorum cum ea integritate percipere possit, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperet si in eis personaliter resideret prefato episcopo exhibere curavit. Qui hujusmodi litteris diligenter inspectis cum aliqua contra tenorem litterarum hujusmodi nostre indulgentie obicere niteretur ipseque decanus respondisset eidem quod predicte littere bone essent, subito in hec verba prorupit, bene sumus ausi de pape privilegiis et potentia disputare. Cumque postmodum ab eodem fuisset episcopo requisitus, ut in manibus suis decanatum resignaret eundem vel ordinationi ejus se submitteret, super eo eodem episcopo asserente quod si sponte id faceret filius ejus esset, ipseque illud nimirum facere recusaret, idem episcopus comminatus extitit quod nisi sue in hoc acquiesceret voluntati decanatum predictum de facto, jure vel injuria infra mensis unius spatium persone ita potenti conferret, quod contra eum decanatum ipsum bene et viriliter tueretur. Ipso autem decano in termino supradicto in ejusdem episcopi presentia constituto, cum dilectus filius magister Bartholomeus de Roffiaco, canonicus ecclesie Sancti Hylari Pictavensis,precipuus ejusdem episcopi consiliarius, ab eo pro parte ipsius episcopi quereret an residentiam in decanatu predicto et utrum ad ordines se promoveri fecisset, ipse articulos, super quibus idem episcopus contra eum procedere intendebat, cum instantia postulavit et nichilominus dicto B. dicente ut responderet familiariter, decanus ipse respondit quod nec residentiam in jamdicto decanatu continuam, nec se ad sacerdotalem ordinem, quamquam esset diaconus, fecerat promoveri. Et cum petitioni articulorum ipsorum instaret tam episcopus quam B. prefati, certum sibi terminum assignaverunt et locum, in quibus articulis quibusdam quos ei per tabellionem quendam exhiberi mandarunt respondere curaret. Et quia hujusmodi terminum minime acceptabat pro eo quod ex illa causa suspectum habebat episcopum memoratum, quia tunc et alias etiam fuerat, sicut premittitur, comminatus, quod decanatum predictum de facto, jure vel injuria duceret conferendum, ipsum de non susceptis ordinibus, non facta residentia et alias suis verbis facilibus publice diffamando, prefatus adiecit episcopus quod saltem in decanatu ipso esset judex suus et illum jure vel injuria de facto conferret. Demum memoratus decanus comminationes ipsius episcopi metuens et intendens cautius illius evitare vexationem, quam sibi ac suis etiam inferebat, cum ipse quendam fratrem suum presbiterum ad quandam ecclesiam vacantem Pictavensis diocesis a vero patrono eidem episcopo canonice presentatum admittere contra justitiam recusaret et quibusdam clericis, familiaribus suis in possessionibus beneficiorum suorum eis auctoritate apostolica collatorum redderet se molestum super dicto decanatu, premissa dilatione pendente, ad sic importunam instantiam ipsius episcopi ejus se ordinationi submisit ita quod post quatuordecim septimanas computandas extunc ordinationem hujusmodi posset idem episcopus pro sua voluntate proferre, ipseque decanus observare teneretur eandem quodque interim nullas a sede apostolica litteras impetraret per quas idem episcopus minus posset hujusmodi ordinationem proferre juxta sue arbitrium voluntatis, nec uteretur etiam impetratis et quod decanatum nec in pape, ut submissionis hujusmodi verbis utamur, nec in alicujus manibus resignaret, et si forte contrarium ab eo contingeret attemptari prebendam ammitteret supradictam, de hiis omnibus observandis corporali ab ipso decano exacto et prestito juramento. Numquid igitur hec, si ut premisimus consonent facta relatibus, episcopum ipsum non perhibent a modestia proprie religionis extraneum, et pontificalis maturitatis observantiam non servantem ? Nam si dicendo se dictum decanatum jure vel injuria collaturum, quod loquebatur agitabat et mente, profecto in religioso presertim pontifice iniquum erat et prorsus absurdum ut se tam manifeste comminaretur injurium et in dispensatione precipue spiritualis rei cum injuria processurum. Si vero aliud intendens aliud vocis ministerio exprimebat

ipse discutiat qualis ex hoc quamque pontifici et religioso vel etiam presbitero cuilibet congruens illatio subsequatur, maxime cum sacerdotis mendacium sacrilegium non evadat. Numquid et iterum sic jactando se ausum de pape privilegiis et potentia disputare, se non reum temerarie presumptionis arguit et temeritatis periculose concludit. Et quidem non ignoramus quod si quisquam ad hoc ydoneus tamquam predicator aut doctor ad elucidandam veritatem et instruendum ignaros ut constanter resistere valeant ascendentibus ex adverso non solum de apostolica sed et de divina potentia sollicitudinem disputantis assumat, hoc non est dampnabile sed laudabile, non temerarium sed meritorium extimendum, decet enim ut solidatus intus virtutibus ad salutem et foris dono scientie spirituale ornatus ad lucrum frumenta in populis non abscondat, ne maledictionem abscondentibus imprecatam incurrat. Sed cum idem episcopus in predicta ructatione jactantie nec predicantis partes ageret nec docentis, quid aliud illa ipsius verba innuunt bene sumus ausi de pape privilegiis et potentia disputare, nisi eum satis aperte fateri se temerario ausu presumere illam in dubium revocare, cum inter peritos a quorum numero se, ut creditur ipse, non excipit, non de indubiis sed de dubiis potius soleat disputari. Certa namque putationes seu opiniones diversas aut varias quod negari non potest disputationis sonare vocabulum non admittunt. De privilegiis quoque scire debebat idem episcopus quod superioris est ea interpretari cujus et condere, cujus est etiam extimare, quem modum sui privilegii esse velit. Numquid et tertio ex premissis sepefatus episcopus non apparet sui quod premisimus juramenti minus sollicitus observator, dum ad jusjurandum memoratum, ut predicitur, adigendo decanum, ne decanatum predictum in pape vel alicujus manibus resignaret non absque grandis ingratitudinis vitio et indevotionis nota, que cum spontanea obedientia vix concurrit in decanatu eodem, illius licet frustra potestatem niti videbatur excludere, qui, ut precedentia indicant, de benignitate sola eam sibi concessit in illo. Porro non servat fideliter jura papatus qui papam excludit a suis, cum non sint alia papatus jura quam pape. Nos igitur attendentes quod in predicto prestito ab ipso decano et aliis hujusmodi juramentis semper intelligenda sunt jus et auctoritas superioris excepta, nec in nostre attentionis examine omittentes decanum ipsum ad premissa videri terrore minacis fervoris sibi presidentis inductum qui adimere poterat arbitrii libertatem, sicque suum in hiis consensum non tam fuisse liberum quam coactum predicta juramentum decani per alias nostras sub certa forma litteras relaxavimus, et ei remisimus de apostolice plenitudine potestatis submissionem et quamlibet obligationem habitam super illa cassavimus et irritavimus ac ea omnia viribus omnino carere, ipsumque decanum ad illorum observationem decrevimus non teneri. Et cum nonnulli asserant curam animarum ipsi decanatui non annexam, licet illum obtinentes de consuetudine jurisdictionem exerceant et excomunicent sue jurisdictioni rebelles, excomunicationis sententia utentes, ut creditur, veluti cohertione jurisdictioni cuilibet inherente sine qua saltem modica sicut jure cavetur jurisdictio nulla esset, episcopo inhibuimus memorato ne infra dictum triennium expressum in premissa nostra indulgentia prefato decano concessa et sequens immediate biennium, ad quod quidem biennium ipsam nostram indulgentiam sub eadem forma de speciali gratia duximus prorogandam, se de decanatu vel prebenda predictis, aut eorum quibuslibet pertinentiis seu fructibus, sine nostra licentia speciali aliquatenus intromictat ipsumque usque ad finem premissi quinquennii a dictorum decanatus et prebende collatione suspendimus et decrevimus manere suspensum. Decernentes nichilominus irritum et inane quicquid per eundem episcopum vel ejus auctoritate seu occasione per quemvis alium contra hujusmodi nostra relaxationem, remissionem, cassationem, irritationem, decretum et inhibitionem attemptatum est vel in posterum contigerit attemptari. Ceterum cum impunitas ausum parere soleat, ausus excessum, ne premissa si veritate nitantur impunita remaneant et aliis audatiam prebeant similia presumendi, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, vos vel alter vestrum per vos vel per alium, seu alios prefatum episcopum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra septem septimanas post citationem vestram per se si maluerit vel per procuratorem ydoneum, ad premissa et ea contingentia sufficienter instructum, compareat coram nobis, rationabiles super illis excusationes, si poterit, ostensurus et nichilominus infra quinque menses, predictas septem septimanas immediate sequentes, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis

personaliter nostro se conspectui representat, suam in premissis probaturus innocentiam vel justitiam, si quam habet. Alioquin super eisdem recepturus pro meritis et nostris beneplacitis pariturus, nisi dictus procurator quem miserit sic properaverit interim aliquam causam rationabilem ostendere coram nobis, propter quam a personali presentatione per nos merito haberi debeat idem episcopus excusatus, quod super excusatione sua, si eam admitti contigerit, et personalis comparitionis relaxatione ante decursum predictorum quinque mensium, nostre littere habeantur ad eum infra eorundem quinque mensium spatium transmittende. Ipsum enim a personali comparitione infra permissum quinque mensium terminum nolumus excusari nisi eo casu, dumtaxat, quo per nostras litteras remissio citationis hujusmodi ad ejus notitiam perveniret. Diem autem citationis et formam et quicquid inde feceritis per vestras patentes litteras, harum seriem continentes, nobis fideliter intimare curetis. Datum Suriano xv kalendas augusti anno tertio. »

669 Soriano, 16 juillet 1280

Infrascriptum monet quod juramentum suum relaxat, decernens irritum et inane quicquid per episcopum Pictaviensem contra hanc relaxationem attemptatum est vel in posterum contigerit attemptari. (Fol. 260 v°; an III, n° 56.)

« *Magistro Rampnulfo decano rurali Asyanensi Pictaviensis diocesis.* Si venerabilis frater noster G. Pictavensis episcopus juxta debitum sui quod profitetur pastoris officii et doctoris,. etc., ut in proxima superiori verbis competenter mutatis —. Dat. Suriano xvii kalendas augusti anno tertio. »

670 Soriano, 20 juillet 1280

Infrascriptis de eodem negotio mandat quatinus magistrum Rampnulfum non permittant super premissis ab aliquibus indebite molestari. (Fol. 261; an III, n° 57.)

« *Dilectis filiis.. cantori et magistris Hugoni Vigerii Xanctonensis et Petro de Pabēx Engolismensis ecclesiarum canonicis.* Si venerabilis — quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus dictum magistrum Rampnulfum vos vel duo aut unus vestrum non permittatis contra relaxationis, remissionis — super premissis per vos vel alium aut alios ab aliquibus indebite molestari. Quod si secus attemptatum est vel contigerit attemptari, vos id decernatis irritum et inane ac nullius existere firmitatis, illud quatenus de facto processit nichilominus revocantes, molestatores hujusmodi et contradictores si qui fuerint per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo . Non obstante —. Dat. Suriani xiii kalendas augusti anno tertio. »

671 Soriano, 9 juillet 1280

Cum Benzone rectore ecclesie de Netkerowe, R. regis Romanorum illustris notario dispensat ut non obstante defectu natalium, quem patitur de subdiacono genitus et conjugata, ad superiores ordines promoveri et ecclesiam de Netkerowe retinere vel aliud ecclesiasticum beneficium recipere libere valeat. (Fol. 261; an III, n° 58.)

« *Dilecto filio Benzoni rectori ecclesie de Netkerowe Warmatiensis diocesis notario carissimi in Christo filii nostri R. regis Romanorum illustris.* Testimonio de te nobis innuente laudabili, quod specialem a Domino gratiam consecutus geniture maculam, quam ex prohibita parentum copula contraxisti, probitate meritorum abstergis, dignum duximus ut a te illegimitatis notam apostolice plenitudo potestatis aboleat, cum eam dicatur adimere tuarum industria bonitatum. Hec igitur et grata tue devotionis obsequia, quibus te potissime in negotiis carissimi in Christo filii nostri R. regis Romanorum illustris exhibuisti multipliciter studiosum paterna meditatione pensantes ac sperantes quod quanto benignius te a nobis honorari perceperis, tanto ferventius ad querenda que Deo sint placita dirigaris, tuis supplicationibus inclinati tecum, ut tu, qui subdiaconus esse diceris, nonobstante defectu, quem pateris de subdiacono genitus et conjugata, in susceptis ministrare ordinibus, ad superiores promoveri et ecclesiam de Netkerowe, quam alias te canonice proponis adeptum, retinere vel illa dimissa aliud ecclesiasticum beneficium, etiam si curam habeat animarum, si tibi canonice

conferatur, recipere ac retinere libere valeas, auctoritate presentium de speciali gratia dispensamus, et confidentes quod in munificentie nostre gratia Deum patrem largitorem omnium recognoscas —. Dat. Suriani VII idus julii anno tertio. »

672 Soriano, 9 juillet 1280

Guillelmo de Hanonia, nato quondam Johannis de Avenis, thesaurario ecclesie Tornacensis indulget ut Cameracensem prepositurarn licite recipere ac eam una cum thesauraria predicta et canonicatibus et prebendis, quos in eisdem et in Lugdunensi, Cameracensi, Leodiensi ac Brugensi et Insulensi Tornacensis diocesis ecclesiis obtinet, insimul retinere libere valeat. (Fol. 261 v°; an III, n° 59.)

« *Dilecto filio Guillelmo de Hanonia, nato quondam Johannis de Avenis, thesaurario ecclesie Tornacensis.* Cum olim dilectus filius Johannes electus Metensis canonicatum, prebendam et thesaurariam, quos in Tornacensi ecclesia obtinebat, fecisset apud sedem apostolicam libere resignari, nos resignationem hujusmodi acceptantes, venerabili fratri nostro ..episcopo et dilectis filiis capitulo Tornacensibus dedisse dicimur sub certa forma nostris litteris in mandatis, ut te vel procuratorem tuum pro te in eadem ecclesia, in qua ad ipsum episcopum ipsius thesaurarie et prebendarum collatio pertinet, reciperent in canonicum et in fratrem, ac dictus episcopus de thesauraria cui cura non imminet animarum et prebenda predictis providere curaret, sicque predictus episcopus tibi de prebenda et thesauraria predictis auctoritate litterarum hujusmodi canonice dicitur providisse. Postmodum vero vacante prepositura Cameracensi ecclesie per resignationem Johannis de Rumegni, tunc ipsius Cameracensis ecclesie prepositi, dilecti filii.. decanus et capitulum ipsius Cameracensis ecclesie, ad quos in ea prepositi electio pertinere dicitur, te in predicte Cameracensis ecclesie prepositum canonice ac concorditer sicut asseritur elegerunt. Nos autem personam tuam favoris apostolici gratia prosequentes ac intendentes quod eo devotius ad salubria dirigaris, quo benignius te a nobis perceperis specialibus gratiis honorari, tuis supplicationibus inclinati, ut eandem prepositurarn, cui similiter cura non imminet animarum, licite recipere ac eam una cum thesauraria predicta et canonicatibus et prebendis, quos in eisdem et in Lugdunensi, Cameracensi, Leodiensi ac Brugensi et Insulensi, Tornacensis diocesis, ecclesiis obtines, insimul retinere libere valeas, constitutione generalis concilii, sive qualibet alia contraria super hoc edita, non obstante, tibi auctoritate presentium indulgemus. Proviso quod prepositura et thesauraria predicte debitis obsequiis non fraudentur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. —. Dat. Suriani VII idus julii pontificatus nostri anno tertio. »

673 Viterbe, 19 septembre 1279

Privilegium a Celestino papa tertio Simoni decano et capitulo ecclesie S. Petri Eboracensis eorumque successoribus concessum, (die 14 mensis junii, anno 1194, Rome apud S. Petrum datum), cujus tenorem de verbo ad verbum presentibus litteris fe cit annotari, confirmat. (Fol. 261 v° n° 60, an II (*sic*).

« *Universis Christi fidelibus, ad quos littere iste pervenerint. Salutem.* Privilegium felicis recordationis Celestini pape III, predecessoris nostri, non abolitum, non cancellatum, non vitiatum, vera bulla bullatum, inspeximus diligenter, cujus tenorem una cum superscriptionibus ejusdem predecessoris ac episcoporum, presbiterorum et diaconorum cardinalium, in privilegio ipso factis, de verbo ad verbum, ex certa scientia, presentibus fecimus annotari. Decernentes ac statuentes ut idem tenor eandem vim eundemque vigorem ac idem robur per omnia obtineat sic insertus, que idem privilegium, bulla ipsa munitum obtinere noscitur, etiam si nunquam in posterum appareret et eadem sibi fides in judicii et extra judicium adhibeatur omnino, que predicto originali privilegio preberetur. Predictus vero tenor ejusdem privilegii talis est. Celestinus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Simoni decano et capitulo ecclesie Sancti Petri Eboracensis eorumque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Cum Romana ecclesia, cui dante Domino presidemus, justis postulantium votis pia semper consueverit benignitate adesse, dignum est et consonum rationi ut illi de speciali ejus presidio et protectione confidant et possint ea contra maligno-

rum incursus tamquam obtate defensionis clipeo premuniri, quorum fides et devotio in honore ipsius et reverentia certo rerum experimento probatur. Ea propter, dilecti in Domino filii, justis postulationibus vestris clementer annuimus et ecclesiam vestram, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia impresentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit, adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet villam de Daltoñ cum pertinentiis, villam de Cotum cum pertinentiis, villam de Wrotherton cum ecclesia et molendinis et aliis omnibus pertinentiis, villam de Helperbi cum pertinentiis, terram de Wolfrikebi cum pertinentiis, terram de Gisppesmate cum pertinentiis, terram de Ledesham cum pertinentiis, terram de Hotoñ cum pertinentiis, terram de Scherpinghec cum pertinentiis, ecclesiam de Burgo cum capellis et omnibus aliis pertinentiis, ecclesiam de Lanum cum capellis et decimis molendinorum archiepiscopi et omnibus aliis pertinentiis, ecclesiam de Burtoñ cum pertinentiis, ecclesiam de Lessingtoñ cum pertinentiis, ecclesiam de Quetungkebur cum pertinentiis, ecclesiam Sancti Johannis ad Pontem in Eboraco, ecclesiam Sancti Johannis in Marisco, ecclesiam Sancti Laurentii in Walbegate cum pertinentiis infra civitatem et extra, ecclesiam Sancti Andree in Keemangeregate, ecclesiam Sancti Martini in Kuningstrete, ecclesiam Sancte Marie ultra Usam cum pertinentiis infra civitatem et extra, sexaginta solidos de manerio de Patrigston, duas marcas argenti de nundinis Sancti Petri ad Vincula in Eboraco, de sinodalibus quadraginta solidos ad cantariam et centum solidos ad magistrum scolarum spectantes. Antiquas quoque et rationabiles ecclesie vestre consuetudines et hactenus observatas vobis et vestris successoribus confirmamus et decernimus eas in ecclesia vestra futuris temporibus absque contradictione cujuslibet firmiter observandas. Auctoritate nichilominus apostolica prohibemus ne archiepiscopus vester, qui pro tempore fuerit in decanum vel aliquam personam canonicos vel eorum ministros, sive clerici sint sive laici, aliquam excomunicationis, interdicti seu suspensionis sententiam contra immunitatem quam predecessores vestri et vos hactenus habuistis sine assensu decani et capituli audeat promulgare vel eos a choro arcere vel ab ecclesiarum ingressu. Quod si forte presumpserit eam decernimus non tenere. Statuimus insuper ne decanus, qui secundum Deum in ecclesia vestra fuerit institutus contra ecclesie vestre solitam libertatem et consuetudinem hactenus observatam hominum obtentu beneficii ecclesiastici archiepiscopo facere teneatur. Preterea paterno intuitu providere volentes ne in hiis, que ad vos spectare noscuntur, lesionem aliquam incurratis, electionem liberam magistri domus hospitalis Sancti Petri Eboracensis, sicut eam ex antiqua et approbata consuetudine hactenus ecclesia vestra obtinuit, vobis vestrisque successoribus confirmamus; ita quod qui fuerit ibi pro tempore assumendus non nisi per electionem vestram consuetam et canonicam assumatur. Et ne status ecclesie vestre temeritate qualibet circa observantias rationabiles detrimentum immutationis seu turbationis incurrat, dignitates, libertates, immunitates, que a regibus et principibus seu archiepiscopis vestris vobis et ecclesie vestre rationabiliter sunt concesse et a Romanis pontificibus approbate, sicut in regum seu principum vel archiepiscoporum necnon ipsorum Romanorum pontificum autenticis continentur, ratas esse censemus et eas perpetuam obtinere volumus firmitatem.

Prohibemus insuper ne archiepiscopus vel aliquis alius contra antiquam et approbatam Eboracensis ecclesie libertatem personas seu canonicos aut clericos vel homines vestros indebitis et inconsultis exactionibus pregravare vel pecuniaria pena mulctare presumat nec sine satisfactione debita relaxare sententias, quas capitulum vestrum secundum antiquam et approbatam ecclesie vestre consuetudinem in invasores rerum seu possessionum suarum illicitos aut temerarios detentores et in vestros homines graviter delinquentes rationabiliter duxerit proferendas. Ordinationem quoque canonicorum seu personarum, sicut ab ipsa fundatione loci hactenus est observatum, liberam esse decernimus, ut videlicet honesta et ydonea persona cui archiepiscopus vester vacantem in ecclesia vestra prebendam vel dignitatem duxerit conferendam, secundum antiquam ecclesie vestre consuetudinem, decano et capitulo presentetur. Receptus autem a capitulo in canonicum per librum et panem per

manum decani in capitulo debeat investiri. Postmodum vero in osculo fratrum receptus de conservanda fidelitate ecclesie vestre et libertatibus et consuetudinibus juri consentaneis pro juribus defendendis, secretis capituli non detegendis, juramentum consuetum et debitum interponat, et tunc de mandato decani et capituli per manum cantoris prout moris est installetur. Si quis vero contra consuetudinem istam antiquam et approbatam in ecclesia vestra per aliquem fuerit introductus nec pro persona nec pro canonico habeatur. Si vero archiepiscopus vester vacantem in ecclesia vestra prebendam vel personatum infra terminum Lateranensis concilii, secundum formam prescriptam, ydonee persone, canonica ammonitione premissa, non contulerit, liceat vobis auctoritate apostolica, nullius contradictione vel appellatione obstante, illam juxta ejusdem concilii statuta, conferre. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostre Jhesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Ego Celestinus catholice ecclesie episcopus subscripsi. Ego Albinus Albanensis episcopus subscripsi, ego Petrus Portuensis et Sancte Rufine episcopus subscripsi, ego Johannes Felix tituli Sancte Susanne presbiter cardinalis subscripsi, ego Fidantius tituli Sancti Marcelli presbiter cardinalis subscripsi, ego Johannes tituli Prisce presbiter cardinalis subscripsi, ego Bobo Sancti Theodori diaconus cardinalis subscripsi, ego Petrus Sancte Marie in Via-lata diaconus cardinalis subscripsi, ego Centius Sancte Lucie in Orchea diaconus cardinalis subscripsi. Datum Rome apud Sanctum Petrum per manum Egidi Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis XVIII kalendas julii indictione duodecima. Incarnationis dominice anno M°. C°. X C°. IIII°. pontificatus vero domini Celestini pape tertii anno quarto. Volumus autem nullum per hoc jus novum acquiri prefate Eboracensis ecclesie sed sibi antiquum solum modo conservari. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostre annotationis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii XIII. kalendas octobris pontificatus nostri anno secundo. »

FIN DES LETTRES COMMUNES DE LA TROISIÈME ANNÉE

INCIPIT REGESTRUM LITTERARUM CURIE TERCII ANNI

DOMINI NICOLAI PAPE TERTII

---

674 Sans date

H. decano ecclesie Matisconensis significat in causa, que super electione de ipso celebrata in Matisconensi ecclesia, tunc vacante, in curia tractata et in consistorium introducta fuit, quosdam opponentes exclusos fuisse; sed statutum a capitulo et ipso decano firmatum contra Ecclesie Romane auctoritatem et libertatem conspirationis labe maculatum esse, ideoque electionem eandem se cassandam duxisse, sibi reservans processum contra ipsum habitum. (Fol. 272; an III, Curiales, n° 1.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio H. decano ecclesie Matisconensis.* Conjurationum et conspirationum horrenda presumptio excusatione non labitur quin detecta legitime canonice puniatur. Sane causa, que super electione de te celebrata in Matisconensi ecclesia tunc vacante coram dilecto filio nostro S. Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali partibus auditore concesso tractata fuerat, tandem in nostrum consistorium introducta, tu super quibusdam manifestis defectibus, quos in visu, auditu et aliis corporeis sensibus nec non et in memoria et etiam intellectu te pati pars altera opponebta, ante omnia juxta formam constitutionis felicis recordationis G. pape X^mi predecessoris nostri edite in concilio Lugdunensi examini subici postulasti. Eadem parte renitente ac dicente inter cetera quod cum dicta constitutio non de manifestorum sed evidentium defectuum oppositione loquatur, in casu predicto in quo non evidentes sed manifesti defectus oppositi fuerant nequaquam sibi locum poterat vendicare, cum manifestum et evidens non idem per omnia dici possit, sed distingui soleat inter ea, et evidens manifestum cum quadam intensione dicere videatur, nos vero de fratrum nostrorum consilio quo ad intentionem constitutionis illius manifestum et evidens idem sup ponere declarantes, presertim cum nonnulla jura sic ea velut sinonima reputent quod idem statuunt in utroque, quia te per quosdam ex ipsis fratribus super eisdem examinato defectibus hujusmodi oppositio comperta est destitui veritate, opponentes a totius ejusdem cause prosecutione duximus excludendos. Ceterum nobis postmodum ex officio nostro cujusdam exceptionis opposite tibi examinationi vacantibus quedam cedula coram nobis et eisdem fratribus exhibita extitit cujus series perhibebat te ac Matisconense capitulum, ad hoc pulsata campana more solito convocatum, ordinasse, statuisse sollempniter et firmasse quod defendetis eandem ecclesiam et vos ipsos contra omnes impetrantes canoniam ipsius ecclesie usque ad jus quantum poteritis ad judicium domini pape, ut hujus statuti verbis utamur vel specialis mandati ipsius, et hec defensio fiat communibus expensis capituli et ecclesie procuratorio sigillato sigillo capituli et aliis litteris ad hoc necessariis sigillandis sigillo predicto, et quandiu fuerit aliquis de canonicis ejusdem ecclesie qui defensionem hujusmodi et oppositionem velit subire modo predicto, alii canonici non poterunt nec debebunt aliquem impetrantem recipere in canonicum nec habebunt eum pro canonico in capitulo vel extra. Tu quoque an predicta vera essent interrogatus a nobis tanquam veritatis amicus humiliter es confessus illa prout continebat cedula eadem acta esse, teque ordinationem et statutum hujusmodi proprio juramento firmasse. Porro quamquam aliqui dictum statutum propter verba illa usque ad jus et quantum de jure poterimus tolerabile reputarent, tamen in contrarium dicebatur statutum ipsum utpote conspirationem et conjurationem contra ecclesie romane

auctoritatem et libertatem manifeste continens non tam tolerabile quam detestabile ac prorsus illicitum nec per verba predicto in statuto ipso ad velamen iniquitatis et excusandas excusationes in peccatis adjecta posse aliquatenus excusari. Cum per ipsa eadem verba capitulo predicta et singulis ejus personis libertatem obedientiam eidem ecclesie romane debitam exhibendi saltem usque ad sententiam et pontificis romani judicium seu speciale mandatum liquido appareat interdici, hoc enim verba illa usque ad jus patenter insinuant presertim juxta vulgarem modum loquendi regionis illius in qua statutum dicitur promulgatum sic enim apud illius incolas qui super aliqua contentione seu controversia se offerunt jus paratos attendere, intelliguntur offerre se paratos sententiam observare sic et secundum legem pretor dum aliquid etiam inique decernit jus reddere dicitur relatione facta non ad id quod facit, sed quod facere debuisset. Arguebatur insuper idem statutum alias multipliciter reprobum et merito reprobandum. Nam et eidem Matisconensi ecclesie promptum futurorum gravaminum discrimen ingerit, et contra légitimas sanctiones laudabile volunt execrantium lites excludit bonam fidem agnoscere prohibet et adigit ad peccandum, siquidem ex illorum generalitate verborum videlicet contra omnes impetrantes de defensionis nomine quesito colore injustam etiam controversiam movere compellit et quod est absurdius unoquovis ex predictis canonicis forsan ex perversitate proprio vel ex odio seu alias volente in controversia etiam injuste mota persistere non solum in prosecutione ipsius eadem Matisconensis ecclesia gravamen et dispendium expensarum incurrit sed et ceteri canonici qui forte dictante conscientia hujus controversie cedere ac mandatis vellent apostolicis obedire ad persistendum in illa saltem ipso facto et ad inobedientiam per idem statutum contra conscientiam artantur inviti. Ideoque nos cum eisdem fratribus deliberatione prehabita de ipsorum consilio predictum statutum contra eandem ipsius ecclesie romane auctoritatem et libertatem conspirationis et conjurationis labe non vacuum, et te ipsum in statuendo et jurando predicta conspiratorem et conjuratorem non immerito reputantes, considerantes insuper quod adeo sacri canones hujusmodi criminum astutiam persecuntur, quod presumptores ipsorum non solum infames sed et a proprio gradu abiciendos esse decernunt, ne tantus a te presumptus excessus sub impunitate preteritus, alios ad similia presumenda suo pernitioso invitaret exemplo, electionem eandem de te ut premittitur celebratam justitia exigente cassandam duximus, cassam et irritam nuntiandam, arbitrium nobis reservantes expresse premissum processum contra te habitum, vel ex tam grandis consideratione reatus per executionem juris quo ad gradum decanatum et alia beneficia tua exagerandi rigore vel pensata premissa tua humili confessione aliisque circumstantiis mansuetudine temperandi. Nulli ergo etc. »

675 Saint-Pierre, 23 janvier 1280

Eidem H. decano ecclesie Matisconensis, qui humiliter sententiis pontificis acquievit, penam omnem remittit, et ipsi in integrum restituit decanatum et alia beneficia. (Fol. 272 v°; an III, n° 2.)

« *Dilecto filio H. decano Matisconensis ecclesie.* Conjurationum et conspirationum horrenda presumptio etc. ut in proxima superiori usque mansuetudine temperandi. Tu vero humilitate debita cassationi et reservationi hujusmodi acquiescens tibi postea circa statum et famam nec non predicta decanatum et beneficia per nos de apostolice sedis misericordia provideri cum instantia supplici petiisti. Licet autem processum hujusmodi justitie censura suggesserit, facultatem tamen ipsius mitigandi duritiam cum ad id considerata facti qualitas provocat maxime, cum sicut premittitur arbitrium nobis in hoc reservandum expresse duxerimus non ademit. Te itaque virum alias clare fame, honeste conversationis et vite ac etiam prefatam confessionem tuam humilem attendentes, et considerantes attentius quod maluisti sicut catholicum virum decet et ecclesiastice maxime persone congruit veritatem confitendo in causa predicta succumbere quam episcopalem cathedram cum remorsu conscientie obtinere, tuis hujusmodi supplicationibus annuendo penam omnem propter hujus modi conjurationem et conspirationem debitam tibi de gratia speciali remittimus, omnemque infamiam et cujuscunque note maculam quam exinde contraxisti de potestatis plenitudine abolentes, te in integrum restituimus, devotioni tue nichilominus ut premissis non obstantibus decanatum et beneficia eadem possis licite ac libere sicut ante idem statutum poteras retinere, nec

propter illa verba in ipsis decanatu et beneficiis vel alias tibi aliquod parari prejudicium aut interponi possit obstaculum misericorditer concedentes. Nulli ergo etc. nostre remissionis, abolitionis, restitutionis et concessionis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum x kalendas februarii anno tertio. »

676 Saint-Pierre, 20 février 1280

Magistro et conventui domus militie Templi Jerosolimitani mandat quatinus fratrem Pontium de Broet, qui apud regem Castelle de mandato sedis apostolice missus est et administrationem sibi commissam omittere debuit, excusatum habeant. (Fol. 273; an III, Curiales nº 3.)

« .. *Magistro et conventui domus militie Templi Jerosolimitani.* Dilectus filius frater Pontius de Broet vestri ordinis cum quibusdam aliis ad sedem apostolicam destinatus ad exponendum nobis statum Terre Sancte ipsiusque negotium apud catholicos mundi principes sicut nobis videretur expediens prosequendum pro ipsius utilitate negotii promovenda, de mandato nostro ad presentiam carissimi in Christo filii nostri.. regis Castelle ac Legionis illustris accedit. Ne igitur pro eo quod administrationem per te, fili magister, sibi commissam omittit interim prosequi per se ipsum notam alicujus forsan transgressionis incurreret, hec vobis presentibus nuntiantes volumus et devotioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus ipsum habeatis de omissione hujusmodi excusatum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum X Kalendas martii anno tertio. »

677 Saint-Pierre, 20 février 1280

A. regi Castelle ac Legionis de negotio Terre Sancte et gravibus periculis ejus scribit; nunciat se ad eum fratrem Pontium de Bruet, magistrum provincie ordinis militie Templi, ab ipsa Terra cum aliis destinatum, mittere; rogat et hortatur eum quatinus ipsum benigne audiat et per sedationem vel suspensionem discordie inter eum et regem Francorum vertentis liberationem dicte Terre faciliorem efficiat (Fol. 273; an III, Curiales, nº 4; Potthast 21683.)

« *Regi Castelle ac Legionis illustri.* Quanto Terre Sancte — Dat. ut supra. »

678 Saint-Pierre, 20 février 1280

Archiepiscopo Turonensi et episcopis per Turonensem provinciam constitutis indicat a tempori Joannis pape, predecessoris sui, de discordia inter reges Francie et Castelle sedanda, ad accelerandam promotionem negotii Terre Sancte, Sedis Apostolice sollicitudinem non defuisse; eos hortatur ut preces indicant publicas, atque orantibus ex ecclesiastico ritu indulgentias proponant. (Fol. 273 vº; an III, Curiales nº 5; Potthast 21684.)

« .. *archiepiscopo Turonensi et universis episcopis per Turonensem provinciam constitutis.* Salutaria et sollicite — Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas martii anno tertio. »

679 Saint-Pierre, 18 mars 1280

De juramentis a prelatis, cum primo ad ecclesias accedunt, et a laicis quibusdam in multis civitatibus et castris, cum quedam officia assumunt, non prestandis, hanc generalem constitutionem declarat. (Fol. 275 vº; an III, Curiales, nº 6; Potthast 21692).

« *Nicolaus etc. ad perpetuam rei memoriam.* Contingit in nonnullis ecclesiis de earum consuetudine observari, quod ipsorum prelati, cum primo ad ecclesias ipsas accedunt, vel cum de recipiendis ibidem novis canonicis agitur, nec prelati admittuntur nec canonici aliter recipiuntur in ipsis nisi jurent statuta et consuetudines ipsarum ecclesiarum scripta et non scripta inviolabiliter observare. Inter laicos etiam in multis civitatibus, castris et terris in suis potestatibus, rectoribus et officialibus assumendis consuetudinis modus irrepsit, quod potestates, rectores et officiales hujusmodi ad potestarias, rectorias et officia eadem, nisi prius servaturos se statuta ipsorum locorum clausa juraverint, nullatenus admittantur. Quia vero in statutis et consuetudinibus supra dictis interdum aliqua reperiuntur illicita seu impossibilia vel obviantia ecclesiastice libertati, ne sub tali generalitate jurandi sic jurantibus peccandi occasio prebeatur, cum juramentum non fuerit ut esset iniquitatis vinculum institutum, hac generali constitutione animarum periculis obsistere cupientes precipimus a quibuscunque scientibus contineri in predictis consuetudinibus et statutis illicita, impossibilia vel

libertati ecclesiastice obviantia, juramenta hujusmodi aliquatenus non prestari. Et talia juramenta, ea intentione facienda vel facta ut etiam illicita vel impossibilia seu libertati ecclesiastice obviantia observentur, cum etiam sub tali intentione prestari non possint absque divine majestatis offensa, decernimus in hujusmodi illicitis, impossibilibus seu libertati ecclesiastice obviantibus non servanda, quin potius pro animarum salute, si sub forma predicta vel simili aliquos, ignorantes predicta illicita seu impossibilia, vel libertati ecclesiastice obviantia jurare contigerit, ad observanda duntaxat licita, possibilia et non obviantia libertati ecclesiastice jurantium referri debet intentio. Declaramus quoque juramenta, sub hujusmodi generalitate qualitercunque et sub qualicunque verborum forma prestita vel prestanda ad licita, possibilia et libertati ecclesiastice non obviantia tantum extendi, ipsosque jurantes ad alia per prestationem juramenti hujusmodi non teneri. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xv kalendas aprilis anno tertio. »

680 Saint-Pierre, 31 mars 1280

Regem Francie rogat et obsecrat quatinus secundum litteras Gregorii pape decimi, cum consilio et assensu S. tituli S. Cecilie presbiteri cardinalis, tunc in regno apostolice sedis legato, liberaliter expensas pro Terre Sancte conservatione ministret. (Fol. 275 v°; an III, Curiales, n° 7.)

« *Carissimo in Christo filio.. regi Francie illustri.* Felicis recordationis Gregorius papa decimus predecessor noster sollerter attendens quam sit expediens ad liberationem Terre Sancte illud terre ipsius residuum quod christianitas obtinet usque ad tempus generalis passagii conservare, quot et quante ad conservationem hujusmodi necessarie sunt expense de fratrum suorum consilio per suas sub certa forma litteras statuit easdem expensas de totali decima que juxta lugdunensem concilium in regnis quibuslibet pro ipsius terre colligitur subsidio faciendas, ita quod de ipsis expensis ex decima cujusque regni pro rata quantitatis ratione ipsius decime colligende in eorum quolibet satisfactio prestaretur, ac celsitudinem regiam rogans et obsecrans in Domino Jhesu Christo ut divini numinis et tue salutis obtentu expensas que tibi et dilecto filio nostre S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali tunc in regno Francie apostolice sedis legato necessarie viderentur, pro conservatione hujusmodi ministrares tibi tuisque successoribus predictam decimam ut tibi et eis pro expensis quas ad hoc cum ipsius cardinalis consilio et assensu faceres de ipsa decima pro rata quantitatis colligende in regnis seu provinciis singulis plena satisfactio proveniret per easdem suas litteras obligavit. Et postmodum consulta meditatione considerans quod in taxatione rate predicte varie possent perplexitates incidere, que dilationem subventionis hujusmodi et satisfactionis pro expensis factis et faciendis in conservatione terre ipsius dampnosam inducerent, quam status ejusdem terre non sufficeret exspectare, ut promptius subventio ipsa procederet ad satisfaciendum de predictis expensis factis et usque ad idem generale passagium faciendis medietatem omnium que de ipsa totali decima percepta seu percipienda in regnis et terris quibuslibet collecta erant, seu etiam colligenda, ratione primi anni ejus temporis per quod juxta ejusdem concilii ordinationem ipsa decima predicto est deputata subsidio de ipsorum fratrum concilio per alias suas certi tenoris litteras in quibus de decima regnorum et terrarum carissimi in Christo filii nostri.. regis Castelle ac Legionis illustris fit mentio deputavit, decernens si quid post satisfactionem hujusmodi foret de predicta medietate residuum, in terre prefate utilitatem sicut antea converti debuerat convertendum prout in litteris eisdem plenius continetur. Nos itaque serenitatem regiam rogamus et obsecramus in domino Jhesu Christo quatenus ipsius obtentu qui dignatus est in terra eadem salutem humani generis operari, cum ejusdem cardinalis consilio et assensu quanquam ipsum nobis et universali ecclesia in dirigendis totius mundi et precipue terre predicte negotiis plurimum oportunum ad sedem apostolicam duxerimus revocandum, liberaliter expensas hujusmodi pro terre sepefate conservatione in temporis oportunitate ministres, satisfactionem pro expensis eisdem juxta premissam ordinationem predecessoris ipsius plenariam recepturus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum II kalendas aprilis anno tertio. »

FIN DES LETTRES CURIALES DE LA 3e ANNÉE ET DU PREMIER REGISTRE

SECOND REGISTRE

BULLES DE LA PREMIÈRE ANNÉE

---

681 Saint-Pierre, 5 février 1278

S. tituli S. Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato mandat quatinus vicedominum de Pisis, capellanum pontificis, canonicum Laudunensem, quem dudum captivum detineri fecit, pristine libertati restituat (Reg. 40. fol. 1; an I n° 1.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.* Nuper audivimus et audiendo mirati sumus quod tu dilectum filium vicedominum de Pisis capellanum nostrum canonicum Laudunensem sine causa rationabili dudum capi faciens eum fecisti diutius et adhuc facis detineri captivum. Verum preter ammirationem quam sicut premittitur incurrimus, super eo cogitare quandoque compellimur quod nobis nec olim dum in minoribus ageremus neque postquam apostolice dignitatis apicem licet immeriti divina vocatione conscendimus super captione ac detentione hujusmodi nuntio seu litteris aliquid intimasti. Cum igitur ipsius capellani premissa detentio libertati ecclesiastice ac honori nostro sicut per te ipsum debes advertere dinoscatur liquido repugnare, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus prefatum capellanum sine dilationis obstaculo pristine libertati restituas eumque prorsus liberum abire permittas, vel saltem sue captionis et detemptionis causam ejusque processum nobis quam citius rescribere non postponas, ut exinde plenius informati super hoc apponamus illius provisionis remedium quod secundum dictum viderimus apponendum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis februarii pontificatus nostri anno primo ».

682 Saint-Pierre, 25 mai 1278

Capitulo basilice principis apostolorum de Urbe dat licentiam vendendi et permutandi certam partem turrium, palatiorum, domorum, ruinarum, possessionum aliorumque bonorum, que quondam magister Matheus Alperini sedis apostolice capellanus in suo testamento dicte basilice reliquit et quoscunque super hiis iniendi contractus cum consensu M. Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, archipresbiteri ejusdem basilice, P. Firmani episcopi et Angeli de Vegosis camerarii. (Fol. 1; an I, n°2; POTTHAST 21325.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis... Capitulo Basilice principis apostolorum de Urbe. Salutem et apostolicam benedictionem.* Sicut exhibita nobis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum viii kalendas junii pontificatus nostri anno primo ».

683 Saint-Pierre, 25 mai 1278

Preceptori et fratribus hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, cui idem quondam magister Matheus Alperini certam partem possessionum suarum in Urbe in suo testamento reliquit, eamdem dat licentiam. (Fol. 2; an I, n° 3.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis...preceptori et fratribus hospitalis Sancti Spirius in Saxia de Urbe. Salutem et apostolicam benedictionem.* Sicut exhibita nobis vestra petitio continebat, quondam magister Matheus Alperini sedis apostolice capellanus certam partem turrium, palatiorum, domorum, ruinarum, possessionum et bonorum suorum in Urbe consistentium, hospitali vestro in suo testamento reliquit, et expe-

diret eidem hospitali partem ipsam tanquam minus utilem cum rebus utilioribus commutare. Nos itaque attendentes quod licet ecclesiasticarum rerum alienationes regulariter jura prohibeant, ne tamen omnino commode provisionis via et occasio venerandis ecclesiis et locis ecclesiasticis profutura videatur exclusa aut ipsa fieri ecclesiarum et locorum eorumdem exposcit utilitas, ut in hiis meliora prospiciant, alienationes fieri canones permiserunt, ad id et aliaque profectus hospitalis predicti respiciant eo libentius studia nostra convertimus, quo majora per hoc poterunt eidem hospitali utilitates et commoda procurari, ac sperantes quod dilectus filius M. Sancte Marie in porticu diaconus cardinalis, cui cura hospitalis predicti est ab apostolica sede commissa, et quem ad hospitalem prefatum specialem affectum habere percipimus, et eorum que ipsius hospitalis incrementa respiciant existere promotorem, quod in hac parte magis expediat fideli et provida circumspectione discernet, devotioni vestre vendendi, permutandi, seu quarumcumque aliarum alienationumgel neribus cum quibuscunque personis ecclesiasticis vesecularibus distrahendi partem eandem, et quidquid in turribus, palatiis, domibus, ruinis, posses sionibus et bonis predictis ea eodem testamento vel alio quocunque jure spectat seu pertinet ad hospitale memoratum, et quoscumque (*sic*) venditionis, locationis et alios super hiis iniendi contractus, et illos roborandi, perficiendi ac plenis, ydoneis et necessariis cautionibus et firmitatibus solidandi de consensu cardinalis ejusdem et venerabilis fratris nostri P. episcopi Firmani, ac dilecti filii Angeli de Vegosis camerarii nostri, quos ad hospitale ipsum affectum specialis affectionis habere percipimus, consilio et assensu, prout eis expedire videbitur, consuetudinibus vel statutis hospitalis predicti contrariis juramento, confirmatione sedis apostolice vel quacunque alia firmitate vallatis, constitutionibus, privilegiis et indulgentiis quibuscunque, per que premissa possent quomodolibet impediri, nequaquam obstantibus plenam et liberam auctoritate presentium licentiam impertimur. Volumus autem quod partium seu quodcumque aliud quod ex venditione, alienatione seu distractione hujusmodi provenire contigerit in utilitatem dicti hospitalis convertatur. Ita videlicet quod si res immobiles fuerint perpetuis usibus ipsius hospitalis applicentur, naturam aliarum similium rerum ejusdem hospitalis de jure am in retinendo quam in alienando per omnia sortiture. Si vero pecunia inde provenerit, illa statim, si commode fieri poterit, in emptionem rerum immobilium hospitali ut premittitur applicandarum eidem convertatur. Alioquin in ede sacra sub fida cautela et fidelitate sollicita deponatur. Et si res mobiles seseque moventes in quibuscumque (*sic*) consistant fideli custodia conserventur ipse vel earum partium, ac dicta pecunia sic deposita in emptionem similem, prout celerius et commodius fieri poterit, convertende de predictorum cardinalis, episcopi et camerarii consilio et assensu. In hiis quoque seu quibuscumque aliis que in premissis et circa premissa seu occasione premissorum agi contigerit, alienando, distrahendo, vendendo, commutando, transigendo, paciscendo, cedendo, transferendo, renuntiando, quietando, omittendo et contrahendo, seu quocunque modo alio faciendo ejusdem hospitalis attendatur utilitas, et ejus indempnitatibus de predictorum cardinalis episcopi et camerarii providentia utiliter consulatur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum VIII kalendas junii pontificatus nostri anno primo. »

684 Saint-Pierre, 5 juin 1278

R. regem Romanorum, ad quem fratrem Conradum, ministrum ordinis fratrum Minorum superioris Alamannie, nuntium ipsius, nuper receptum duxit remittendum, hortatur ut jura ecclesie, in territoriis ad b. Petrum pertinentibus et nominatim expressis, jam tempore Gregorii pape recognita, per specialia privilegia aurea bulla munita prompte et distincte confirmet, promittens quod eadem infra octo dierum spatium, postquam imperiale diadema susceperit, sub aurea bulla similiter innovabit. et procurabit quod principes Alamannie ad premissa suum adhibebunt assensum. (Fol. 3 v°; an I, n° 4; Potthast 21332; M. G. H. Constitutiones et Acta publica imperatorum et regum., t. III p. prior n° 193.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei, carissimo in Crristo filio R. regi Romanorum illustri salutem et apostolicam benedictionem.* Intima mentis nostre — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis junii, pontificatus nostri anno primo ».

685 Saint-Pierre, 5 juin 1278

Eidem mittit tenores privilegiorum, que predecessores ipsius imperatores Romanorum, Ludovicus, Otto et Henricus, ecclesie Romane concesserunt, quorum etiam

aliqua originalia fratri Conrado inspicienda commisit (Fol. 5; an I. n° 5; POTTHAST 21333; M, G. H. Constitutiones etc. t. III p. prior n° 194.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei, carisimo in Christo filio R. regi Romanorum illustri salutem et apostolicam benedictionem.* Ad tue devotionis — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis junii, pontificatus nostri anno primo ».

686 Saint-Pierre, 7 juin 1278

Eundem excitat quatinus omnia ordinare procuret quod confirmatio privilegiorum, de qua jam scripsit (cf. n° 684) in die coronationis vel sequenti juxta desiderium suum compleatur (Fol. 6 v°; an I, n° 6; POTTHAST 21334; M. G. H. Constitutiones etc. t. III p. prior n° 196.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Rodulfo regi Romanorum illustri salutem et apostolicam benedictionem.* In aliis que tibi — Dat. Rome apud sanctum Petrum, vii idus junii, pontificatus nostri anno primo ».

687 Saint-Pierre, 5 juin 1278

Fratrem Conradum, ministrum ordinis fratrum Minorum superioris Alamannie, certiorem facit de omnibus que coram rege Rodulfo pro causa Ecclesie ab eo facienda sunt; eum hortatur ut procurare studeat quod idem rex speciales nuntios ad Sanctam Sedem mittat pro tractatu concordie inter ipsum et Sicilie regem confirmande, atque hiis adimpletis cum litteris regis et aliis infra instans festum nativitatis b. Virginis vel kalendas futuri proximi mensis octobris ad presentiam pape revertatur. (Fol. 6; an 1 n° 7; POTTHAST 21331; M. G. H. Constitutiones etc., t. III, p. prior, n° 195.)

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio fratri Conrado ministro fratrum Minorum superioris Alamannie, Salutem et apostolicam benedictionem. Cum te ad — Dat. Rome apud Sanctum Petrum, nonis junii, pontificatus nostri anno primo ».

688 Saint-Pierre, 4 mai 1278

Frater Conradus, ordinis Minorum, Rudolfi regis Romanorum procurator et nuntius coram papa in consistorio recognoscit omnia a rege apud Lausannam in presentia Gregorii pape decimi concessa et facta, de legatione quondam Ottonis prepositi S. Guidonis Spirensis, regii cancellarii; omnes ratificationes ab eodem cancellario factas, tenores litterarum regis et procuratorii cancellarii, in quibus inseruntur antiqua privilegia et juramenta Ottonis quarti et Frederici secundi imperatorum, publicat. (Fol. 8; an I n° 8.)

« In nomine Domini amen. Ego frater Conradus minister fratrum Minorum superioris Alemannie gloriosissimi et illustrissimi principis domini nostri Rudolfi Dei gratia regis Romanorum semper Augusti procurator et nuntius, habens ab ipso potestatem et mandatum in forma subscripta, constitutus in presentia vestra, beatissime pater domine Nicolae divina providentia papa III, in consistorio vestro in papali palatio apud Sanctum Petrum in Urbe Romana, assistentibus vobis reverendo cetu dominorum cardinalium, videlicet venerabilibus patribus dominis O. Tusculano, B. Albanensi et L. Ostiensi et Velletrensi episcopis, A. tituli Sancte Praxedis, G. tituli Sancti Marchi et G. basilice XII Apostolorum presbiteris, I. Sancte Marie in Cosmidin, G. Sancti Georgii ad Velum aureum, M. Sancte Marie in Porticu, J. Sancti Eustachii et Jacobo Sancte Marie in Via lata dyaconis cardinalibus, recognosco et fateor quod idem dominus meus rex constitutus in presentia pie memorie domini Gregorii pape decimi in consistorio suo apud Lausannam, assistentibus sibi reverendo cetu dominorum cardinalium, videlicet pie memorie domino Innocentio quinto, tunc Petro Ostiensi episcopo et domino Adriano tunc Octobono Sancti Adriani diacono cardinali Romanis pontificibus et bone memorie domino Uberto Sancti Eustachii diacono cardinali et reverendis patribus dominis Anchero tituli Sancte Praxedis, Guillelmo tituli Sancti Marchi presbiteris, Jacobo Sancte Marie in Cosmidin, Gottifrido Sancte Georgii ad velum aureum et Matheo Sancte Marie in Porticu diaconis cardinalibus, recognovit et confessus est quondam Ottonem prepositum Sancti Guidonis Spirensis regie aule cancellarium habuisse ab ipso rege mandatum sigilli sui munimine communitum infrascripti tenoris, cujus auctoritate idem cancellarius nomine ipsius regis processit ad omnia infrascripta, que in litteris inde confectis et ejusdem cancellarii sigilli signatis, quarum tenor de verbo ad verbum infra in tenore litterarum ipsius domini regis subicitur, seriosius continentur. Que quidem

omnia et singula dicta sive promissa, acta seu gesta per eundem cancellarium, prout in ejusdem litteris et tenore plenius exprimitur, idem rex recognovit et confessus est nomine suo et de voluntate sua dicta promissa, acta et gesta eaque nichilominus acceptavit, ratificavit et firmare voluit et decrevit perpetuo remanere, ac insuper, prout idem cancellarius promisit, ea omnia et singula confirmavit, innovavit et de novo concessit, et ipso domino Gregorio pro Romana ecclesia sibi suisque successoribus recipienti ea omnia et singula promisit stipulatione sollempni bona fide se in perpetuum et inviolabiliter servaturum et contra ea vel eorum aliquod per se vel per alium nullo unquam tempore vel modo venturum, et ipse nichilominus proprio prestito corporaliter juramento firmavit.

Statuit preterea regali auctoritate atque decrevit ut tenor litterarum ejusdem cancellarii, litteris ipsius regis insertus, easdem per omnia vires habeat et obtineat, quas habent et obtinent ipse littere principales, ita quod si forsan ipsas principales litteras contingeret quomodolibet deperire dictus tenor proinde vim et robur obtineat, et in omnibus et per omnia fidem faciat sicut ipse principales littere facerent in sua prima figura et integritate manentes, lege seu constitutione aliqua non obstante, et ad certitudinem eorum que tunc agebantur et memoriam futurorum de ipsis omnibus suas litteras fieri fecit et proprii sigilli munimine roborari, et ut ea omnia ipsi domino Gregorio suisque successoribus per ipsum regem et suos successores Romanorum reges et imperatores observarentur, firmaque semper et inconvulsa permanerent, scriptum inde confectum jussit idem rex suo sigillo cereo communiri, promittens nichilominus aliud de verbo ad verbum et per omnia simile aurea bulla typario sue maiestatis impressa, munitum infra tempus sue coronationis ipsi domino Gregorio et sedi apostolice sine difficultate qualibet exhibere, prout hec omnia in litteris ipsius domini regis suo sigillo cereo communitis, quarum tenor de verbo ad verbum infra subjicitur, seriosius continentur. Que quidem omnia et singula dicta, promissa, recognita, innovata, concessa, acta seu gesta, ratificata, confirmata sive jurata per eundem dominum meum regem, prout in eisdem litteris et tenore plenius exprimitur, ejusdem domini regis nomine et pro ipso distincte, libere et expresse recongnosco, ratifico, approbo, innovo et nichilominus ea omnia et singula de novo dono atque concedo beato Petro celesti regni clavigero ac vobis patri sanctissimo ejus successori ceterisque vestris successoribus et ecclesie Romane. Et ad domini mei regis conscientiam serenandam, et ut predicta omnia plenarie solidentur, stabiliantur, firmentur, compleantur et perficiantur, revoco, casso, annullo, irrito et omnibus viribus vacuo quicquid contra predicta vel aliqua predictorum per ipsum dominum regem seu alios eius nuncios vel officiales suo mandato vel nomine seu quemcunque alium vel alios quocunque modo quacunque via factum esset vel promissum sive iuratum. Ac volo et expresse consencio quod per hoc nullum ius ipsi domino meo regi accrescat vel in aliquo ecclesie Romane depereat tam circa possessionem quam circa proprietatem. Consencio insuper et concedo quod vos, sanctissime pater, et eadem Romana ecclesia per vos et per alios nunc et semper accipiatis, nanciscamini, intretis et apprehendatis absque ulla ipsius domini regis vel alterius requisicione, auctoritate vel mandato obtentis sive petitis possessionem et quasi omnium contentorum in predictis privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovacionibus, recognicionibus, donacionibus seu etiam iuramentis et omnium eorum, que pertinent ad predicta, et promitto quod ipse dominus rex per se vel per alium seu alios non inpediet vos vel nuncios vestros in predictis et quolibet predictorum, sed pocius in omnibus prefatis tam adipiscendi quam tenendis et habendis suo posse perpetuo adiuvabit. Et ut hec omnia plenam omnimode perfeccionis et solidacionis habeant firmitatem, tactis sacrosanctis evangeliis iuro in animam predicti domini mei regis, habens ab eo super hoc speciale mandatum, eundem dominum regem predicta omnia et singula perpetuo inviolabiliter servaturum, et promitto quod idem dominus rex per se ipsum ea omnia et singula faciet, promittet, stabiliet, plene solidabit, firmabit, perficiet atque curabit, quandocunque per vos et predictam ecclesiam litteris vel nunciis extiterit requisitus.

Predicti autem litterarum ejusdem domini regis et mei procuratorii super hiis habiti tenores de verbo ad verbum per omnia tales sunt.

In nomine Domini amen. Nos Rodulfus Dei gratia Rex Romanorum semper augustus, constituti in presentia vestra, beatissime pater domine Gregori divina providentia papa decime, in consistorio vestro apud Lausannam — lege seu cons- Fol.

titutione aliqua non obstante. (Cf. M. G. H. Constitutiones, etc., t. III, p. prior, n° 91.)

Tenor autem predictus de verbo ad verbum per omnia talis est. In nomine Domini amen. Ego O. Sancti Guidonis Spirensis prepositus regie aule cancellarius — Hic inseruntur firma juramenti Ottonis quarti imperatoris tunc regisRomanorum prestiti felicis recordationis Innocentio pape tertio.
ol. 10 Ego Otto — coronam adeptus.

Tenor privilegii dicti Ottonis quarti imperatoris tunc regis Romanorum concessi eidem Innocentio et ecclesie Romane. In nomine Sancte —. Dat. apud Spiram xi kalendas aprilis.

'ol. 11 Tenor privilegii Frederici secundi imperatoris tunc regis Romanorum concessi eidem Innocentio pape tertio et ecclesie Romane. In nomine Sancte —. Dat. apud Egram per manus Bertholdi de Niffe regalis aule prothonotarii, III idus julii.

ol. 12 Simile privilegium concessum ab eodem Frederico tunc rege Romanorum felicis recordationis Honorio pape tertio. In nomine Dei —. Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo CC° XVIIII° mense septembris, indictione VIII —. Dat. apud Hagnovie per manus Henrici regalis aule prothonotarii anno, mense et indictione prescriptis.

ol. 13 Forma juramenti ejusdem Frederici tunc regis Romanorum prestiti prefato Innocentio pape tertio. In nomine Sancte —. Actum in capella in castro Egre anno dominice incarnationis millesimo CC XIII, quarto idus julii indictione prima.

Forma ejusdem Frederici tunc regis Romanorum prestiti prefato Honorio pape III. In nomine Sancte —. Actum apud Agnone anno dominice incarnationis millesimo CC XVIIII, mense septembris indictione VIII. De predictorum itaque archiepiscoporum — aliquatenus non assistent.
ol. 14 v° Tenor quoque predicti mandati quod ab eodem riege Rudolfo recepi per omnia talis est. Sanctis dmi in Christo patri —. Dat. Rotemburc annodomini millesimo CC° LXXIIII° in crastinum, Dominice qua cantatur et quasi modo geniti regni nostri anno primo. (Cf. M. G. H., *l. c.* n° 48.)

Acta sunt hec Lugduni in predicto consistorio, anno Domini millesimo CC LXXIIII, mense junii, die martis VI, mensis ejusdem, pontificatus vestri anno tertio. Porro ad certitudinem presentium et memoriam futurorum de premissis omnibus presentes litteras fieri feci et mei sigilli munimine roborari. Ut autem bec omnia vobis — comes de Rukekelle. Acta sunt hec anno domini M° CC° LXXV indictione tertia regni nostri anno tertio.

Rudolfus Dei gratia Romanorum rex —. Dat. Fol. 15
Wienne anno Domini M° CC° LXXVIII, XIIII kalendas februarii regni nostri anno quinto(cf. M. G. H., *l. c.*, n° 182). Volo insuper et expresse consentio —. Actum Rome apud Sanctum Petrum, Fol. 16
in consistorio in predicto papali palatio presentibus (cf. M. G. H. *l. c.*, n° 184) — in multitudine numerosa. Anno Domini M° CC° LXX VIII quarto die mensis mai indictione VI, pontificatus vero Domini Nicolai pape III anno primo. Ego Paulus de Reate apostolica auctoritate et nunc camere domini pape notarius hiis omnibus interfui et de mandato ejusdem sanctissimi patris domini Nicolai ac de rogatu ipsius fratris Conradi, scripsi, publicavi et signum feci. »

689 Saint-Pierre, 4 mai 1278

Idem frater Conradus coram papa in consistorio recognoscit quod idem rex ea omnia ecclesie Romane obtulit et concessit, que in ipsius litteris, Lausane datis, continentur, quarum et procuratorii super hiis Vienne habiti tenorem publicat. (Fol. 16; an I; n° 9, M. G. H. *l. c.* n°s 90, 184, 182.)

« In nomine Domini amen. Ego frater Conradus minister fratrum Minorum superioris Alamanie gloriosissimi et illustrissimi principis domini mei Rudolfi Dei gratia regis Romanorum semper augusti procurator et nuntius, habens ab ipso potestatem et mandatum in forma subscripta, constitutus in presentia vestra beatissime pater domine Nicolae divina providentia pape III, in consistorio vestro in papali palatio apud Sanctum Petrum in urbe Romana, assistentibus vobis reverendo cetu dominorum cardinalium videlicet venerabilibus patribus dominis O. Tusculanensi, B. Albanensi et L. Ostiensi et Velletrensi episcopis, A. tituli Sancte Praxedis, G. tituli Sancti Marci et G. Basilice duodecim apostolorum presbiteris, J. Sancte Marie in Cosmidin, G. Sancti Georgii ad velum aureum, M. Sancte Marie in Porticu, Y. Sancti Eustachii et Jacobi Sancte Marie in Via lata diaconis cardinalibus recognosco et fateor quop idem dominus meus rex constitutus in presentia pie memorie domini Gregorii pade X omnia et singula infrascripta recognovit, confessus est, obtulit et

devovit, concessit, commisit, refutavit, reliquit, promisit et statuit, expressit, renuntiavit, restituit necnon ad omnem scrupulum removendum sicut melius valet et efficacius intelligi posset contulit et donavit ipsi domino Gregorio ejusque successoribus et Sancte Ecclesie Romane matri sue, prout in ipsius domini regis litteris suo sigillo cereo munitis expressius ac seriosius continentur. Quarum tenor de verbo ad verbum talis est.

In nomine Sancte et individue Trinitatis. Rudolfus divina favente pratia Romanorum rex, semper augustus. Ab eo solo —. Acta sunt hec anno Domini M° CC° LXXV indictione quarta, regnante domino Rudolfo Romanorum rege glorioso regni ejus tertio. Signum domini Rodolphi Romanorum regis invictissimi. Dat. Lausane per manum Henrici episcopi Tridentini regalis aule prothonotarii XII kalendas novembris. (Cf. M. G. H. *l. c.*, n° 90.) Que quidem omnia et singula supradicta necnon et alia litteris eisdem quocunque modo, quibuscunque verbis inserta ego predictus frater Conradus, ejusdem domini regis nomine et pro ipso habens ab eo expressum et speciale mandatum, distincte, libere et expresse recognosco, ratifico, approbo in novo, et nichilominus ea omnia et singula de novo concedo atque dono beato Petro celestis regni clavigero ac vobis patri sanctissimo ejus successori ceterisque vestris successoribus et, ecclesie Romane, et ad domini regis conscientiam serenandam— extiterit requisitus (Cf. M. G. H., *l. c.* n° 184). Tenor vero mei procuratorii super hiis habiti per omnia talis est. Rudolfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Notum esse volumus — munimine roborari. Dat. Vienne anno Domini M° CC° LXXVIII° XIIII kalendas februarii regni nostri anno quinto. (Cf. M. G. H., *l. c.*, n° 182.) Volo insuper et expresse consentio —. Actum Rome apud Sanctum Petrum in consistorio in predicto papali palatio presentibus — in multitudine numerosa. Anno Domini millesimo CC° LXXVIII, quarto die mensis maii, indictione VI, pontificatus vero domini Nicolai pape III anno primo. Ego Paulus de Reate apostolica auctoritate et nunc camere domini pape notarius hiis omnibus interfui et de mandato ejusdem sanctissimi patris domini Nicolai ac de rogatu ipsius patri Conradi scripsi, publicavi et signum feci. »

690 Saint-Pierre, 4 mai 1278

Idem frater Conradus de promissionibus ejusdem regis Rudolfi, in presentia Gregorii pape X in ecclesia Lausanensi factis, eadem recognoscit. (Fol. 19 v°; an I, n° 10; M. G. H. *l. c.* n° 184.)

« In nomine Domini amen. Ego frater Conradus — (ut *in* n° 9) recognosco et fateor quod idem dominus meus rex constitutus in presentia pie memorie domini Gregorii pape X in ecclesia Lausanensi assistentibus sibi prout in ejusdem regis litteris suo sigillo cereo communitis plenius ac seriosius continentur. Quarum tenor per omnia talis est. »

691 Saint-Pierre, 4 mai 1278

Juramentum regis Rudolfi, in ecclesia Lausanensi (20 oct. 1275) prestiti et tenor procuratorii Vienne (19 janv. 1278) super hiis habiti. (Fol. 20; an I, n° 11; M. G. H., n°s 184, 89 et 182.)

« In nomine Sancte et individue Trinitatis. Ego Rudolfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus —. Actum in ecclesia Lausanensi anno Domini millesimo CC° LXXV° indictione III, XIII kalendas novembris, regni mei anno tertio, que omnia et singula — extiterit requisitus.

« Tenor vero mei procuratorii super hiis habiti per omnia talis est. Rudolfus Dei gratia —. Dat. Vienne anno Domini M° CC° LXXVIII, XIIII kalendas febrarii, regni nostri anno quinto.

Volo insuper et expresse —. Actum Rome apud Sanctum Petrum, in consistorio in predicto papali palacio presentibus — in multitudine numerosa. Anno Domini M° CC° LXXVIII quarto die mensis maii indictione VI, pontificatus vero domini Nicolai pape III anno primo. Ego Paulus de Reate — signum feci. »

692 Saint-Pierre, 4 mai 1278

Idem frater Conradus recognoscit litteras principum imperii, apud Frankenfort in sollempni curia 28 apr. 1220 datas, quas Rodulfus rex suis litteris annotari et sigillo typario regie potestatis impresso muniri Lausane fecit. (Fol. 22 v°; an I n° 12.)

« In nomine Domini amen. Ego frater Conradus — (ut *in* n° 9) recognosco et fateor quod idem

dominus meus rex patentes litteras principum imperii non abolitas, non cancellatas nec vitiatas in aliqua sui parte sed in prima sui figura sigillis eorumdem principum tunc pendentibus consignatas fecit inspici diligenter et de verbo ad verbum ad perpetuam rei memoriam suis litteris annotari, decernentes auctoritate regia ut tenor ipsarum litterarum eorumdem principum litteris ipsius regis insertus easdem per omnia vires habeat et obtineat quas habent et obtinent ipse littere principales, ita quod si dictas principales litteras quomodolibet contingeret deperire dictus tenor proinde vim et robur obtineat et in omnibus et per omnia fidem faciat, sicut ipse principales littere facerent in sua prima figura et integritate manentes, lege seu constitutione aliqua non obstante. Tenor autem litterarum dicti regis continens prefatum tenorem litterarum ipsorum principum per omnia talis est.

In nomine Domini amen. Nos Rodulfus Dei gratia — aliqua non obstante (M. G. H., n° 92). Tenor autem predictus per omnia talis est. Nos principes imperii —. Acta sunt hec anno dominice Incarnationis M°CC° XX° Dat. apud Frankenfort' in sollempni curia iiii kalendas maii, indictione VIII.

In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et sigillo typario regie potestatis impresso muniri. Dat. Lausanne xii kalendas novembris anno Domini M° CC° LXXV, indictione III, regni nostri anno tertio. Premissa quidem per eundem dominum regem facta, annotata et regia auctoritate decreta necnon et alia litteris eisdem predicti domini regis quocunque modo quibuscunque verbis inserta, ego predictus frater Conradus prefati domini regis nomine et pro ipso habens ab eo expressum et speciale mandatum, distincte, libere ac expresse recognosco, innovo atque ratifico. Tenor vero mei procuratorii super hiis habiti per omnia talis est, Rudolfus Dei gratia —. Dat. Vienne anno Domini M° CC° LXX VIII° xiiii kalendas februarii, regni nostri anno quinto. (M. G. H. n° 182.) Volo insuper et expresse consentio —. Actum Rome — anno Domini millesimo CC° LXX VIII, quarto die mensis maii, indictione VI pontificatus vero domini Nicolai pape III anno primo.

Ego Paulus de Reate — signum feci. »

693 ((14 février 1279))

Rudolfus rex omnia fratris Conradi gesta confirmat et ratificat. (Fol. 24 v°; an I n° 13; M. G. H. n°s 197 et 221.)

« In nomine Domini, amen. Nos Rudolfus Dei gratia rex Romanorum semper augustus, ad eternam rei geste memoriam recognoscimus et fatemur religiosum virum fratrem Conradum ministrum ordinis fratum Minorum superioris Alamanie habuisse a nobis mandatum sigilli nostri munimine communitum infrascripti tenoris. Cujus mandati auctoritate nostro nomine processit coram sanctissimo patre domino N. papa III et reverendo cetu dominorum cardinalium ac prelatorum et aliorum clericorum et laicorum multitudine copiosa, ad omnia infrascripta que in litteris inde confectis quarum tenor infra subicitur seriosius continetur. Que quidem omnia et singula per eundem fratrem Conradum recognita, ratificata, approbata, innovata, de novo donata atque concessa, dicta, promissa, acta seu gesta, confirmata sive jurata prout in eisdem litteris et tenore plenius exprimitur recognoscimus et fatemur nomine nostro et de voluntate nostra recognita, ratificata, approbata, innovata de novo donata atque concessa, dicta, promissa, acta seu gesta, confirmata atque jurata eaque omnia et singula nichilominus acceptamus, ratificamus, rata et firma volumus et decernimus permanere. Ac insuper ea omnia et singula confirmamus, innovamus et nichilominus ipsa de novo concedimus atque donamus, et ad nostram conscientiam serenandam, et ut predicta omnia plenarie solidentur, stabiliantur, firmentur, compleantur et perficiantur, revocamus, cassamus, annullamus, irritamus et omnibus viribus vacuamus quicquid contra predicta vel aliqua predictorum per nos seu per alios nostros nuntios vel officiales nostro nomine vel mandato seu quemcunque alium vel alios quocunque modo quacunque via factum esset vel promissum sive juratum, volentes et consentientes expresse quod per hoc quod contra hec factum esset nullum jus nobis seu successoribus nostris regibus aut imperatoribus Romanorum accrescat, vel in aliquo ecclesie Romane depereat tam circa possessionem quam circa proprietatem. Consentimus insuper atque concedimus quod vos sanctissime pater domine N. papa III et eadem Romana ecclesia per vos et per alios nunc et semper accipiatis, nanciscamini, intretis et apprehendatis

absque ulla nostra successorum nostrorum vel alterius requisitione, auctoritate vel mandato obtentis sive petitis possessionem et quasi omnium contentorum in nostris et predecessorum nostrorum privilegiis, confirmationibus, concessionibus, innovationibus, recognitionibus, donationibus seu juramentis et omnium eorum que quoque modo pertinent ad predicta. Et promittimus quod nos per nos vel per alium seu alios non impediemus vos vel nuntios vestros in predictis et quolibet predictorum sed potius in omnibus prefatis tam adipiscendis quam tenendis et habendis nostro posse perpetuo adjuvabimus. Et ut hec omnia plenam omnimode perfectionis et solidationis habeant firmitatem, tactis sacrosanctis evangeliis juramus in animam nostram predicta omnia et singula nos perpetuo inviolabiliter servaturos. Statuimus preterea regali auctoritate atque decernimus ut idem tenor insertus presentibus easdem per omnia vires habeat et obtineat quas habent et obtinent ipse littere principales. Ita quod si forsan ipsas principales litteras contingeret quomodolibet deperire dictus tenor pro inde vim et robur obtineat in judicio et extra judicium et in omnibus et per omnia fidem faciat, sicut ipse principales littere facerent in sua prima figura et integritate manentes, lege seu constitutione aliqua non obstante. Promittimus insuper quod postquam Romam ad recipiendam unctionem, coronationem et imperiale diadema pervenerimus ipsamque perceperimus infra octo dies premissa omnia et singula innovabimus et de novo integre ac plenarie faciemus. Tenor autem predictus de verbo ad verbum per omnia talis est. In nomine Domini amen. Ego frater Conradus etc. usque in fine. Porro ad certitudinem presentium et memoriam futurorum, et ut hec omnia vobis memorato sanctissimo patri nostro domino N. sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici vestrisque successoribus per nos et nostros successores Romanorum reges et imperatores perpetuo observentur firmaque semper inconvulsa permaneant presens scriptum aurea bulla typario nostro majestatis impressa munitum fieri fecimus et vobis ad perpetuum roboris memoria exhiberi.

Ponantur testes maxime principes qui invenientur in exercitu et alii nobiles cum subscriptionibus.

In. e. m. fiat de quatuor aliis, verbis competenter mutatis, et cum discretione et maturitate debita ordinatis. »

694 (14 février 1279)

Littere Rudolfi regis de provinciis, civitatibus, locis et territoriis Ecclesie Romane concessis, pape Nicolao misse. (Fol. 25 v°; an I; n° 14 ; M. G. H. n° 222.)

« Sanctissimo in Christo patri et domino Nicolao pape III° Rudolfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ad perpetuam rei memoriam. Summa rei publice — plenarie faciemus. Actum etc. et ponatur dies et signum regale quod in privilegiis consuevit apponi et cetera omnia que in talibus consueverunt fieri. »

695 (14 février 1279)

Alie littere ejusdem Rudolfi regis de recuperationibus Ecclesie Romane pape Nicolao misse. (Fol. 27; an I, n° 15; M. G. H., n° 223.)

« In nomine Sancte et individue Trinitatis. Rudolfus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus. Ab eo solo — plenarie faciemus. Actum etc. et ponatur dies et signum regale quod in privilegiis consuevit apponi et cetera omnia que in talibus consueverunt fieri. »

696 Vienne, 29 mai 1278

Rudolfus rex magistrum Gottifridum prepositum Soliensem, regalis aulie prothonotarium, ad presentiam pape mittit; eidem dat in mandatis ut quicquid per Rodulfum cancellarium in civitatibus et terris Ecclesie Romane gestum extitit revocet et annullet (Fol. 29; an I, n° 16; M. G. H., n° 192.)

« Sanctissimo in Christo patri ac Domino N. divina providentia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici. Rodulfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus cum filialis obeditionis reverentia devotissima pedum oscula beatorum. Ad magnificentiam munerum — Dat. Vienne IIII kalendas junii indictione VI anno Domini M° CC° LXXVIII regni vero nostri anno quinto. »

697 Viterbe, 30 juin 1278

Cum Rodulfus rex ratificaverit omnia gesta magistri Gottifridi, presens scriptum fieri et pape ad perpetuum exhiberi fecit, in quo inseruntur declaratio Gotifridi de revocatione juramentorum, et littere ejusdem civitati-

bus Romaniole directe. (Fol. 29 v°; an I, n° 17; M. G. H. *l. c.*, n° 200 et 201.)

« In nomine Domini amen. Nos Rudolfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus ad perpetuam rei geste memoriam recognoscimus et fatemur nos discretum virum magistrum Gottifridum, prepositum ecclesie Soliensis Salseburgensis diocesis familiarem clericum et prothonotarium nostrum, ad vos sanctissimum patrem et universalem dominum, dominum Nicolaum divina providentia summum pontificem cum specialibus nostris litteris destinasse infrascripti tenoris. Qui magister Gottifridus traditi sibi a nobis auctoritate mandati nostro nomine processit coram vobis et reverendo cetu dominorum cardinalium ac prelatorum et aliorum clericorum et laicorum multitudine copiosa, ad omnia infrascripta que in litteris inde confectis, quarum tenores infra subiciuntur, seriosius continetur. Que quidem omnia et singula per eundem magistrum Gottifridum remissa, revocata, annullata, cassata, irritata, cassa, nulla et irrita nuntiata ac omnibus viribus vacuata, dicta, acta seu gesta prout in eisdem litteris et tenoribus plenius exprimuntur, recognoscimus et fatemur nostro nomine voluntate atque mandato remissa, revocata, cassata, annullata, irritata, cassa, nulla et irrita nuntiata ac omnibus viribus vacuata dicta, acta seu gesta eaque omnia et singula nichilominus per nos ipsos ex certa scientia remittimus, relaxamus, revocamus, cassamus, annullamus, irritamus, cassa, nulla et irrita nuntiamus ac omnibus viribus vacuamus, volentes et consentientes expresse quod per hoc quod contra hoc factum esset nullum jus nobis seu successoribus nostris regibus aut imperatoribus Romanorum accrescat vel in aliquo ecclesie Romane depereat, tam circa possessionem quam circa p oprietatem. Consentimus insuper etc. ut supra in alio procuratorio facto fratri Corrado usque in finem.

Tenores autem predicti de verbo ad verbum per omnia tales sunt. In nomine Domini amen. In presentia vestra constitutus, etc. Item in nomine Domini amen. Nos Gottifridus etc. Item providis viris etc. (*en marge* : predicte tres littere subiciuntur statim infra). Porro ad certitudinem presentium et memoriam futurorum et ut hec omnia vobis sanctissimo patri nostro domino N. sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici vestrisque successoribus per nos et nostros successores Romanorum reges et imperatores perpetuo observentur firmaque semper et inconvulsa permaneant presens scriptum aurea bulla typario nostre majestatis impressa munitum fieri fecimus et vobis ad perpetuum roboris memoriam exhiberi. Ponantur testes maxime principes qui invenientur in comitiva ipsius regis et alii nobiles cum subscriptionibus eorumdem et alia que in talibus consueverunt apponi et fieri.

In nomine Domini amen. In presentia vestra constitutus sanctissime pater et Domine. Domine Nicolae divina providentia papa III ego Gottifridus prepositus ecclesie Soliensis Salzeburgensis diocesis magnifici principis domini Rudolfi regis Romanorum illustris familiaris clericus et prothonotarius cum omni reverentia et devotione sanctitati vestre notifico quod excellentissimus princeps dominus Rudolfus rex Romanorum illustris sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem et dominam recognoscens ac intendens ejus jura non preripere sed ea potitus illesa servare me ad presentiam vestram cum specialibus litteris destinavit. Quarum tenor talis est. Sanctissimo in Christo patri etc. ut supra proxime precedenti folio usque in finem. Ego itaque traditi michi ab eodem domino rege auctoritate mandati juramenta fidelitatis seu alia que Rudolfus cancellarius ejusdem domini regis a civibus Bononiensibus, Ymolensibus, Faventinis, Foropopuliensibus, Cesanatibus, Ravennatibus, Ariminensibus et Urbinatibus, Cerviensibus, Forliviensibus ac hominibus castrorum Montisfeltri et Brittenorii ac aliis comunitatibus, universitatibus et incolis civitatum et locorum partium earumdem seu eorum aliquibus pro ipso domino rege dicitur recepisse ac quicquid per eundem cancellarium seu quemcunque alium in eisdem civitatibus, terris et locis sive per cives aut alios supradictos actum, gestum et recognitum extitit, remitto, revoco, casso, annullo, irrito, cassa, nulla et irrita nuntio ac omnibus viribus vacuo, et ex parte ipsius domini regis volo et expresse consentio quod iidem cives, homines, civitates, universitates et incole vestrum et ipsius, ecclesie recognoscentes dominium vobis et eidem ecclesie tanquam vero domino in omnibus et per omnia sicut debent obediant, pareant et intendant. Porro ad certitudinem presentium et memoriam futurorum hec omnia conscribi et in publicum instrumentum redigi per magistrum Paulum de Reate apostolica auctoritate tabellionem subscriptum feci atque rogavi et proprio sigillo munivi. Volo tamen et consentio quod si dictum sigillum quovis modo vel casu dependi, frangi vel deformari con-

tigerit nichilominus instrumentum ipsum in suo vigore permaneat ac si de ipso sigillo facta mentio non fuisset. Actum Viterbii etc. Ego etc.

In nomine Domini amen. Nos Gotifridus prepositus ecclesie Soliensis — ad futuram rei memoriam notum esse volumus universis quod excellentissimus princeps — Porro ad certitudinem etc. ut supra usque in finem (Cf. M. G. H. *l. c.* n° 200).

« Providis viris.. potestatibus, capitaneis, consiliis et communibus Bononiensibus, Ymolensibus, Faventinis, Foropopuliensibus, Cesanatibus, Ravennatibus, Ariminensibus, Urbinatibus, Cerviensibus et Foroliviensibus, Montisfeltri et Brittenorii ac aliis comunitatibus, universitatibus et incolis aliorum civitatum, castrorum, terrarum et locorum partium earumdem. Gottifridus prepositus etc. ut supra. Salutem in Domino. Excellentissimus princeps — intendatis.(Cf. M. G. H. *l. c.* n° 201). Porro ad certitudinem presentium etc. ut supra. Actum etc. Et ego etc.

Providis viris.. potestati, capitaneo, consilio et communi Bononiensibus. Gottifridus etc. usque seu quemcunque alium in vestra civitate seu per vos aut concives vestros. Actum, gestum etc. ut supra. usque in finem. »

In e. m. aliis singularihus civitatibus, locis et terris superius nominatis.

698 Viterbe, 1er juillet 1278

Magistro Gottifrido preposito Soliensi significat sue voluntatis existere ut juramenta fidelitatis, que Rudolfus cancellarius Rudolfi regis a Bononiensibus, Imolensibus, Faventinis, Foropopuliensibus, Cesanatibus, Ravennatibus et Forliviensibus, ac hominibus Montisferetri, Brittenorii, Ariminensibus et Urbinatibus etc. pro ipso rege sibi fecerat ex hiberi per eum, juxta quod idem rex ipsi commisit, vel per alium habentem ad hoc ab eodem rege mandatum, remittantur et penitus revocentur. (Fol 31; an I, n° 18; Potthast 21346.)

« *Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio magistro Gottifrido preposito etc. Salutem et apostolicam benedictionem.* Sicut communis tenet opinio — Dat. Viterbii, kalendis julii, pontificatus nostri anno primo. »

699 Saint-Pierre, 7 juin 1278

Neapoleoni nato quondam Raynaldi de filiis Ursi de Urbe canonico Belvacensi indulget ut annis singulis per sex menses redditus et prebende, quos in ecclesia Belvacensis obtinet cum ea integritate percipere valeat, cum qua illos perciperet, si personaliter in eadem resideret, non obstantibus statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie; ejusdem indulgentie tres executores deputans. (Fol. 31 v°; an I, n° 19.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum dei dilecto filio Neapoleoni nato quondam Raynaldi de filiis ursi de Urbe canonico Belvacensi salutem et apostolicam benedictionem.* Digne te qui prout signis laudabilibus indicas donis incipis insigniri virtutum specialibus gratiis prevenimus ut apostolico favore suffultus ad querenda virtutum studia salubrius dirigaris. Hiis itaque paterna consideratione pensatis, tibi auctoritate presentium indulgemus ut apud sedem apostolicam vel alibi ubicumque te insistere contigerit studio litterarum aut in aliquo beneficiorum tuorum que nunc habes vel es in posterum habiturus vel in peregrinatione existens continue vel per vices, divisim seu permistim, prout volueris annis singulis per sex menses a data presentium computandis, fructus, redditus et proventus, canonicatus et prebende, quos in ecclesia Belvacensi obtines, cum ea integritate percipere valeas, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si jam personaliter in eadem ecclesia secundum ipsius ecclesie consuetudinem resedisses et annis singulis resideres. Non obstantibus ipsius ecclesie contrariis consuetudinibus vel statutis excommunicatione, juramento, confirmatione sedis ejusdem vel quacumque alia firmitate vallatis, etiam si te in locis vel loco ubi beneficiatus existis vel existes morari seu ibidem scolasticis disciplinis insistere contigeret et per hoc tibi obsistere statuta et consuetudines hujusmodi viderentur, seu si in dicta ecclesia secundum ipsius ecclesie morem primam personalem residentiam non fecisti, seu quod non es in sacris ordinibus constitutus, aut si de hujusmodi residentia facienda in ipsa vel de observandis statutis et consuetudinibus eisdem juramentum per te vel per procuratorem aut alium prestitisti et de non impetrando contra juramentum ipsum a sede predicta litteras et de non utendo etiam impetratis ad quod observandum te volumus non teneri, seu si locorum ordinariis vel aliquibus aliis a sede sit indultum eadem vel medio

tempore indulgeri contingat quod canonicos prebendam in ipsa ecclesia obtinentes compellere possit ad residendum personaliter in eadem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri et de quibus in nostris litteris sit habenda mentio specialis. Quod si aliquo anno quod de predictis sex mensibus premittitur in totum vel in partem non adimpleveris ita quod propter hoc de consuetudine vel statuto ipsius ecclesie foraneus habereris, propter quod fructus prebende tue illius anni non ad te set ad capitulum vel quosque alios de consuetudine ejusdem ecclesie devenirent, volumus quod non obstantibus foraneitate hujusmodi seu quibuscunque ipsius ecclesie consuetudinibus vel statutis excommunicatione, juramento, confirmatione sedis ejusdem seu quacumque alia firmitate vallatis, quibus foraneus admittendus non esset ad perceptionem fructuum proventuum prebende quam in eadem ecclesia obtinet prius quam eandem ecclesiam visitasset seu aliquo tempore resedisset in ea seu quodcumque aliud juxta consuetudinem ejusdem ecclesie adimplevisset quovis anno predictum annum premisse foraneitatis sequente, quotienscumque predictos sex menses apud sedem predictam in scolis vel alibi ubicumque te insistere contigerit studio litterarum vel aliquo beneficiorum que habes habiturusve es aut in peregrinatione, premissa forma servata peregeris nullum tibi per hoc seu ex foraneitate predicta prejudicium generetur quominus eo anno quo formam predictam in predictis locis servaveris per sex menses fructus prebende tue percipias integre prout tibi superius est indultum. Ne autem facta in hac parte tibi gratia ex defectu executionis infructuosa reddatur, quin potius quod tibi perpetuum generose concessum et perpetua executorum potestate juvetur et tamdiu vigor continue vigeat exequendi quamdiu gratia perdurabit, dilectos filios.. abbatem Sancte Genovefe Parisiensis.. priorem Sancti Caprasii Agennensis.. et.. prepositum Sancti Audomari Morinensis diocesis ecclesiarum executores cum plenaria potestate faciendi tibi fructus predictos exhiberi, solvi et integre ministrari juxta tenorem gratie supradicte ac compellendi contradictores et rebelles. Non obstantibus omnibus supradictis seu si aliquibus cujuscumque conditionis et status ab eadem sede indultum existat quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem tibi tuo perpetuo concedimus et ea certa facta deputamus. Statuentes expresse ut ipsi et eorumquilibet ac successores ipsorum exnunc plenam jurisdictionem et potestatem habeant exercendi predictam et quodlibet predictorum quandocumque et quotiescumque per te vel tuo nomine fuerunt requisiti ac si eorum jurisdictio vel potestas perpetua esset per citationem seu per alias vias facti vel juris decernentes ut prefata jurisdictio vel potestas in predictis executoribus semper firma, valida et illibata consistat, tanquam eorum dignitatibus et partibus deputata non propriis delegata personis sumens ex nunc validum ex nostro decreto seu statuto vigorem penes dignitates et personatus ipsos et presidentes eisdem in predictis omnibus tuo perpetuo efficaciter permansurum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis deputationis et constitutionis infringere etc. Si quis autem hoc at etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum vii idus junii pontificatus nostri anno primo. »

In e. m. pro prebenda Cameracensi littere facte fuerunt pro eodem et in e. m. pro prebenda Sancti Audomari Morinensis diocesis littere facte sunt pro eodem.

700 Saint-Pierre, 7 juin 1278

Abbati S. Genovefe Parisiensis, priori S. Caprasii Agennensis et preposito S. Audomari Morinensis diocesis ecclesiarum mandat quatinus per se vel per alium seu alios eidem Neapoleoni vel ejus procuratori fructus et proventus eosdem faciant auctoritate apostolica integre ministrari. (Fol. 32 v°; an I, n° 20.)

Executoria 20. fol. 32 v°.

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis.. abbati Sancte Genovefe Parisiensis.. priori Sancti Caprasii Agennensis et.. preposito Sancti Audomari Morinensis diocesis ecclesiarum. Salutem et apostolicam benedictionem.* Digne dilectum filium — Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eidem Neapoleoni vel ejus procuratori suo nomine fructus, redditus et proventus eosdem faciatis auctoritate nostra juxta concessionis nostre tenorem integre ministrari. Contradictores — Dat. Rome apud Sanctum Petrum vii idus junii pontificatus nostri anno primo. »

In e. m. pro prebenda Cameracensi scriptum fuit. Et pro eodem.

In e. m. pro prebenda Sancti Audomari Morinensis diocesis scriptum fuit et pro eodem.

701 Viterbe, 23 juillet 1278

Fratri Synibaldo de ordine Minorum inquisitori heretice pravitatis mandat quatinus contra Pandulphum militem, Stephanum Pandulphum et Petrum filios quondam Porcarii de Syriano hereseos labe conspersos spiritualiter et temporaliter procedat. (Fol. 33; an I, n° 21, Potthast 21363.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio fratri Synibaldo de ordine fratrum Minorum inquisitori heretice pravitatis. Salutem et apostolicam benedictionem.* Cum sicut nosti — Dat. Viterbii x kalendas augusti pontificatus nostri anno primo. »

702 Viterbe, 24 juillet 1278

Urso de filiis Ursi de Urbe marescallo suo rectori patrimonii b. Petri in Tuscia mandat quatinus contra hereticos in castro de Soriano hostiliter agat, cum Synibaldi inquisitoris contra eosdem processus nil ei deroget. (Fol. 33 v°; an I, n° 22; Potthast 21365.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Urso de filiis Ursi de Urbe marescallo nostro, rectori patrimonii beati Petri in Tuscia. Salutem et apostolicam benedictionem.* Cum ad recuperationem — Dat. Viterbii viii kalendas augusti pontificatus nostri anno primo. »

703 Viterbe, 27 juillet 1278

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo et J. S. Marie in via lata diacono cardinali, ad Urbem destinatis, plenam concedit potestatem quoscunque clericos, religiosos et laicos compellendi quod ipsorum monitionibus et mandatis pareant. (Fol. 33 v°; an I; n° 23.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo et dilecto filio J. Sancte Marie in via lata diacono cardinali. Salutem et apostolicam benedictionem.* Cum vos ad Urbem pro ejus statu pacifico et prospero destinemus prout vobis per alias nostras litteras intimamus, ut eo efficacius procedatis quo pleniori super hiis fueritis auctoritate nostra muniti, compellendi quoscumque clericos, religiosos et laicos, cujuscumque conditionis aut status extiterint, quod in contentis in eisdem nostris litteris et ea contingentibus, vestris pareant monitionibus, inductionibus, ordinationibus ac mandatis, per censuram ecclesiasticam plenam vobis et cuilibet vestrum in casibus in quibus expedire videritis auctoritate presentium concedimus potestatem. Dat. Viterbii vi kalendas augusti pontificatus nostri anno primo. »

704 Viterbe, 27 juillet 1278

Infrascriptis, ad Urbem et populum Romanum tanquam pacis angelis destinatis, mandat quatinus de ipsius Urbis futuro regimine omnia disponant pro utilitate et quiete ejusdem populi; provideant attentius quod officiales Karoli regis durante residuo sui regiminis et in eorum discessu dignis tractentur honoribus. (Fol. 34; an I, n° 24; Potthast 21366.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo ac dilecto filio J. Sancte Marie in via lata diacono cardinali. Salutem et apostolicam benedictionem.* Alme urbis gesta — Dat. Viterbii vi kalendas augusti pontificatus nostri anno primo. »

705 Viterbe, 2 août 1278

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo et J. Sancte Marie in via lata diacono cardinali de negotio electionis (senatoris) in Urbe celebrande scribit. (Fol. 34 v°; an I, n° 25; cf. Potthast 21379.)

« *Nicolaus etc. L. Ostiensi et Velletrensi episcopo et J. sancte Marie in via lata diacono cardinali. Salutem etc.* Visis que misse nobis tue frater episcope littere continebant, et circa statum electionis in Urbe dante Domino celebrande et ea que possent nos et ecclesiam Romanam contingere ac alias circumstantias cogitantes expedire putamus, quod in commisso vobis negotio cautius procedatis ita vide-

licet quod bene negotium electionis hujusmodi dante Domino prosperetur nec processus vestri aliud quam salubria consilia sapiant et persuasiones utiles representent in augmentum boni et pacifici status Urbis. Non enim intendimus quod iidem vestri processus tales existant quod ex eis posset conjici vel adverti quod de ipsa electione nos intromittere quoquo modo velimus vel super hoc aliquid jus seu possessionem acquirere vel alias nobis in illis aliquatenus vendicare. Nam ob id posset contra nos magnum scandalum populi formidari quicumque in dicta electione subsequeretur eventus, provisuri attentius nullam electionem parciariam actibus vestris suggerere vel alias et suadere nobis et eidem ecclesie in premissis et similibus precavendo. Qualiter autem sit in ipso negotio procedendum vos qui palpatis omnia et alii quorum principaliter interest clarius discernetis. Hoc quoque dicimus quod, nisi verisimiliter periculum vel major turbatio timeretur, videretur consultius diebus aliquibus expectare ut negotium compleretur comuniter et debitum sortiretur effectum quam precoque procedendo in viam partialitatis immergi Finaliter autem quicquid fieri contingat in premissis nobis et eidem ecclesie discretius caveatis. Dat. Viterbii III nonas augusti pontificatus nostri anno primo. »

706 Viterbe, sans date

Reginam Sicilie hortatur ut regem Sicilie virum suum semper ad bonum et ea que Deo sint placida continuis inductionibus excitet. (Fol. 35; an I, nº 26.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Carissime in Christo filie.. regine Sicilie illustri Salutem et apostolicam benedictionem.* Munivit te Pater eternus suarum dotibus gratiarum et virtutum monilibus adornavit ita quod inter electas orbis terre catholicas filias refulges in gentibus et extollitur latius nomen tuum ac mereris apostolicis litteris paternis plenis affectibus visitari. Ad Deum itaque mentem et animum dirigens et ejus beneplacitis te conformans ut comproberis agnoscere munerum largitorem a quo recepta dona succrescunt et recongnita roborantur karissimum in Christo filium nostrum K. regem Sicilie illustrem virum tuum semper ad bonum et ea que Deo sint placida continuis inductionibus excites, dirigas et conformes, pauperibus et oppressis maxime ab officialibus regis ejusdem cum expedit oportunis favoribus assistendo, ita quod per hec eidem regi et tibi premia superne retributionis accrescant nos et Romanam matrem vestram letificetis ecclesiam ac vobis et regno vestro prosperitatis incrementa succedant. Nos quoque filia te intra nostra precordia benedictionum commemoratione revolvimus et in tuis et dicti regis prosperis successibus delectamur intendentes in quibus cum Deo poterimus annuere favorabiliter votis tuis. Datum Viterbii. »

707 Viterbe, sans date

K. principem Salernitanum gratulatur, et eum hortatur ut de papa sicut de benivolo patre confidat. (Fol. 35; an I, nº 27.)

« *Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro. Karulo principi Salernitano salutem et apostolicam benedictionem.* Gaudemus et exsultamus in Domino fili quod domum inclitam que divinitus benedicta producit viros industrios et claritate fulgentes continua propagatione clarificas et representas te germen electum fructus Deo placidos producturum. Ex tuis namque claris auspitiis nobis actus tuos placidos representas et spem gratam assumimus de futuris ita quod te in ecclesie Romane gremio cum sue benedictionis gratia succrescentem nobis benedictionis filium astringemus et tu eandem ecclesiam tibi matrem propitiam recongnoscas. Consurge itaque prudenter ad Dominum et prosequere suorum semitam mandatorum ut felicibus successibus augearis et de nobis sicut de benivolo patre confidas. Nam votis tuis et hiis que tui honoris incrementa respiciant in quibus cum Deo poterimus favorabiliter annuemus. Datum Viterbii. »

708 Viterbe, sans date

Phy. imperatori Constantinopolitano et K. regi Sicilie significat se nuntios ad Paleologum, imperatorem Grecorum, destinare et quid super treugis inter eosdem et Paleologum ineundis eisdem nuntiis committendum fuerit ab eis petit. (Fol. 35, vº; an I, nº 28.)

« *Nicolaus episcopus etc. Carissimis in Christo filiis nostris. Phy. imperatori Constantinopolitano et K. regi Sicilie illustribus. Salutem et apostolicam benedictionem.* De ineundis treugis inter vos et karissimum in Christo filium nostrum Paleologum imperatorem Grecorum illustrem per apostolice sedis nuntios hactenus sicut vos ignorare non credimus habitus est tractatus, qui tamen nondum votivum produxit effectum. Propter quod utile videretur et congruum ut nuntiis quos ad eundem imperatorem ad presens disposuimus destinandos super hoc specialiter aliquid committatur. Expedit igitur quod et vos de hiis notitiam obtinentes quid super eis prefatis nuntiis nostris committendum fuerit cogitetis, nobis quod super hiis conceperitis rescribendo. Datum Viterbii. »

709 Viterbe, sans date

Phylippo imperatori Constantinopolitano significat se tractatum cum imperatore Grecorum tempore Johannis pape XXI specialiter de temporalibus habitum continuare; ab eodem petit quod nuntii ipsius et regis Sicilie plene instructi cum aliis in predicti negotii prosecutione concurrant. (Fol. 35 v°; an I; an I, n° 29.)

« *Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Phy. imperatori Constantinopolitano illustri. Salutem et apostolicam benedictionem.* Laboravit abolim sicut laborare non cessat Romana mater ecclesia quod inter Latinos et Grecos una sit fides mentium, eadem animorum idemptitas et concordia voluntatum, ita quod inter alios varios habitos in hac parte tractatus felicis recordationis Johannes papa XXI^us^ predecessor noster ad karissimum in Christo filium nostrum Palealogum imperatorem Grecorum illustrem certos nuntios et litteras destinavit ut infra certum tempus propter hoc et specialiter pro hiis que temporalia inter ipsum ex una parte ac te et karissimum in Christo filium nostrum K. Sicilie regem illustrem ex alia contingebant ad Sedem Apostolicam nuntios destinaret. Tandem nos ad apostolatus apicem evocati quia missos ex parte ipsius Palealogi nuntios reperimus ad ipsa temporalia mandatum aliquid non habere, intendimus eidem per litteras nostras rescribere ut infra quinque menses post receptionem earum nuntios cum sufficienti mandato et instructione majori munitos juxta ejusdem predecessoris continentiam litterarum ad sedem remittat eandem optantes quod effectus Deo placidus exinde subsequatur. Verum quia te ac K. regem eundem in eisdem temporalibus tractatus ipse contingit hec ad tuam et ipsius regis notitiam digne perducimus tidi paternis affectibus suadentes quod et te ac regem eundem premunias et conformes ad ea que bonum pacis respiciant et quietis augmentum ita quod cum nuntios ipsos venire contigerit nuntii tui et regis ejusdem plene instructi et muniti sufficientibus mandatis cum aliis in predicte negotii prosecutione concurrant. Datum Viterbii. »

710 Viterbe, sans date

Carolo regi Sicilie archiepiscopum Ravennatensem destinat; eundem rogat quatinus capitaneo et militibus suis in Bononiensi et Romaniole partibus efficaciter mandare procuret quod apostolicam sedem adjuvent; de tractatu cum imperatore Grecorum habitis eadem significat que jam Ph. imperatori Constantinopolitano significavit. (Fol. 36; an I; n° 30.)

« *Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio K. regi Sicilie illustri. Salutem et apostolicam benedictionem.* Precordia patris attendere te fili karissime volumus et que infra illa resonant clara mente conspicere ut que scribimus plena sensibilitate suscipias, suscepta recolligas et collecta conscribas in tabulis mentis tue serenitatis gratiam productura. Te quidem inter alios orbis terre catholicos principes in pectore nostro gerimus predilectum brachiis sincere specialitatis amplectimur et prerogativa constringimus in gremio sedis apostolice recumbentem. Hoc enim nostra querit intentio ut tu preclarus filius paterne benedictionis rore conspersus in omni salute proficias et felicibus successibus augearis. Hoc affectibus nostris adicitur ut pater eternus culmina tue serenitatis adaugeat et roboret ac soliditate confirmet. Et hoc desideria nostra requirunt ut tibi in regno tuo tranquillitates arrideant ubertas pacis refloreat et superne donum prosperitatis accrescat. Ut igitur premissa que frequenti commemoratione resolvimus et que propter locorum distantiam tibi nequimus presentialibus affatibus explicare de pectore nostro percipias, venerabilem fratrem nostrum.. archiepiscopum Ravennatensem exaltationis regie precipuum zelatorem ad te du-

ximus destinandum avidis affectibus exspectantes de statu tuo ejus relatione gratissima recreari. Nam utriusque nature conjungitur quod in patris gratus filius et in filii pater benivolus refectione prosperitatis exultet, et talis refectionis fraglantia potiatur Profecto Romana mater ecclesia cum necessitas ingruit causas tibi sue brachio temporalis potestatis exponit que opportuno tempore subsidia postulat inconcussa certitudine susceptura. Et quia nuper ad recuperationem jurium que in Romaniole partibus nobis et eidem ecclesie debentur studia nostra convertimus et intendimus propter hoc ad partes easdem legatum sedis ejusdem ac alios sollempnes nuntios destinare, ad quod eadem ecclesia dinoscitur decenti militia indigere, cum tales legatum et nuntios in tanti prosecutione negotii honorabili comitiva deceat esse suffultos, ut in manu potenti quod de recuperatione ipsa nostris inheret affectibus divina cooperante clementia compleatur, celsitudinem tuam presentium tenore requirimus et attente rogamus quatenus.. capitaneo et militibus tuis in Bononiensi et Romaniole partibus existentibus per nuntium et litteras regias sic efficaciter sic firmiter mandare procures quod se preparent et accingant quod cum eos usque ad quantitatem et tempus in conventionibus inter predictam ecclesiam et te habitis expressa, requiri per legatum et nuntios aut per litteras faciemus ipsos habeamus ad beneplacita nostra paratos per idem tempus in ejusdem ecclesie servitiis ibi vel alibi in terris ecclesie moraturos, nec in hoc nostra fraudetur intentio set qui aptiores, meliores magisque ad militares actus accincti inter eos fuerint in nostro et ipsius ecclesie servitio commorentur. Et intendimus quod tempus ipsum incipiat postquam ut premittitur dicti capitaneus et milites ex parte nostra extiterint requisiti. Quam requisitionem facere Domino concedente proponimus infra tempus quo secundum conventiones inter ipsos et Bononienses habitus tenentur in eisdem partibus iidem capitaneus et milites remanere quidquam de statutis et debitis per te illis stipendiis taliter eis facias provideri quod hac occasione in prosecutione servitiorum hujusmodi non tepescant sed illa potius libere prosequi teneantur. Ceterum laboravit abolim sicut laborare non cessat eadem ecclesia quod inter Latinos et Grecos una sit fides mentium —. Verum quia eundem imperatorem ac te in temporalibus eisdem tractatus ipse contingit hoc ad ipsius et tuam notitiam digne perducimus tibi paternis affectibus suadentes quod ipsum imperatorem Constantinopolitanum ac te premunias ac conformes ad ea que bonum pacis respiciant et quietis augmentum, ita quod cum nuntios ipsos venire contigerit, nuntii predicti imperatoris Constantinopolitani et tui plene instructi et muniti sufficientibus mandatis cum aliis in predicti negotii prosecutione concurrant Dat. Viterbii. »

711 Saint-Pierre, 24-25 mai 1278

Carolus rex Sicilie, cui Clemens papa quartus vicariam generalem in Tuscie partibus Rome subjectis imperio litteris Viterbii 17 apr. 1268 datis commisit, concessionem ipsi factam de eadem vicaria usque ad quatuor menses retinenda, recognoscit, secundum litteras apostolicas 25 mai datas, quarum tenor infra scribitur; promittit pape et successoribus ejus quod elapsis dictis quatuor mensibus de ipsa vicaria se ulterius non intromittat. (Fol. 37; an I, nº 31.)

(en marge : de vicaria Tuscie commissa regi Sicilie.)

« *Sanctissimo in Christo patri et domino speciali domino Nicolao divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici. Karolus Dei gratia rex Jerusalem. Sicilie ducatus, Apulie et principatus Capue, Andegavie, Provincie, Forchalkerii et Tornodori comes cum omni reverentia et honore devota pedum oscula beatorum.* Sancte recordationis dominus Clemens papa IIII predecessor vester vicariam generalem in Tuscie partibus Rome subjectis imperio mihi sub certa forma commisit et nuper mihi a sanctitate vestra presenti scripto fateor esse concessum ut pretextu commissionis hujusmodi retinendo vicariam ipsam usque ad quatuor menses exnunc computandos penas in conventionibus tempore traditi mihi regni Sicilie inter sanctam Romanam ecclesiam et me statutas, huic articulo annexas vel earum aliquam non incurram, ita quod finitis dictis quatuor mensibus vicariam ipsam liberam et expeditam omnino dimittam, niśi aliud interim super hoc mihi concedi contingerit per vestras litteras concessionem hujusmodi specialiter exprimentes, prout in apostolicis litteris per vos mihi concessis plenius continetur. Quarum tenor talis est *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. carissimo in Christo filio K. regi Sicilie illustri ad futuram rei memoriam.* Exposuisti

nobis quod felicis recordationi Clemens papa quartus predecessor noster vicariam generalem in Tuscie partibus Romano subjectis imperio tibi per suas litteras sub infrascripta forma commisit, sicut in transcripto litterarum earumdem quas te habuisse asseris continetur. Quod tale est. Universis presentes litteras inspecturis S. miseratione divina tituli Sancte Cecilie presbiter cardinalis Salutem in Domino. Litteras felicis recordationis domini Clementis pape IIII apertas cum bullis et filis pendentibus nos vidisse et diligenter inspexisse noveritis, in hec verba *Clemens episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio K. regi Sicilie illustri. Salutem et apostolicam benedictionem.* A multo tempore scissuris variis provinciam Tuscie laceratam ad pacem reducere cupientes te, cujus in majoribus longe negotiis fidem probavimus et industriam, in ipsius Tuscie finibus Romano subjectis imperio dudum constituimus paciarium.Set cum pacis filios in diversis civitatibus et locis aliis earumdem partium non inveneris immo potius turbatores, ne officii commissi tenuitas nostrum possit propositum et tuum impedire processum, nos qui fluctuantis imperii curam gerimus te vicarium ipsius imperii in dictis partibus constituimus generalem. Confortare igitur fili karissime et esto robustus et sic stude quod injungitur exequi ut qui pacem diligunt pacem habeant et qui eam turbare voluerint ejus beneficio careant, dampna que propria culpa senserint non utique nobis aut tibi set temerariis suis ausibus ascripturi. Dat. Viterbii xv kalendas maii pontificatus nostri anno quarto.

Item *Clemens episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus in Tuscie partibus Romano subjectis imperio constitutis. Salutem et apostolicam benedictionem.* A multo tempore scissuris — Quocirca universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus in predictum regem sicut ejusdem imperii in illis partibus generalem vicarium intendentes, tam ei quam ipsius vicem gerentibus pareatis fideliter et devote. Nos enim tam mulctas quas indixerint quam processus eorumdem legitimos in rebelles ratos habebimus et usque ad satisfactionem condignam faciemus inviolabiliter observari. Dat. Viterbii xv kalendas maii pontificatus nostri anno quarto. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Dat. Rome anno Domini MCCLXXII kalendis junii pontificatus domini Gregorio pape X anno primo.

Tu vero volens tibi provida deliberatione consulere ne in posterum vicariam retinendo predictam penas vel earum aliquam expressas in instrumento seu litteris confectis super collatione vel concessione regni Sicilie ac totius terre que est citra farum usque ad confinia terrarum ecclesie Romane, excepta civitate Beneventana cum toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis suis tibi factas auctoritate sedis apostolice per nos tunc Sancti Nicolai in carcere Tulliano et dilectum filium nostrum J. Sancte Marie in Cosmidin diaconum ac bone memorie A. basilice XII apostolorum presbiterum et R. Sancti Angeli diaconum cardinales, huic articulo annexas incurrentes et ne per hoc juramentum super eisdem conditionibus plenarie adimplendis et inviolabiliter observandis a te prestitum vel quod imminet nunc prestandum violasse vel violare in posterum censearis, petiisti super hiis tibi per sedem apostolicam salubriter provideri. Nos igitur necessitatem et utilitatem ipsius provincie et incolarum ejus attendentes ac debita maturitate pensantes quod si predicta provincia diebus istis careret cura regiminis, dispendia gravia ad que verisimiliter disposita esse dinoscitur posset incurrere ac tranquillitas fidelium ejusdem ecclesie perturbari, et karissimo in Christo filio nostro R. regi Romanorum illustri ex turbatione hujusmodi plurimum deperire, presentium tibi auctoritate concedimus ut pretextu commissionis hujusmodi retinendo vicariam ipsam usque ad quatuor menses exnunc computandos penas in eisdem conditionibus expressas huic articulo annexas vel earum aliquam non incurras. Nec juramentum super eisdem conditionibus plenarie adimplendis et inviolabiliter observandis a te prestitum vel quod imminet nunc prestandum per hoc censeri debeat violatum, ita tamen quod finitis quatuor mensibus supradictis vicariam ipsam liberam et expeditam omnino dimittas nisi aliud interim super hoc tibi concedi contigerit per nostras litteras concessionem hujusmodi specialiter exprimentes. Quod si secus per te vel alios de mandato tuo quomodolibet factum vel attemptatum extiterit omnes et singulas penas contentas in conventionibus supradictis huic annexas articulo quibus extunc te subjacere decernimus eo ipso te noveris incurrisse ac predictum juramentum a te prestitum vel quod imminet nunc prestandum nichilominus violasse. Nolumus autem quod pretextu hujus nostre concessionis ratione sumptuum in hujus vicarie officio vel ipsius occasione factorum vel faciendo-

rum vel dampnorum etiam si qua quod absit te vel gentem tuam propterea subire contingeret predictam Tusciam aut aliquam magnam vel modicam partem ipsius, elapsis dictis quatuor mensibus, retineas quomodolibet vel ejus incolas molestes in aliquo impetas vel perturbes nec possis a nobis vel dicta ecclesia seu a rege vel imperatore Romanorum propter hoc in posterum aliquid postulare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum VIII kalendas junii pontificatus nostri anno primo. »

Ego autem eandem ecclesiam et vos mihi propitios recognoscens, vobis et per vos successoribus vestris et eidem ecclesie sollempniter bona fide promitto quod elapsis dictis quatuor mensibus de ipsa vicaria me ulterius nullatenus intromittam, sed eam libere et absolute dimittam, nisi aliud interim super hoc mihi concedi contigerit per vestras litteras concessionem hujusmodi specialiter exprimentes, nec pretextu hujusmodi vestre concessionis ratione sumptuum in hujusmodi vicarie officio vel ipsius occasione factorum vel faciendorum vel dampnorum etiam si qua quod absit me vel gentem meam propterea subire contingeret predictam Tusciam aut aliquam magnam vel modicam partem ipsius retinebo quomodolibet vel incolas ejus impetam vel aliquatenus molestabo nec a vobis vel dicta ecclesia seu a rege vel imperatore Romanorum propter hoc in posterum aliquid postulabo. Quod si quod absit contrarium facerem, penis omnibus huic annexis articulo in conventionibus supradictis totaliter me astringo et expresse volo et consentio quod per hoc vel horum aliquod conventionibus eisdem in nullo penitus derogetur, sed ille nichilominus in suo perpetuo robore perseverent. Ad quarum observationem ita per omnia me teneri fateor, sicut ante predictam concessionem tenebar et perinde promitto in omnibus observare. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri feci et aurea bulla typario regie majestatis impressa muniri. Dat. Rome apud Sanctum Petrum per magistrum Guillelmum de Farumvilla prepositum ecclesie Sancti Amati Duacensis, regnorum Jerusalem et Sicilie vicecancellarium capellanum vestrum. Anno domini M° CC° LXXVIII° die XXIIII mensis maii VI° indictione regnorum meorum Jerusalem anno Sicilie secundo. vero tertio decimo. »

712 Saint-Pierre, 24-25 mai 1278

Carolus rex Sicilie fatetur a papa nuper esse concessum ut retinendo regimen Urbis usque ad diem 16 mensis septembris proximo futuri penas in conventionibus tempore traditi ipsi regni Sicilie inter Romanam ecclesiam et ipsum statutas non incurrat, secundum litteras apostolicas 25 mai. datas, quarum tenor infra scribitur; promittit pape quod adveniente dicto die de hoc regimine se ulterius non intromittat. (Fol. 38 v°; an I, n° 32; cf. POTTHAST 21326.)

« *Sanctissimo in Christo patri et domino speciali domino Nicolao divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici. Carolus Dei gratia rex Jerusalem, Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Andegavie, Provincie, Forchalcherii et Tornodori comes cum omni reverentia et honore devota pedum oscula beatorum.* Sancte recordationis dominus Clemens papa quartus predecessor vester michi ut si nobilis vir dompnus Henricus magnifici principis illustris regis Castelle germanus tunc Urbis senator, ab ipso domino papa ex justis causis excommunicationis vinculo innodatus, infra tunc proximum festum Ascensionis Domini ad sua et ecclesie Romane mandata non rediret, extunc ejusdem Urbis regimen de consensu populi Romani a juramento quod eidem dompno Henrico prestiterat absoluti infra tunc proximum festum omnium sanctorum ad continuum decennium recipere possem sub certa forma concessit. Et cum sextadecima die mensis septembris proximo futuri dictum decennium finiatur, presenti scripto sponte fateor a sanctitate vestra michi nuper esse concessum ut retinendo regimen hujusmodi usque ad predictum diem juxta formam concessionis predecessoris ejusdem penas in conventionibus tempore traditi michi regni Sicilie inter sanctam Romanam ecclesiam et me statutas non incurram nec juramentum super eisdem conventionibus plenarie adimplendis et inviolabiliter observandis a me prestitum vel quod imminet nunc prestandum censeri debeat per retentionem hujusmodi violatum. Ita quod adveniente dicto die regimen ipsum et quodcunque aliud in ipsa Urbe dominium liberum et expeditum omnino dimittam, nisi aliud interim super hoc michi concedi contingeret per vestras litteras concessionem hujusmodi specialiter exprimentes. Quod si secus per me vel de mandato meo factum vel attemptatum extiterit omnes et singulas penas contentas in conventionibus et collatione predictis

huic annexas articulo quibus extunc me subjacere per easdem litteras decrevistis eo ipso me noscerem incurrisse ac predictum juramentum a me prestitum vel quod imminet nunc prestandum nichilominus violasse, sicut in apostolicis litteris per vos mihi concessis plenius continetur. Quarum tenor talis est.

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Karissimo in Christo filio Carolo regi Sicilie illustri. Ad futuram rei memoriam.* Exposuisti nobis quod felicis recordationis Clemens papa quartus predecessor noster ut si nobilis vir Henricus carissimi in Christo filii nostri.. regis Castelle germanus tunc Urbis senator, ab ipso predecessore ex justis causis excommunicationis vinculo innodatus, infra tunc proximum festum Ascensionis Domini ad sua et ecclesie mandata non rediret, extunc ejusdem Urbis regimen de consensu populi Romani, a juramento quod eidem Henrico prestiterat absoluti, infra tunc proximum festum omnium Sanctorum ad continuum decennium recipere posses, et tractatum habere interim cum quibuscunque personis, quas ad hoc utiles esse crederes per te vel alios sicut expedire videres, non obstante juramento quo te Romane ecclesie obligasti de non recipiendo hujusmodi regimen seu tractatu super eo habendo quovis tempore quando regnum Sicilie recepisti quod quantum ad ea que ad predicta pertinent relaxavit. Ita quod elapso decennio predicto regimen ipsum ulterius per te vel per alium tenere non posses sed esset ipso lapsu temporis omnino finitum et si de ipso te intromitteres exinde penis omnibus huic annexis articulo in conventionibus tempore traditi regni predicti inter predictam ecclesiam et te habitis subjaceres per suas litteras sub certa forma concessit, prout in transcripto litterarum earundem quod te habuisse asseris continetur quod tale est.

« *Clemens episcopus servus servorum Dei karissimo in Chrito filio K. regi Sicilie illustri. Salutem et apostolicam benedictionem.* Ut pacificum Urbs statum habeat et nobis ac nostris fratribus accessus pateat ad eandem quam nondum visitare potuimus multis dissensionibus laniatam, serenitati tue quod si vir nobilis Henricus karissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Castelle germanus ipsius Urbis senator, a nobis ex causis justis excommunicationis vinculo innodatus, infra proxinum festum Ascensionis Domini ad nostra et ecclesie Romane mandata non redierit, extunc ejusdem Urbis regimen de consensu Romani populi a juramento quod eidem H. prestiterat absoluti infra proximum festum Sanctorum omnium ad continuum recipere possis decennium necnon et tractatum habere interim super istis cum personis quibuslibet quas ad hoc utiles esse credideris per te vel alios sicut videris expedire auctoritate presentium indulgemus. Non obstante juramento quo te nobis et Romane ecclesie obligasti de non recipiendo hujusmodi regimine seu tractatu super eo habendo quovis tempore quando a nobis regnum Sicilie recepisti, quod quantum ad predicta que tibi tenore presentium indulgemus pertinet relaxamus. Elapso tandem tempore supradicto dictum regimen ulterius per te vel alium tenere non poteris sed erit ipso lapsu temporis finitum omnino. Et si de ipso te exinde intromittes penis omnibus huic annexis articulo in conventionibus tempore traditi tibi regni predicti inter nos et te habiti subjaceres. Dat. Viterbii iii idus aprilis pontificatus nostri anno quarto. »

Verum quia dictum decennium sextodecimo die mensis septembris proxime futuri sicut asseris finietur super hoc sedis ejusdem providentiam implorasti. Quare celsitudini regie presentium auctoritate concedimus ut retinendo regimen hujusmodi usque ad predictum diem juxta formam concessionis hujusmodi penas in eisdem conventionibus expressas huic articulo annexas vel earum aliquam non incurras, nec juramentum super eisdem conventionibus plenarie adimplendis et inviolabiliter observandis a te prestitum vel quod imminet nunc prestandum censeri debeat per retentionem hujusmodi violatum. Ita tamen quod adveniente dicto die regimen predictum et quodcunque aliud in ipsa Urbe dominium liberum et expeditum omnino dimittas, nisi aliud interim super hoc tibi concedi contigerit per nostras litteras concessionem hujusmodi specialiter exprimentes. Quod si secus per te vel alios de mandato tuo quomodolibet factum vel attemptatum extiterit, omnes et singulas penas contentas in conventionibus predictis, huic annexas articulo, quibus extunc te subjacere decernimus eo ipso te noveris incurrisse ac predictum juramentum a te prestitum vel quod imminet nunc prestandum nichilominus violasse. Dat. Rome apud Sanctum Petrum viii kalendas junii pontificatus nostri anno primo. »

Ego autem eandem ecclesiam et vos mihi propitios recognoscens vobis per vos successoribus ves-

tris et eidem ecclesie sollempniter bona fide promitto quod adveniente dicto die de ipso regimine me ulterius nullatenus intromittam sed illud dimittam penitus absolutum nisi aliud interim super hoc michi concedi contigerit per vestras litteras concessionem hujusmodi specialiter exprimentes. Quod si quod absit contrarium facerem, penis omnibus huic annexis articulo in conventionibus supradictis totaliter me astringo et expresse volo et consentio quod per hoc vel horum aliquod conventionibus eisdem in nullo penitus derogetur, sed ille perpetuo nichilominus in suo perpetuo robore perseverent. Ad quarum observationem ita per omnia me teneri fateor sicut ante predictam concessionem tenebar, et perinde promitto in omnibus observare. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri feci et aurea bulla typario regie majestatis impressa muniri. Dat. Rome apud Sanctum Petrum per magistrum Guillelmum de Farumvilla prepositum ecclesie Sancti Amati Duacensis regnorum Jerusalem et Sicilie vicecancellarium capellanum vestrum. Anno Domini M° CC° LXXVIII° die XXIIII mensis maii. VIe indictionis regnorum meorum Jerusalem anno secundo. Sicilie vero tertio decimo. »

713 Viterbe, 22 août 1278

Philippum regem Francie, cujus nuncios magistros Stephanum decanum Laudunensem et G. Parisiensem archidiaconum nuper recepit, hortatur quatinus S. tituli S. Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato ad educendum de regno capellanum suum, canonicum Laudunensem, qui nimis inconsulte de ipso rege oblocutus fuerat, sine offense alicujus injuria regie potentie favorem impertiatur. (Fol. 39 v°; an I, n° 33; POTTHAST 21400.)

« *Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio.. regi Francie illustri. Salutem et apostolicam benedictionem.* Amaritudinum gravem quam. Dat. Viterbii XI kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo. »

714 Viterbe, 25 septembre 1278

Episcopo Ostiensi, cui legationis officium et reformationem concordiarum commisit, et Bertoldo rectori, qui de recuperandis juribus Ecclesie per modum brachii secularis seu temporalis jurisdictionis se specialiter intromittere debet, mandat quatinus invicem se adjuvent, et pro recuperatione jurium eorumdem episcopus rectori quasi principalis ordinator in cunctis presit. (Fol. 40 v°; an I, n° 34, POTTHAST 21457.)

« *Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato et dilecto filio nobili viro Bertoldo de filiis Ursi civi Romano totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis, comitatus Brettenorii et pertinentiarum eorumdem rectori. Salutem et apostolicam benedictionem.* Provincie Romaniole, civitatis — Dat. Viterbii VII kalendas octobris pontificatus nostri anno primo. »

715 Viterbe, 30 septembre 1278

Johanni de Accon, butticulario regni Francie, clare memorie imperatoris Constantinopolitani filio, mandat quatinus regi Francie ea suadeat, que devotionem ipsius ad matrem Ecclesiam suosque ministros efficaciter nutriant. (Fol. 41; an I, n° 35.)

« *Nicolaus, etc., dilecto filio nobili viro Johanni de Accon butticulario regni Francie.* Sincere caritatis affectum quem amicabiliter ad te gerebamus hactenus ut amicum, super inpositum nobis apostolatus officium quod nos tibi patrem constituit, ampliavit et extulit in paternum, hinc frequenter apud nos tui memoriam delectabiliter innovamus et memoranda clare memorie imperatoris Constantinopolitani genitoris tui quam plurima dona virtutum in te veluti transfusa cum sanguine derivata gaudemus. Hinc gaudenter audimus te in oculis carissimi in Christo filii nostri.. regis Francorum illustris, cujus statum prosperum plenis zelamus affectibus gratiosum, tua sibi fore grata consilia et conversationem acceptam. Speramus etenim quod cum sis, ut fidedignorum habet assertio, vir fidelis et prudens, Deum timens, et ad servandam tui nominis integritatem intendens, ea sibi suggeres, ea pro viribus suadebis que placita creatori tuo putaveris devotionem in eo a suis progenitoribus radicatam ad matrem suam sacrosanctam ecclesiam nutriant, sibique sint utilia, suis, regno et subditis fructuosa, ideoque nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatenus

sollicitam daturus operam ut in premissis res spei nostre succedat, in talibus circa eundem regem verseris sedulus, in talibus delecteris et solite devotionis augmentum ad eandem matrem ecclesiam suosque ministros, pacem ad proximos, justitiam et clementiam ad subditos persuadens, ut exinde apud retributorem bonorum omnium retributionis eterne inextimabile premium, apud nos uberioris favoris et gratie incrementum et apud omnes digne laudis preconium consequaris. Sciturus quod tibi favorabiliter adesse in opportunitatibus tuis intendimus in quibus secundum Deum poterimus et conscientia patietur. Dat. Viterbii II kalendas octobris, pontificatus nostri anno primo. »

716 Vetralla, 10 octobre 1278

Episcopo Agennensi significat se prioratum secularis ecclesie S. Caprasii Agennensis, per mortem magistri Angeli de Vezosis camerarii sui vacantem apostolice auctoritati reservare; ei mandat quatinus decretum hujus modi capitulo significat. (Fol. 41; an I; nº 36.)

« *Nicolaus etc. episcopo Agennensi.* Vacante olim apud sedem apostolicam prioratu secularis ecclesie Sàncti Caprasii Agennensis per mortem quondam magistri Angeli de Vezosis camerarii nostri prioris ipsius ecclesie, prioratum ipsum cum omnibus juribus et pertinentiis suis collationi nostre auctoritate apostolica duximus reservandum. Decernentes extunc irritum et inane, si super prioratu predicto et post unum mensem in moderatione constitutionis felicis recordationis Clementis pape predecessoris nostri super prioratibus et beneficiis ecclesiasticis apud sedem ipsam vacantibus edite, per pie memorie Gregorium papam decimum predecessorem nostrum taxatum in concilio Lugdunensi secus a quoquam scienter vel ignoranter existeret attemptatum. Quare fraternitati tue in virtute obedientie per apostolica scripta mandamus quatenus reservationem et decretum hujusmodi, que tibi tenore presentium nuntiamus, eisdem capitulo nuntians et faciens publice nuntiari ipsis ex parte nostra districtius inhibere procures, ne de prioratu, juribus et pertinentiis eisdem contra reservationis et constitutionis nostre tenorem aliquid audeant attemptare. Quod ipsum tibi etiam auctoritate presentium noveris interdictum, rescripturus nobis fideliter per tuas patentes litteras harum seriem continentes, publicationem et inhibitionem hujusmodi et quicquid in premissis duxeris faciendum. Dat. Vetralle VI idus octobris pontificatus nostri anno primo. »

717 Vetralla, 10 octobre 1278

Eidem episcopo mandat quatinus indagatione cauta perquirat si prioratus S. Caprasii unquam extitit regularis, et omnes circumstantias prioratum contingentes eundem, studeat pape fideliter intimare. (Fol. 41 vº; an I, nº 37.)

« *Eidem Agennensi episcopo.* De hiis que contingunt conditiones et statum prioratus secularis ecclesie Sancti Caprasii Agennensis plenariam scire certitudinem intendentes, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatenus indagatione cauta, provida, fideli et sollerti, non inquisitione sollempni publica vel jurata perquirens, si prioratus ipse umquam extitit regularis, et qua occasione vel causa et a quo tempore factus extiterit secularis, si animarum cura et quanta eidem immineat vel consueverit imminere, quid et quomodo circa hec servatum fuerit vel extiterit innovatum, valorem redditum prioratus ejusdem et si redditus ipsius sint diminuti forsitan vel adaugti et omnes circumstantias prioratum contingentes eundem nobis generaliter et singulariter, seriose, apertius et distincte per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Attentius provisurus quod per te de premissis universis et singulis, et aliis que circa hec possent occurrere omnimode veritatis efficaciam sicut speramus et credimus habeamus. Nam si quod absit de hiis que nobis scripseris contrarium imposterum sentiremus, reputaremus per te nobis illusum et tu posses exinde preter turbationem nostram penam gravem sicut videremus expediens formidare. Dat. Vetralle VI idus octobris, pontificatus nostri anno primo. » clausa fuit

718 Viterbe, 9 octobre 1278

Cisterciensis et Clarevallensis monasteriorum abbatibus mandat quatinus pecuniam tempore Gregorii pape X apud eos a Guillelmo Ferrariensi episcopo depositam

infrascriptis mercatoribus de Florentia et de Senis infra quindecim dies post receptionem presentium integre assignent. (Fol. 41 v°; an I, n° 38.)

« *Nicolaus etc. Dilectis filiis.. Cisterciensis et.. Clarevallensis.. monasteriorum abbatibus, Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.* Cum venerabilis frater noster Guillelmus Ferrariensis episcopus, tunc camerarius felicis recordationis Gregorii pape X predecessoris nostri decem millia librarum Turonensium nomine ipsius predecessoris et camera ejus apud vos sub certa forma duxerit fiducialiter deponenda, restituenda ad mandatum predicti predecessoris vel camerarii ejus eidem predecessori vel cui ipse commiserit infra quindecim dies postquam vos vel alter vestrum super hoc fueritis requisiti, prout in publico instrumento inde confecto vestris sigillis munito plenius continetur, nos volentes hujusmodi depositum seu pecuniam dilectis filiis Bonisingne Bonacursi et Peponi Bonaprise de societate Rimbertinorum de Florentia et Renaldo Delmantellato ac Conrado Beringnonis de societate filiorum quondam Bonsingnoris de Senis mercatoribus nostris nostro nomine integre assignari, discretioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus quatenus vos vel alter vestrum predictam pecuniam eisdem mercatoribus vel alicui ex eis presentes litteras deferenti infra quindecim dies post receptionem presentium nostro et ecclesie Romane nomine integre et liberaliter assignetis. Diem vero assignationis hujusmodi et locum nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimetis, preceptum nostrum in hac parte taliter impleturi, quod devotionis vestre promptitudinem possimus exinde merito commendare. Dat. Viterbii VII idus octobris. pontificatus nostri anno primo. »

719 Capranica, 19 octobre 1278

Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato mandat quatinus in omnibus que circa regimen province Romaniole etc. rectori Bertoldo commissa sunt, durante ipsius Bertoldi infirmitate, per se vel per alium plenarie ac prudenter gerat. (Fol. 42; an I, n° 39.)

« *Nicolaus etc. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato.* Cum sicut nuper ad nostrum pervenit auditum-dilectus filius nobilis vir Bertoldus de filiis Ursi civis Romanus totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis, comitatus Brettenorii et pertinentiarum eorumdem rector gravi sui corporis infirmitate gravetur, nos statum commissi sibi regiminis a quibuslibet dispendiis preservari volentes et in vigore prospero conservari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus in omnibus,que circa regimen ipsum eidem rectori commisimus, tam in officio hujusmodi rectorie exercendo quam in directione ac conservatione militie regie ac aliorum commissorum ducatui rectoris ejusdem per te vel alium predicta infirmitate durante plenarie ac prudenter geras sollicitudine opportuna. Et si quod absit dictum rectorem diem contingeret extremum concludere predicta omnia et alia que circa premissa per nos rectori commissa fuerunt eidem exerceas ut premittitur et cum diligentia prosequaris. Dat. Capranice XIII kalendas novembris pontificatus nostri anno primo. »

720 Capranica, 19 octobre 1278

Guillelmo Estandardo et militibus regiis ad servitia Romane ecclesie in Romaniole partibus deputatis mandat quatinus Ostiensi episcopi sicut predicto Bertoldo in omnibus obedire studeant. (Fol. 42 v°; an I, n° 40.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio Guillelmo Estandardo et militibus seu stipendiis regiis nunc ad servitia Romane ecclesie in Romaniole partibus deputatis. Salutem et Apostolicam benedictionem.* Cum sicut nuper — Quocirca devotioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus eidem legato vel de mandato suo sicut predicto Bertoldo juxta prescriptam formam in omnibus obedire ac efficaciter intendere studeatis, ita quod possitis exinde merito commendari. Dat. ut supra proxima. »

721 Capranica, 19 octobre 1278

Universis comitibus, baronibus, consiliis et comunitatibus per totam provinciam Romaniole etc. constitutis eadem mandat. (Fol. 42 v°; an I, n° 41.)

« *Nicolaus etc. universis comitibus, baronibus, potestatibus, capitaneis, consiliis, comunitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et locorum per to-*

tam provinciam Romaniole ,civitatem Bononiensem, comitatum Brettenorii et pertinentiarum eorumdem constitutis. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut super—Quoc irca universati vestre per apostolica scripta etc. ut in superiori. Alioquin sententias sive penas quas idem legatus propter hoc tulerit in rebelles ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. ut supra proxima. »

722 Saint-Pierre, 7 novembre 1278

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato, cujus litteras nuper recepit, respondet; ejusdem zelum laudat et ad ea que in cedula predictis litteris interclusa collegit aliter ad presens differt providere. (Fol. 42 v°; an I, n° 42.)

« *Nicolaus etc. venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato. Salutem etc.* Visis et plenius intellectis que misse nuper nobis ex parte tua littere continebant, sollicitudinis studium quod in progressu tuo celeri et prompto tibi negotiorum aggressu adhibere laudabiliter studuisti multipliciter commendamus, et considerato quod in ea brevitate temporis quo partes tue legationis adiveras ac fueras ibidem antequam nobis eadem littere mitterentur, conditiones personarum et negotiorum qualitates et status ac singulorum circumstantias plene comprehendere ac examinare sua decentia nequivisti, ad ea que in cedula predictis litteris interclusa collegimus aliter ad presen differimus providere, sperantes quod te ipsa negotia sub ducatu summi principis plene tue circumspectionis industria et maturitate provida prosequente ac inherente nostris informationibus quas a nobis in diversis collationibus super hiis habitis recepisti, et quas te principaliter decet attendere adaperietur tibi clara notitia premissorum et omnia dante Domino in plena prosperitate succedent, et tu absque remediis aliis in hujusmodi grata prosecutione quiesces — Dat. Rome apud Sanctum Petrum vii idus novembris, pontificatus nostri anno primo. »

723 Saint-Pierre, 16 novembre 1278

Eidem legato de diversis negotiis, de quibus in litteris ipsius agebatur, respondet; qualiter erga Gentilem habere se debeat, legatus ipse inspiciat et judicet. (Fol. 43 an I, n° 43.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri Leoni Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato. Salutem et apostolicam benedictionem.* Ex litteris nuper nobis ex tua parte transmissis diversorum negotiorum conditiones audivimus, super quibus tue circumspectionis industriam commendantes gratum gerimus quod nobilis vir Guido comes de Montefeltro nostris et ecclesie Romane mandatis, sicut eedem innuebant littere, se conformat, quem in devotione ipsius ecclesie servare studeas et super sedeas ad presens alia sibi mandata preter pecunias impositas conculcare. Et quia per Dei gratiam negotia procedere in prosperitate sentimus, expedire non credimus hiis diebus apud karissimum in Christo filium nostrum K. Sicilie regem illustrem insistere precibus pro ejus militibus ultra statutum terminum retinendis. Cameram quoque nostram ad presens quasi exaustam multis expensis a debitorum oneribus preservare studemus. Quare de aliis militibus stipendariis et de quibusdam pecuniarum summis de quibus faciebant eedem littere mentionem sub certa forma providimus sicut tibi per dilectum filium Johannem Caputii canonicum Sancte Marie in Transtiberim de Urbe, quem ad partes illas transmittimus, clarius innotescet, ecclesiarum quidem dispendia sollicitis studiis evitantes placet nobis si pro earum exoneratione ac alias expedire videris, illos tres nuntios nostros, quos ad partes illas olim transmisimus tecum duxeris retinendos, donec de ipsorum mora vel reditu aliter ordinemus. De vassallis vero ipsarum ecclesiarum de quibus tibi plene constiterit ad easdem ecclesias nullo medio pertinere ordinare poteris quod in talium recognitione dominii sic eisdem precaveatur ecclesiis, quod per hoc nullum ipsis in possessione vel proprietate prejudicium generetur. Verum gaudemus in Domino quod, sicut ea cedula litteris ipsis interclusa collegimus, tu et dilectus filius Gentilis affabilitate grata in negotiorum prosecutione vigetis. Super eo vero quod per te in eadem cedula petebatur qualiter erga ipsum Gentilem habere te debeas in agendis habitu debite caritatis inter vos quasi certitudinaliter in mente nostra supposito et quod tu ipsum caritative prosequeris ut filium et ipse te in omnibus revereatur ut patrem, ad exercitium jurisdictionis ipsius Gentilis referri putavimus quod petebas, videlicet utrum

idem Gentilis ulterius ex tua vel ex paterna potius commissione procederet, ac a te vel a patre suorum actuum exercitium dependetur, cum te velle perficere que consolationem saperent eorumdem patris et filii premissa cedula ex sui connexa serie declararet. Quod tu ipse magis potes inspicere qui status patris ipsius qualitate pensata solamen insuper tui fratris egroti resurgentis attendens an sua vel tua jurisdictio tibi ejus infirmitate gravi durante commissa in personam dicti Gentilis sui vigoris actus exerceat discretione previa poteris judicare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xvi kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo. »

724 Saint-Pierre, 22 novembre 1278

Regem Sicilie hortatur quatinus in aliquibus regni sui locis Urbi vicinis se pape celeriter appropinquet, ut in iis per litteras et nuntios frequentius et commodius requiratur et celerius tractatibus, cum nuntiis R. regis Romanorum habitis, consulatur. (Fol. 43 v°; an I; n° 44.)

« *Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio regi Sicilie illustri. Salutem et apostolicam benedictionem.* Inter ceteras sollicitudines que Romanam angunt ecclesiam et nos majori cura perstringunt ad illas potissime cogitatus nostros extendimus quibus inter catholicos orbis terre magnificos principes provenire auspitia sincere caritatis inspicimus, et quibus eis mentium serenitates arrideant, iidem conglutinentur amplexibus, et reges ac regna tranquille pacis vigeant ubertate. Ad hec itaque continuis vigiliis nostra studia convertentes certos tractatus diebus istis apud sedem apostolicam cum nuntiis karissimi in Christo filii nostri R. regis Romanorum illustris et tuis assumpsimus et in eorum prosecutione nos et fratres nostri opportuna sollicitudine quantum nobis ex alto permittitur vigilamus ut exinde placidus Deo, nobis acceptus et extollendus in gentibus exitus subsequatur. Verum quia in horum aliquibus specialiter tuam presentialem consultationem tractatus ipsi requirunt ut clarius et solidius Deo propitio ad laudem tui nominis consumentur, celsitudinem regiam requirimus et hortamur attente quatenus in aliquibus regni tui locis Urbi vicinis te nobis celeriter appropinques, ut in iis per litteras et nuntios frequentius et commodius sicut expediet requiraris et per hoc salubrius et celerius ipsis tractatibus consulatur, nobis sperate prosperitatis dulcedinem et eidem regi et tibi fructus uberes producturis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas decembris pontificatus nostri anno primo. »

725 Saint-Pierre, 13 décembre 1278

Infrascriptis de legatione episcopo Ostiensi commissa, et de electione potestatis pro anno presenti scribit, et eis mandat quatinus in omnibus, que ad pacem pertinent, se ejusdem legati beneplacitis conforment. (Fol. 43 v°; an I, n° 45. POTTHAST 21497.)

« *Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis.. potestati.. capitaneo, consilio et comuni Bononiensibus. Salutem et apostolicam benedictionem.* Civitatem vestramque — Dat. Rome apud Sanctum Petrum idibus decembris pontificatus nostri anno primo. »

726 Saint-Pierre, 15 décembre 1278

L. Ostiensi episcopo litteras clausas, quas Bononiensibus dirigit, transmittit, ut earum tenore diligenter inspecto discernat apertius si eas ipsis presentare expediat; eundem hortatur ut in omnibus ipsi commissis debita maturitate procedat. (Fol. 44; an I, n° 46.)

« *Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato. Salutem et apostolicam benedictionem.* Que dilectus filius frater Johannes de Viterbio ordinis fratrum predicatorum nuper nobis ex parte tua retulit et misse nobis tue littere continebant diligenter audivimus et illa nostre memorie commendantes in negotio Bononiensi sic per te procedendum esse conspicimus, quod illud prudenter et caute quasi obstetricante manu prout sui qualitas exigit prosequeris, obsides et alias cautiones exigendo discretius ut liberius ipsum negotium sicut intendimus prosperetur, et si forte mentes dissidentium in acerbitate callescerent non exagites fluctuantes sed prout et quando expedire videris dissimulanda percurrens, omnia studeas palliare, ita quod si quod absit que de ipsis intendimus consumari non poterunt causa deterior hiis aliquatenus ingeratur, set saltem sub quadam obumbratione tepescant, potes quidem confidere quod si sic obtatus non proveniret

effectus, nos sicut expedire viderimus ad opportuna remedia convertemus et speramus quod divina nobis et tibi opitulante clementia cervices resistentium conterentur. Et ecce quod eisdem Bononiensibus nostras clausas litteras sub certa forma dirigimus, quas primo tibi precepimus assignari, et nichilominus hujusmodi clausarum litterarum tenorem tibi transmittimus presentibus interclusum, ut tenore ipso diligenter inspecto et negotiorum ac temporis conditione pensata circa presentationem litterarum ipsarum dictis Bononiensibus faciendam discernas apertius, si et prout videris expedire. De militibus vero non videmus ad presens aliud immutandum, et tam super hiis quam aliis que nobis per easdem tuas litteras intimasti tibi credimus respondisse. Ceterum de tua circumspectione confidimus et in te plenarie confidentes, credimus quod omnia que tibi commisimus cum diligentia prosequaris. Quare et si eorum que fiunt velimus habere notitiam non tamen expedit quod in quibuslibet dubiis nos requiras, set in omnibus tibi commissis sub spe patris eterni qui sperantes in se salubriter dirigit, debita maturitate procedas. Preterea dicto fratri Johanni certum memoriale commisimus ac illud sub bulla nostra tibi assignandam fecimus exhiberi, ut ex illo colligas clarius quid in premissis et pluribus aliis extiterit observandum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xviii kalendas januarii, pontificatus nostri anno primo. »

727 Saint-Pierre, 15 décembre 1278

Memoriale, quod fratri Johanni de Viterbio, ordinis fratrum predicatorum, papa commisit de negotis a legato tractandis. (Fol. 45; an I, n° 47.)

« *Memorandum fratris Johannis de Viterbio de hiis que sunt dicenda et imprimenda legato.*

In primis quod ipse legatus in agendis suis deliberato consilio cum viris prudentibus, Deum timentibus, Romanam ecclesiam et honorem ipsius legati diligentibus, et quorum consilia sint hominibus provincie non suspecta, non animose, non repente sed cum debita maturitate procedat.

Super retenta dudum et in posterum retinenda militia dicatur ipsi legato quod nec pro preterito tempore quo retenta fuit preter ordinationem nostram nec pro futuro nisi alius articulus necessitatis vel evidentis utilitatis immineat, intendimus nostram cameram aggravare. Unde quod ordinavimus super militibus hoc servetur. Si vero quod absit processu temporis inveniretur aliquorum de provincia tanta protervitas que manum requireret militarem, tunc et ad militiam retinendam et ad alia que crederemus opportuna remedia sicut videremus expediens extenderemus efficaciter manus nostras.

Super negotio Bononiensi videtur cum multa maturitate debere procedi. Nam sunt homines magne potentie, magni consilii, per adversarios suos multis injuriis etiam personalibus provocati. Unde manuducendi sunt leniter et cum discretione trahendi inducendo ipsos nunc verbis blandis interdum asperis sed ut plurimum lenitivis nec expedit cum tanta festinantia contra ipsorum vota procedere que ipsos redderet obstinatos. Nam si de adversariis suis dubitant, si repentinam sui status mutationem probabili timore perterriti reformidant non videntur in hoc debere culpari, quod ipsi Bononienses intrinseci hactenus attendentes et in negotio pacis ipsius processum quasi cujuslibet dubitantes, se ipsos ea quadam confidentia singuli super ipsa pace persone nostre tantum arbitrio submiserunt. Unde pax eorum ipsis invitis non potest procedere per aliam personam nisi per nostram. Unde attendendum est si ea que per legatum super hiis ordinata sunt vel ordinentur absque ipsorum consensu valerent. Oportet ergo cum eorum bona voluntate procedi, ad quam trahendi sunt dulciter et sagaciter inducendi. Sed in istis tractatibus dissimulanda sunt multa, palpanda sunt aliqua, tacenda sunt plura, nonnulla etiam exprimenda, que potius licet ex ipsa actuali experientia cum discretione colligere, quam brevis sermo valeat explicare. Expediret namque magis tractatum ipsum diebus aliquibus blandis subductionibus prorogari, quam sic ipsos exasperare quod ad inobedientiam deducantur. Nam nec expedire credimus nec decere quasi in istis nostris auspiciis cum ipsis Bononiensibus velle confligere, et per hoc totam illam patriam perturbare, si tamen finaliter inveniremus eos in suis pravis motibus pertinaces, ad eorum pertinaciam reprimendam suo tempore modos exquireremus et vias per quos et ipsorum compesceretur audacia et quieti provincie posset salubriter provideri.

Item exprimatur legato quomodo nos scribimus Bononiensibus in forma debita super istis.

Attendendum est etiam diligenter quod si cum Bertuldo, Gentili vel in eorum societate sit aliquis

quem Bononienses habent probabili ratione suspectum quod ipse legatus secrete et caute loquitur cum ipsis Bertuldo et Gentili quod talem non remittant quantumcumque aliter sibi conjunctum ut processus nostri sine omni suspitione procedant.

Hoc idem dicimus de ipso legato si forsan haberet tales aliquos juxta se.

Licet namque in mente nostra ponderemus et merito gratam obedientiam quam invenimus in comite Guido de Montefeltri et sibi adherentibus et si perseveraverit intendemus ipsam debitis gratiis munerare non tamen intendimus quod Bononienses intrinseci et adherentes eisdem qui fuerint semper Romane ecclesie devoti filii et fideles subfocentur a suis emulis vel in ambiguo periculoso statu ponantur, qui sic confidenter sic singulariter se ipsos in nostris manibus posuerunt.

De proventibus Cervie et totius provincie scribitur per camerarium nostrum Bertuldo quod procuret per se et alios exigere et augmentare licite cum discretione, cautela et sollicitudine quibus potest et ipsos omnes assignet thesaurario deputato potest et ipsos omnes assignet thesaurario deputato.

Dicatur legato quod licet placeat nobis statum suum frequenter audire et eorum que per eum et alios in partibus illis aguntur habere notitiam non tamen expectet super singulis agendis a nobis habere responsum. Nam variantur multa de facili in quibus oporteret variari responsa. Unde in talibus nec tutum esset consulere, nec facile respondere sed confidens in angelo magni consilii qui dat os et sapientiam missis suis seipsum cum maturitate debita et discretione sollicita dirigat in agendis. »

728 Saint-Pierre, 17 novembre 1278

Regem Rodulfum hortatur quatinus privilegia, ipsi per Giffridum de Anagnia, decanum ecclesie S. Audomari capellanum suum presentanda. suppleat et perfici faciat et procuret quod principum Alemannie ad id accedat assensus; Gottifridum, prepositum ecclesie Soliensis Salzeburgensis diocesis, ipsius familiarem clericum et prothonotarium cum Giffrido ad regem remittit, fratrem Conradum in curia Romana retinens pro tractatu pacis inter ipsum et C. regem Sicilie. (Fol. 46; an I, nº 48; Potthast nº 21485.)

« *Nicolaus episcopus etc. regi Romanorum illustri.* Claret in gentibus — Dat. Rome xv kalendas decembris pontificatus nostri anno primo. »

729 Rome, 21 décembre 1278

Johannem marchionem Brandeburgensem rogat et hortatur quatinus omnibus, que Rodulfus rex Romanorum recognovit et ratificavit de terris, que ex tenoribus privilegiorum et declarationibus Romanorum imperatorum ad ecclesiam Romanam pleno jure pertinent, suum prebeat assensum, juxta formam, quam ipsi per Giffridum de Anagnia decanum ecclesie S. Audomari Morinensis diocesis capellanum suum papa transmittit. (Fol. 47 vº; an I, nº 49; Potthast 21502; cf. M. G. H. *l. c.* nº 220.)

« *Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Johanni marchioni Brandeburgensi. Salutem et apostolicam benedictionem.* Statuit in terris — Dat. Rome xii kalendas januarii pontificatus nostri. anno primo. »

In e. m. dilecto filio no. vi. Johanni duci Saxonie.

In e. m. dilecto filio no. vi Ludowico, comiti palatino Reni, duci Bawarie.

In e. m. dilecto filio no. vi Alberto duci Saxonie.

In e. m. archiepiscopo Treverensi.
In e. m. archiepiscopo Coloniensi.
In e. m. archiepiscopo Maguntino.
} Hoc excepto quod istis tribus dicitur ibi rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus etc.

730 Saint-Pierre, 21 décembre 1278

Archiepiscopos et episcopos, abbates et priores, marchiones, duces, comites, barones et nobiles per Alamaniam constitutos rogat et hostatur quatinus premissis omnibus, que Rodulfus rex Romanorum recognovit et ratificavit, suum prebeant assensum, juxta formam quam Giffrido de Anagnia capellano suo super hoc fecit exhiberi. (Fol. 48; an I, nº 50.)

« *Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, priori-*

bus, et aliis ecclesiarum prelatis, ac nobilibus viris marchionibus, ducibus, comitibus, baronibus et nobilibus per Alamaniam constitutis ad quos littere iste provenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Decet vos prudenter attendere quid in agendis expediat, ut ex quibuslibet vestris actibus pater collaudetur eternus, decisio servetur ecclesie, amplietur cultus justitie ac in omnibus debitum observetur, cum ex hiis regnorum et principum quietes adveniant et eorum solia roborentur, incrementa vigoris et gratie perceptura. Cum igitur ex tenoribus privilegiorum et declarationibus Romanorum imperatorum que in archivis suis Romana servat ecclesia prudenter appareat, totam terram que est ad Radicofano usque Ceperanum, marchiam Anconitanam, ducatum Spoletanum, terram comitisse Mattildis, civitates Ravenne, Emilie, Bobii, Cesene, Forumpopuli, Forlivii, Faventie, Ymole, Bononie ac Ferrarie, Comaclum, Adriam adque Gabellum, Ariminum, Urbinum, Montemferetis, territorium Balnensem, comitatum Brettenorii, exarchatum Ravenne, Pentapolim et massam Trabariam cum adjacentibus terris, et omnibus aliis ad predictam ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis atque insulis in terra marique ad civitates et loca predicta quoquomodo pertinentibus, necnon civitatem Romanam, regnum Sicilie cum omnibus ad ipsum pertinentibus tam citra farum quam ultra, Corsicam quoque adque Sardiniam, cum ceteris terris et juribus ad ipsam ecclesiam spectantibus ad nos et eandem ecclesiam pleno jure pertinere, ac nostri et ipsius ecclesie juris, ditionis et principatus existere, et carissimus in Christo filius noster R. rex Romanorum illustris hec omnia predicta et plura alia que per eosdem imperatores et alios predecessores suos facta, promissa et gesta fuerant recognoverit, ratificaverit, declaraverit et de novo concesserit per se ac suos nuntios speciales. Nos cupientes ut hec omnia in sua soliditate permaneant in futurum, universitatem vestram rogamus et hortamur attente quatenus premissis omnibus et aliis que per eundem regem vel alios de mandato suo facta, gesta, promissa, recognita, et ratificata sunt, vel fieri, promitti, recongnosci et ratificari contigerit, vestrum prebentes assensum sic studeatis ea promptis studiis approbare juxta formam quam dilecto filio Giffrido de Anagnia decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis capellano nostro super hoc fecimus exhiberi, quod devotis vestra promptitudine vigente reluceat, obvietur futuris anfractibus etnos ac eadem ecclesia dictus rex et vos etiam successive plene quietis ubertate fruamur, et in predicti regis ac imperii et vestris sucessibus prosperis non immerito delectemur. Ut autem de premissis omnibus possitis plenius informari, predictum capellanum, de cujus fidelitate ac circumspectione confidimus, ad partes illas duximus destinandum, cujus instructionibus percipere poteritis quod presens negotium ex eminenti sua qualitate requirit. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xii kalendas januarii pontificatus. Ut supra.

In e. m. archiepiscopo Bremensi verbis competenter mutatis. Decet te etc.

In e. m. archiepiscopo Magdeburgensi. verbis competenter mutatis. Decet te etc.

In e. m. archiepiscopo Salseburgensi, verbis competenter mutatis. Decet te etc.

In e. m. episcopo Herbipolensi
In e. m. episcopo Leodiensi
In e. m. episcopo Monasteriensi
} Additur tamen omnibus istis prelatis ibi rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus etc.

In e. m. dilecto filio nobili viro duci de Brunswich.
In e. m. d. f. comiti de Anhalt.
In e. m. d. f. lantgravio Thuringie.
In e. m. d. f. comiti Hollandie.
In e. m. d. f. duci Brabanzie.
In e. m. d. f. duci Lothoringie.

731 (1279)

Declaratio principum imperii, qua omnibus que per R. Romanorum regem Nicolao pape et ipsi Romane ecclesie, nominatim de terris, civitatibus, insulis et locis ad eandem ecclesiam pertinentibus, recognita et ratificata sunt, assensum et consensum unanimiter et concorditer exhibent. (Fol. 49; an I, n° 51; cf. M. G. H. *l. c.* n°s 220 et 225.)

« *Nos principes imperii universis presentem paginam inspecturis.* Complectens ab olim — hoc presens scriptum inde fieri fecimus nostrorum sigillorum munimine roboratum. Act. etc. Dat. etc.

732 Saint-Pierre, 18 décembre 1278

Giffrido de Anagnia, decano ecclesie S. Audomari Morinensis diocesis, capellano suo, quem ad R. Roma-

norum regem destinat, significat quomodo in prosecutione negotii, quod ipsi commisit, procedere debeat. (Fol. 50; an I, n° 52, POTTHAST 21500; cf. M. G. H. *l. c.* n° 218.)

« *Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Giffrido de Anagnia decano ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis, capellano nostro. Salutem et apostolicam benedictionem.* De tue circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes te ad carissimum in Christo filium nostrum R. regem Romanorum illustrem duximus destinandum et ut eo securius que tibi commisimus prosequaris, quo clarius a nobis extiteris informatus sic in hujusmodi prosecutione procedas. In primis regem ipsum ex parte nostra cum apostolice benedictionis gratia salutabis et presentatis sibi litteras nostras que incipiunt. Claret in gentibus etc. Deinde facias ratificari, innovari, recongnosci et de novo concedi ac nichilominus in tua presentia corporali prestito juramento firmari per ipsum regem omnia et singula que per dilectum filium fratrem Conradum ministrum fratrum Minorum superioris Alamanie facta fuerunt ipsius regis nomine coram nobis prout continentur in quinque instrumentis confectis per manus magistri Pauli de Reate apostolica auctoritate et nunc camere nostre notarii ejusdem ministri sigillo signatis, quorum tenores de verbo ad verbum tibi fecimus exhiberi ita quod de predictis quinque instrumentis ratificandis fiant quinque alia sub aurea bulla regis et aliis oportunis sollempnitatibus, videlicet de quolibet unum secundum notam quam tibi tradi fecimus que incipit. In nomine Domini amen. Nos Rodulfus Dei gratia rex Romanorum semper augustus ad eternam rei geste memoriam recongnoscimus et fatemur, etc. diligenter attendens quod inter testes alios qui in ratificationibus hujusmodi apponentur ponantur principes et alii nobiles cum subscriptionibus eorumdem.

Item narrando predicto regi civitates, terras et loca que ad no. et Romanam ecclesiam clare ac distincte pertinent, inducas eundem regem ut omnia et singula que tam in declarando quam in recongnoscendo et de novo etiam concedendo atque donando et alia faciendo, prout in notis quas tibi tradi fecimus quarum una sic incipit. Summa reipublice tui'io etc. et reliqua. In nomine Sancte et individue Trinitatis. Rodulfus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus ab eo solo etc. plenius continentur, prompte ac liberaliter nobis faciat super hiis suas littersa secundum formam ipsarum notarum sub bulla aurea, ad hec assensu principum procurato, et nichilominus omnia et singula que fecit in nostra et fratrum nostrorum presentia magister Gottifridus prepositus ecclesie Soliensis Salzeburgensis diocesis ipsius regis prothonotarius de mandato regis ejusdem facias confirmari secundum formam note, quam super hoc tibi fecimus exhiberi. Item presentabis alias litteras nostras cum salutationibus et benedictionibus decentibus singulis principibus Alamanie que sic incipiunt. Statuit in terris etc. Et postmodum procurabis quod iidem principes omnes simul vel divisim aut singulariter sicut melius et cautius fieri poterit quicquid factum est per eundem regem et predecessores suos inter nos et predecessores nostros et ecclesiam ipsam ac regem predictum et fieri contigerit, juxta formam per nos tibi traditam dictis principibus deferendam que sic incipit. Nos principes etc. ratificent, approbent et confirment. Quibus omnibus cum ea perfectione qua convenit expeditis et instrumentis vel litteris principum eorumdem confectis et sigillis autenticis sigillatis ac illis et predictis privilegiis regiis, nomine nostro receptis, privilegia, instrumenta vel litteras prefata nobis cum diligenti custodia deferes et ad nostram presentiam reverteris. Ceterum predicta que in memoriali hujusmodi continentur et eorum quodlibet sic attente procuras, diligenti sollicitudine investiges ac sollicita diligentia prosequaris quod nichil per incuriam negotio tanto depereat, nichilque super hiis tue negligentie valeat imputari, quin potius diligentiam tuam possimus exinde merito commendare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xv kalendas januarii pontificatus nostri anno primo. »

733 Saint-Pierre, 18 décembre 1278

Eidem Giffrido de Anagnia concedit ut in eisdem negotiis tractandis interpretes assumere possit, quos jurare faciet quod ipsi et aliis omnia fideliter referant. (Fol. 50 v°; an I, n° 53; cf. M. G. H., *l. c.* n° 219.)

« *Nicolaus episcopus, etc. eidem.* Cum te ad partes Alamanie pro magnis et arduis negotiis destinemus, quia diversos tractatus negotia ipsa requirunt, et tu idyomata partium earundem ignoras, nos dispendiis que ex hoc possent emergere

obviare volentes, presentium tibi auctoritate concedimus ut in eisdem negotiis tradita tibi forma servata, cum expedit aliquem vel aliquos religiosos vel seculares fideles de quibus expedire videris assumere possis interpretes, quos jurare facias, quod tibi et illis cum quibus hujusmodi tractatus habueris fideliter referant et exponant que hinc et inde in eisdem tractatibus narrabuntur. Et quod illa que secreto tenenda fuerint per eosdem juratos aliis nullatenus detegantur. Eosdem religiosos et seculares cujuscunque status vel conditionis existant ad hec si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si eis vel eorum aliquibus aut ordinibus eorundem a sede apostolica sit indultum quod ad hec compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xv kalendas januarii pontificatus nostri anno primo. »

FIN DES LETTRES DE LA PREMIÈRE ANNÉE

DEUXIÈME ANNÉE

IN NOMINE DOMINI. AMEN. ANNO DOMINO MILLESIMO CCLXXIX PONTIFICATUS DOMINI NICOLAI PAPE III ANNO SECUNDO.

734 Saint-Pierre, 30 janvier 1279

Potestati, capitaneo, consilio et communi Bononiensibus mandat quatinus ad reformationem pacis efficaciter intendentes L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato et Bertoldo de filiis Ursi, provincie Romaniole, civitatis Bononiensis. etc. rectori obedire studeant; precipit quod infra viginti dies post receptionem presentium nuncios cum pleno mandato de parendo mandatis pape ad presentiam ipsius destinent. (Fol. 51 v°; an II, n° 1, Potthast 21523.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis.. potestati .. capitaneo, consilio et communi Bononiensibus nostris et ecclesie Romane fidelibus. Salutem et apostolicam benedictionem.* Dum statum civitatis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum III kalendas februarii, pontificatus nostri anno se cundo. »

735 Saint-Pierre, 20 février 1279

Magistro Johanni Luce civi Romano medico et familiari suo quinquaginta quinque libras provisinorum in castro de Nimpha Velletrensis diocesis ecclesie Romane debitas annuatim et cujusdam silve et terrarum de subsilice in illis partibus consistentium fructus, redditus et proventus, prout ecclesie predicte debentur, concedit percipiendos. (Fol. 52 v°; an II, n° 2; Potthast 21537.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio magistro Johanni Luce civi Romano medico et familiari nostro. Salutem etc.* De tue devotionis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas martii pontificatus nostri anno secundo. »

736 Saint-Pierre, 20 février 1279

Berardo plebano de Faverio Camerinensis diocesis camerario suo et abbati monasterii S. Gregorii de Urbe mandat quatinus eidem Johanni Luce vel procuratori ipsius eosdem redditus et proventus faciant auctoritate apostolica integraliter exhiberi. (Fol. 53; an II, n° 3; Potthast 21538.)

« *Nicolaus etc. dilectis filiis Berardo plebano de Faverio Camerinensis diocesis camerario nostro et.. abbati monasterii Sancti Gregorii de Urbe. Salutem et apostolicam benedictionem.* De meritis devotionis — Dat. Rome apud Sanctum Petrum... »

737 Saint-Pierre, 20 février 1279

Potestati, consilio et comuni de Nimpha Velletrensis diocesis mandat quatinus eidem Johanni Luce de supradictis liberaliter respondere curent. (Fol. 53; an II, n° 4; Potthast 21539.)

« *Nicolaus etc. dilectis filiis.. potestati, consilio et comuni de Nimpha Velletrensis diocesis. Salutem et apostolicam benedictionem.* De meritis etc —. Dat. ut supra. »

738 Saint Pierre, 28 mars 1279

Carolum regem Sicilie rogat et hortatur quatinus in dissidio, quod inter ipsum et Cypri regem suscitatum est, animum suum ad concordiam inclinet, et nuntios ad sedem apostolicam de hoc negotio tractaturos cum sufficienti mandato transmittat. (Fol. 53; an II, n° 5.)

« *Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio. C. regi Sicilie illustri, Salutem et apostolicam benedictionem.* In desideriis nostris potissime geritur et instantia multe sollicitudinis excitamur ut

cuntos ecclesie filios et maxime catholicos principes orbis terre in pacis unitate servemus et inter eos quamlibet dissentionis materiam precidamus,cum ipse dux noster dominus Jhesus Christus pacem inter cetera diligens illam in terris duxerit velud donum gratissimum relinquendam. Sane ab olim dum in Urbe nobiscum aderas, audito quod inter te ac carissimum in Christo filium nostrum. Cypri regem illustrem ex certis causis erat dissensionis materia suscitata, per dilectos filios nostros J. Sancte Marie in Cosmidin et M. Sancte Marie in porticu diaconos cardinales, te super hiis alloqui fecisse recolimus more patris, et sicut nuntii dicti regis asserunt, ex parte regis ejusdem fuisti postmodum amicabiliter requisitus. Et quia nondum inter te et regem eundem optata concordia dinoscitur provenisse, iidem nuntii cum sufficienti mandato ad nostram presentiam accedentes, ad prosequendam ipsius regis justitiam se petebant admitti. Nos igitur in hac parte libentius mansuetudinis gratiam quam rigoris aculeos perquirentes, ac cupientes obviare periculis que possent ex tali dissidio Terre Sancte negotio provenire, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus mentem nostram prudenter advertens et matura circumspectione precogitans quod litigiorum anfractus hesitationum concitationem succrescunt et interdum eventus dubios repromittunt, animum ad concordiam clementer inclines, ex que nobis et populis christianis fraglantia suavitatis adveniat, et tibi ac tuis amplectendus arrideat fructus pacis, pro qua tractanda et prospere Domino concedente complenda, nuntios tuos in hiis diligenter ac plene instructos, ad nos cum sufficienti mandato transmittas. Nam si te, quod absit, ab hujusmodi concordie tractatu retraheres, et dicti nuntii regis ejusdem petitioni predicte voluerint insistere qui sumus omnibus in justitia debitores, illam petentibus nec debemus nec possumus denegare. Et ut de intentione tua circa premissa pleniorem notitiam habeamus, illam nobis per latorem presentium rescribere non obmittas. Dat. Rome apud Sanctum Petrum v kalendas aprilis pontificatus nostri anno secundo. »

739 Saint-Pierre, 23 mars 1279

Regem Castelle ac Legionis, cui vehementer reprobat quod infra regna ipsius ancillantur ecclesie et persone ac libertas ecclesiastice conculcantur et opprimuntur, hortatur quatinus hec omnia corrigat et Petrum Reatinum episcopum, ad ipsum destinatum, laudabili benignitate admittat, et promptitudine obedientie pape letitiam restituat, ecclesiis et personis memoratis optatam quietem tribuat. (Fol. 53 v°; an II n° 6; Potthast 21556.)

« *Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio.. regi Castille ac Legionis illustri. Salutem et apostolicam benedictionem.* Prepara quesumus in spiritu timoris Domini et recti consilii mentem tuam ut verba salutaria quibus te Christi vicarius plenitudine paterne dilectionis alloquitur ioconde suscipias et in precordiorum tuorum medullis pro conservanda regia salute dulcescant. Leva igitur in circuitu oculos tuos fili carissime et diligenter aspice considera et prudenter quod ille qui ventis et mari pro libito imperat te oleo memorie sue injungens non sine speciali benedictionis privilegio tibi dexteram sue propitiationis aperuit in magnifica munerum largitate. Nam excelsus ipse super omnes gentes qui dat affluenter et non improperat, quique absque argento et ulla commutatione sitientes ad aquas evocat, refectionis eterne in te sensus illuminans lumine sue virtutis inter dona multiplicia tibi tradita in diversis regnis tuo imperio gubernationis commisit habenas ut cunctis et maxime colonis in agro Domini constitutis in operibus justitie fulgeas et appareas splendore sincere devotionis et solide pietatis ammictus. Verum sicut Romane ecclesie ac nobis non sine admiratione, non sine tui compassione insinuationibus multis antiquis et modernis innotuit, hec in scrineo tue memorie otiantur, hec in tuis manibus non pollent preconiis que potius tuorum actuum nubilo, videris, gloria vacuare, dum quidem infra regnorum tuorum terminos ancillantur ecclesie, et persone ac libertas ecclesiastica conculcantur, ipseque ecclesie, prelati ac persone prefati exactionibus illicitis oneribus gravibus et alias multipliciter aggravantur, tuque ad bona ecclesiarum ipsarum et personarum per modos varios et illicitos tuas manus extendens, ac te de personis ecclesiasticis et earum processibus intromittens, in casibus qui jurisdictionem regiam aliquatenus non contingunt et quod notabiliori culpe subjacere censetur, quasi factus immemor paterne dilectionis qua te prosequimur specialiter inter principes orbis terre, divino timore et nostra reverentia ad quam specialis devotionis studio te credebamus assurgere incaute postpositis ab ecclesiis et per-

sonis eisdem mentem debite sinceritatis avertens, nec advertens quod in ipsarum offensis Deus offenditur, movemur et nos et titulus tui nominis maculatur, ipsas exactionibus gravibus premis et in hiis que ad regie potestatis non spectant officium gravaminum varietatibus opprimis et mandatis indebitis per te ac officiales tuos realiter et personaliter manu persequeris onerosa. Hec siquidem pensatis que nunc te ac regna tua fluctuationibus dissidiosis exagitant, ad tempus sub silentio transissemus si conscientia permisisset, set impellente nos illa ad tui salutem hec movere compellimur, sperantes quod te ipsum in premissis ad divina beneplacita efficaciter dirigendo tibi et regnis eisdem celerius tranquillitas optata proveniet et que tibi incumbunt salubrius dirigentur. Hec autem generali verbo prescripta et intentionem nostram super illis et nonnullis aliis lator presentium tibi clarius explicabit, que propter honorem tuum et presentis conditionis regnorum eorundem qualitate pensata non inserere distincte patentibus nostris litteris ex cautela providimus nec illa in vulgarem voluimus notitiam derivare, ut mentem nostram ab expressione predictorum clare inserenda presentibus cautela tui status previsa retraheret quam in patefaciendo predicta tibi debitum apostolatus officii cohartabat. Premissa itaque fili petimus infra regalis conscientie solium digeras et tandem cum peritis in lege Domini discutias diligenter an hec tue saluti sint obvia et te coaptent gratie regis regum an etiam populis tibi subjectis sint congrua et quietem regnorum contineant predictorum, dumque reppereris utique super hiis tuum notabiliter errasse consilium, virgam protinus per te ipsum correctionis assumas et progenitores tuos memorans ex quorum gestis sollempnibus ut audivimus colligitur evidenter quod hii ze latores justitie, ecclesiastici ordinis amatores et filii devotionis sinceri multipharia beneficia contulerunt ecclesiis et libertates laudabiles concesserunt. Regnis quoque et gentibus sibi subjectis quantum in eis extitit pacis et prosperitatis commoda procurarunt prescripta potius forsan negligentia et doloso suasu quam tue conscientie consensu secuta sic corrigas studio efficaci quod divinam et apostolice sedis gratiam exinde uberius merearis et eorundem progenitorum in bonis actibus imitator laudabilis prediceris. Nos autem licet plene confidere debeamus quod requisitus a nobis et sano directus consilio absque adjectione nuntii super his divinis et nostris beneplacitis efficacius obedires, maxime cum nuntii tui ex parte tua frequenter obtulerint velle te ipsum si requireris nostris beneplacitis devota promptitudine coaptare ac te si erras corrigere in prefatis, quia tamen te inter amplexus precipui amoris complectimur, propter quod in tuis dirigendis agendis in hac parte ipsa celeritas pene efficitur nobis mora et experiri decrevimus qualiter in te verba nostra pro tua salute prolata fructificent, qualis nuntiorum tuorum oblatam promptitudinem beneplacitis nostris veritas subsequatur nec anime tue periculum, quod ex predictis imminere conspicimus, volumus substinere nec nos ipsi ex injuncto nobis apostolatus officio ea incorrecta possumus ulterius totiens nostris auribus fidedignis relatibus repetita, sana conscientia preterire, quin remedium prout ad nostrum spectat officium et expedire viderimus apponamus. Ecce de tue salutis incremento et fame regalis integritate affectu paterno solliciti necnon et suscitate nobis ex premissis conscientie instigatione vehementius propulsati, cupientes nostre in hac parte mentis desideria per fidelis ministri labia tue magnificentie reservari, venerabilem fratrem nostrum Petrum Reatinum episcopum virtute prudentie preditum sermone clarum, consilio providum et in commisso fidelem, ad regiam presentiam duximus destinandum, serenitatem tuam rogantes attentius et obsecrantes ad tui salutem per viscera misericordie Dei nostri quatenus eundem episcopum cujus fidelitati commisimus super predictis et ea contingentibus et aliis presentibus non insertis aperiendam tibi clarius seriem nostre mentis laudabili benignitate admittas et ea que in predictis idem postmodum ex parte nostra tibi proponenda duxerit debite attentionis aure suscipias et tandem opere studeas sic efficaciter sic realiter et sic certitudinaliter adimplere quod in preteritis, presentibus et futuris sermonum diffugiis fucisque verborum et nudarum pollicitationum nube postpositis super premissis emendando preterita, tollendo presentia, cautionibus congruis precavendo futuris votive ac efficacis correctionis non verbalem tantummodo set realem nobis regali providentia remittere studeas veritatem, ita quod ex tuis laudandis actibus efficacis correctionis nobis in preteritis et presentibus veritas operis innotescat, et quantum ad futura tam nobis quam ecclesiis prelatis ac personis predictis per cautelas congruas constet esse provisum et tu promptitudine regalis obedientie in hac parte no-

bis letitiam nomini tuo gloriam ecclesiis et personis memoratis obtatum quietem tribuas et in agendis tuis feliciter dirigendis celestis protectionis dex teram tibi proinde constituas adjutricem. Dat- Rome apud Sanctum Petrum x kalendas aprilis. pontificatus nostri anno secundo. »

740 Saint-Pierre, 23 mars 1279

Nobilem virum A., filium regis Castelle ac Legionis, hortatur quatinus patri suo suggerat ut premissa diligenter corrigat et pape super hoc beneplacitis acquiescat. (Fol. 55; an II, nº 7.)

« *Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro. A nato carissimi in Christo filii nostri.. regis Castelle ac Legionis illustris. Salutem et apostolicam benedictionem.* Inter ceteros principes orbis terre karissimum in Christo filium nostrum.. regem Castelle et Legionis illustrem patrem tuum et te gerentes specialiter in visceribus caritatis admodum affectamus quod in cunctis vestris actibus nominis vestri conservetur integritas, regnis et terris eidem regi subjectis prosperitatis obtate et pacis continue commoda procurentur. Unde sollicite querimus studia per que feliciter hec proveniant et nichilominus in utroque homine votive recipiatis incrementa salutis. Nuper siquidem non sine amaritudine cordis accepimus quod in eisdem regnis et terris in conculcationem ecclesiastice libertatis non sine divina provocatione manu regia consurgente devotionis nuitat sinceritas vehementer. et ecclesie et persone ecclesiastice inibi notabiliter ancillantur. Quare nos ejusdem regis super hiis honori consulere remediis salutaribus cupientes, non solum ei litteras super horum correctionem set et nuntium ad ejus presentiam destinamus. Quia igitur dilecte in Domino fili et patris et tuam in patre famam nota maculat premissorum, consurge quesumus indutus fortitudine ac virtute et eidem regi jugi diligentia suggeras ut premissa corrigat diligenter et nostris super hoc beneplacitis acquiescat, et tandem tu ad id feliciter concludendum manus opportune operationis extendens, quantum in te fuerit sollicite queras remedia, per que hujusmodi inconvenientiam actuum valeas efficaciter submovere, ut per hoc tibi et posteritati regie titulum perpetue laudis acquiras et paterne glorie maculas in hac parte tanquam filius benedictionis abstergas. Nosque adhibita super hoc diligentius tue sollicitudinis studia dignis in Domino laudibus commendemus. Dat. ut supra proxima. »

741 Saint-Pierre. 23 mars 1279

Archi episcopo Yspalensi mandat quatinus eidem regi, cui ut asseritur familiariter assistit, efficaciter suadere procuret ut pape beneplacitis laudabiliter acquiescat. (Fol. 55 vº, an II, nº 8.)

« *Nicolaus etc. Archiepiscopo Yspalensi.* Ad procurandam ecclesiasticam libertatem et pacem plebi tanto studiosius te decet consurgere quanto pontificalis officii ministerium specialius hoc exposcit. Intellecto nuper siquidem quod in regnis et terris carissimo in Christo filio nostro.. regi Castelle ac Legionis illustri subjectis, gubernationis debite fatiscente sollertia in eas adeo est conculcata justitia et proh dolor fidelium devotio tepet, quod ecclesie ac persone ecclesiastice varietate gravaminum admodum opprimuntur. Nos super hoc ad ecclesias et personas premissas habentes, nec mirum debite compassionis affectum nec considerantes minus quod ex hoc eidem regi, quem speciali affectu prosequimur, ingens succrescit infamia et claritas sui nominis offuscatur ac propter hoc cupientes super hiis et honori consulere regis, et per consequens merentibus consolationis solatium procurare dicto regi super premissorum correctione litteras et nuntium ad ejus presentiam destinamus. Quocirca fraternitatem tuam rogamus attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eundem regem, cui ut asseritur familiariter assistis, juxta datam a Deo tibi prudentiam, sedulis inducas studiis et efficaciter eidem suadere procures, ut pro nostra et apostolice sedis reverentia, sue quoque salutis et honoris commodo, premissa efficacius corrigat et super hos nostris beneplacitis laudabiliter acquiescat. Hujusmodi autem mandaum nostrum sic diligenter studeas adimplere quod congnoscamus opere zelum quem habes ad ecclesie libertatis honorem et nichilominus tuam diligentiam dignis in Domino laudibus commendemus. Dat. ut supra proxima. »

742 Saint-Pierre. 23 mars 1279

Infrascriptis mandat quatinus Petrum episcopum

Reatinum, pro magnis et arduis ecclesie Romane negotiis ad regna Castelle ac Legionis destinatum, benigne recipiant et honeste tractant. (Fol. 55 v°; an II, n° 9.)

« *Nicolaus etc. Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis, et eorum vices gerentibus ac personis ecclesiasticis religiosis et aliis, ecclesiarum et monasteriorum capellanis et conventibus exemptis et non exemptis, Cisterciensibus, Cluniacensibus, Cartusiensibus, Premonstratensibus, Sancti Benedicti et Sancti Augustini ac aliorum ordinum necnon magistris et preceptoribus militie Templi et hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, beate Marie Theothonicorum, militie Sancti Jacobi et Calatravensis ad quos littere iste pervenerint. Salutem et apostolicam benedictionem.* Cum venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Reatinum pro magnis et arduis ecclesie Romane negotiis destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatenus dictum episcopum immo potius nos in ipso, cum per partes vestras transitum fecerit, ob reverentiam apostolice sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes eundem, sibi pro suis et familie sue necessariis, in quinque libris turonensibus, diebus singulis et securo conductu, necnon in evectionibus opportunis si sue in via decesserint vel defecerint, cum super hiis per ipsum vel ejus nuntium fueritis requisiti, in eundo, morando et redeundo liberaliter providere curetis. Et si eundem episcopum in aliquibus locis vel loco interdum moram trahere contigerit, volumus quod non solum earumdem eisque vicinarum vel adjacentium partium set aliarum etiam, sicut idem episcopus pro hujusmodi oneribus dividendis et facilius supportandis expedire viderit, remotarum patriarche, archiepiscopi, episcopi, electi, abbates, priores, decani prepositi, archidiaconi, archipresbiteri, plebani, et alii ecclesiarum prelati eorumque vices gerentes ac persone ecclesiastice, religiose et seculares, ecclesiarum et monasteriorum capitula et conventus, exempti et non exempti, Cistercienses, Cluniacenses, Cartusienses, Premonstrati, Sancti Benedicti, Sancti Augustini et aliorum ordinum, necnon magistri et preceptores militie Templi, hospitalis Sancti Johannis Jero solimitani, Sancte Marie Theothonicorum, militie Sancti Jacobi et Calatravensis, ac quorumcumque aliorum locorum ecclesiasticorum, contribuere in subventionibus hujusmodi teneantur. Sic itaque mandatum nostrum efficaciter adimplere curetis quod possitis exinde merito commendari. Alioquin sententiam quam rite tulerit in rebelles ratas habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstante si aliquibus est ab eadem sede indultum quod nuntiis sedis ipsius aliquam procurationem exhibere vel in ipsa contribuere nisi ad eos declinaverint minime teneantur, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi totoque tenore ipsius plenam et expressam non fecerint mentionem, seu aliquibus privilegiis vel indulgentiis quibuscunque personis locis vel ordinibus sub quavis forma verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus in nostris litteris similis mentio sit habenda, et per que presens mandatum nostrum quomodolibet valeat impediri. Dat. ut supra proxime.»

743 Saint-Pierre, 23 mars 1279

Memoriale secretum, episcopo Reatino commissum, de septem articulis principalibus, super quibus in regna Castelle ac Legionis mittitur, de cautelis et remediis, quibus hec omnia corrigi possint, de litteris que ab ipso rege petende sunt. (Fol. 56; an II, n° 10; RAYNALDI ann. ad a. 1279, 24-27.)

« *Istud est memoriale secretum.. episcopi Reatini.* Non ostendendum set secreto tenendum, ut ex contentis in ipso idem episcopus se informet et adjuvet in commissis. Portavit nichilominus quosdam alios articulos prolixiores ad suam instructionem ex quibus sub brevitate fuerunt presentes eliciti, set illi non sunt registrati.

Articuli principales super quibus mittitur venerabilis pater.. episcopus Reatinus sunt septem.

1° Primus est de tertiis ecclesiarum quas rex occupavit pluribus jam annis elapsis et detinet occupatas.

2° Secundus est de custodiis ecclesiarum cathedralium vacantium et monasteriorum seu de occupatis in eis quando vacant.

3° Tertius est de gravaminibus illatis archiepiscopo et ecclesie Compostellane, terris et vassallis eorum, sub quo sunt gravamina infrascripta.

In primis petitur homagium ab archiepiscopo Compostellano, quod nec ipsi nec predecessores sui nunquam fecerunt.

Item vult habere perticam contra justitiam.

Item gravatur super dominio civitatis Compostellane et ejus exercitio et super dampnis illatis ipsi archiepiscopo occasione discordie que fuit inter ipsum archiepiscopum et cives Compostellanos.

Item gravat archiepiscopum et ecclesiam Compostellanam in portibus et vassallis multipliciter et multa dampna et violentias fecit inferri ecclesiis et personis ecclesiasticis sibi subjectis.

4° Quartus articulus est de gravaminibus et injuriis illatis per ipsum dominum regem episcopo et ecclesie Legionensi.

5° Quintus articulus est de gravaminibus prelatorum, sub quo rami notabiliores sunt hii.

In primis preces, minaces et impressiones que fiunt in electionibus et postulationibus ecclesiarum et magistrorum religionum, per regem et suos, et mala que inde contingunt.

A prelatis personis et ecclesiasticis per varios modos subsidia extorquentur, et sepe exactiones fiunt eis, onera gravia imponuntur ipsis et vassallis eorum.

Privilegia et libertates a jure concessa et nonnulla a predecessoribus suis indulta et concessa prelatis, ecclesiis et personis ecclesiasticis non servantur, nec etiam illa que ipse rex concessit observat.

Super rebus immobilibus et violentiis trahuntur clerici ad judicium seculare, capiuntur etiam et judicantur super maleficiis, et in multis libertas ecclesiastica conculcatur.

Contra clericos et laicos super crimine usurarum sibi congnitionem usurpans, hujusmodi occasione multos gravat.

De spiritualibus processibus et sententiis prelatorum se indebite intromittit prohibendo eos fieri, inhibendo servari, vel mandando revocari et pignorando interdictam servantes, et jurisdictionem de testamentariis causis et etiam temporalem competentem ecclesiis, in nonnullis terris et locis ecclesiarum usurpat.

Excommunicationis sententiam ferri prohibet nisi in certis casibus scilicet violationis ecclesiarum, injectionis manuum in clericos, vel decimarum non solutarum, nec exceptio excommunicationis in curia sua admittitur a paucis annis citra.

Fracti sunt in pluribus locis ecclesiarum thesauri.

Liberum non est prelatis et clericis exeuntibus regnum ex causa studii vel peregrinationis aut alia justa causa extrahere pecuniam pro suis necessitatibus extra regnum.

Item si ecclesia vel religiosi acquirunt per donationem, possessionem vel alio justo titulo vassallos aut possessiones exemptas ab omni fisco et regalibus postquam transeunt ad dominium ecclesie vel religiosorum rex facit possessiones et vasallos ipsos sibi censuales et tributarios.

Item licet ecclesia sit munita legitima prescriptione super aliquibus possessionibus vel vassallis nisi ad requisitionem regis ostendant sufficientia munimenta per que ipsos obtinuit, rex spoliat ecclesias possessionibus et vassallis hujusmodi non obstante prescriptione predicta.

Item facit prelatos sigillare cedulas vacuas et prohibere per suas litteras testimonium de hiis que non viderunt nec sciunt.

Item facit fieri latentes inquisitiones contra clericos et personas ecclesiasticas, etiam non citatos et mandat eos capi, interfici vel puniri per tales inquisitiones etiam non convictos nec confessatos.

Item occasione nove religionis institute ab eo ecclesie multipliciter aggravantur.

Item privilegiis sibi ab apostolica sede concessis ad tempus abutitur, immo magis abutitur transacto tempore, nec eorum etiam originalia ostendit.

Item prelatis vel capitulis terre sue non est liberum simul convenire et tractare de gravaminibus et injuriis que inferuntur eisdem, aut ipsa apostolice sedi referre.

Item Judœos Christianis preponit multipliciter, unde multa mala proveniunt.

Item apostolicas vel ordinariorum indulgentias publicari per regna sua non patitur ut ex indulgentiis sibi concessis majus commodum consequatur.

Sunt et alia multa gravamina que per suam industriam episcopus colligere poterit ex scripturis quas secum portat et in quibus seriosius gravamina exprimuntur, et que predictis ramis quinti articuli poterunt applicari et ad eos redduci.

6° Sextus articulus est de facto Portugallie. Nam cum dicatur rex Portugallie decessisse, et credatur ipsum regnum Portugallie ad.. nepotem regis Castelle filium quondam regis Portugallie devenisse vel devenire debere, laboret idem rex Castelle studio efficaci quod ecclesie libertas et persone ecclesiastice, que in ipso regno inveniuntur notabiliter conculcate, restaurentur.

7° Septimus articulus est ultimo et secreto tangendus, videlicet de oppressionibus et gravaminibus multis illicitis et injustitia subditorum.

Memoriale venerabilis patris domini.. episcopi Reatini. In primis salutandus, benedicendus et confortandus est dominus.. rex Castelle ex parte domini pape similiter et filii qui legitime sunt etatis.

Videtur expediens quod in primo adventu nec littere apostolice presententur nec de ambasciata pro qua mittitur aliquid exponatur, petet tamen tempus et horam ad litteras apostolicas presentendas.

Considerabit episcopus de prelatis, religiosis et personis ecclesiasticis qui erunt tunc temporis circa regem vel in loco ubi rex erit et caute secundum prudentiam quam Dominus sibi dederit, attendet et disquiret conditiones, possibilitates et bonas voluntates eorum quibusve magis vel minus se debeat aperire et a quibus plus possit juvari.

Captato tempore congruo narrabit domino regi de conditionibus domini pape que viderit expedire tam circa sollicitudinem quam habet circa statum Christianitatis, regum et regnorum fidelium, quam circa delectationem quam habet ad personam domini regis Castelle et regnorum ejus,- et quomodo multum desiderat bonum statum ipso rum et pacificum et tranquillum prelatorum et ecclesiarum sibi subjectarum, recollectis breviter ex litteris apostolicis motibus domini pape ad missionem ipsius, episcopus presentabit litteras apostolicas, in quibus dominus narrat ad quod mittit ipsum episcopum.

Videtur expediens quod illa vice non statim descendat ad singularia et expressa sed petat aliam diem qua seriosius possit exponere domino regi ea que sibi sunt imposita a domino papa.

Consideret quoque et per quos poterit caute exploret qualiter rex ipsum recipiet, an amare vel grate sint sibi littere apostolice et tenores ipsarum, an turbatus ex articulis in ipsis litteris comprehensis et hauriat quatenus poterit de intentione sua, et qualiter disponit se ad parendum beneplacitis domini nostri, et exploret qualiter rex qualiter sui super hiis loquantur, et submurmurationes et modos loquendi et quod prudentes et intelligentes presumant vel conjiciant de effectu ambasciate.

Captata opportunitate temporis,resumptis aliquibus que moverunt dominum papam ad mittendum ipsum, descendat ad expressionem aliquorum super quibus specialiter mittitur, sed non videntur simul omnia exprimenda, sed expressis aliquibus articulis gravioribus magis notis et plus indubitatis, reliquos sibi reservet per clausulam generalem. Videlicet sunt et alia que adhuc habeo dicere etc.

Videtur quod primo fiat descensus ad articulum terrarum. Secundo ad articulum custodie bonorum vacantium ecclesiarum vel regalia que occupat in eisdem. Tertio ecclesie Compostellane.

Videtur igitur ut circa primos duos articulos episcopalis acies dirigatur, in quibus rex nulla ratione juvatur, neque enim illos inficiari potest, cum notorium sit per regnum suum quod tertias recipit, quas et si aliquando receperit pater suus ex concessione apostolica et ipse idem rex, concessionis tamen tempora sunt finita jam multis annis elapsis, unde ipsas irrationabiliter percipit nec revocatur indubium quod injuste percipit. In quorum perceptione nec concessionem nec consuetudinem nec prescriptionem allegare potest. Peccat ergo graviter in percipiendo, peccat etiam in modo percipiendi, quia assignantur laycis et Judeis etiam in solutione stipendiorum vel debitorum et sic percipiuntur per eos, sed nec de eis congrue que sunt opportuna ecclesiis ministrantur.

Secundus articulus similiter inexcusabilis est quia novus, nec attemptatus a predecessoribus suis set ab ipso injuriose presumptus. Sive ergo recongnoscat se facere custodiri bona ut conserventur futuro episcopo, sive sibi illa appropriet, sive dicat per modum regalium se intromittere de eisdem, totum novum est, totum usurpatum, totum injuriosum, quia nec a fundatione ecclesiarum nec ex privilegio nec ex longa consuetudine vel prescriptione hoc habet.

Non videtur expediens quod quintus articulus qui generalis est veniat in discussionem. In primis quia nonnulla in eo contenta inficiabitur forsan dominus rex Castelle, et episcopus super singulis ramis dicti quinti articuli non sic aperte ipsum forte confutare posset.

Super predictis ramusculis illius quinti articuli generalis, silicet gravaminum prelatorum, ecclesiarum etc. procedendum est caute ita quod semper magis indubitati premittantur nec tamen insimul.

Ipse idem episcopus, dum vadit et dum in regno

morabitur, prout cautius poterit a prelatis, religiosis et clericis auriet et disquiret que sunt certiora de predictis pertinentibus ad quintum articulum generalem, et de singulis supradictis ramusculis, sicut cautius poterit indagabit, et quos certiores invenerit illos efficacius prosequatur.

Notandum est insuper quod si bene pensentur omnes articuli et singuli ramusculi pertinentes ad quintum articulum supradictum, satis liquet quod si rex vel sui faciant que continentur in eis injuriose faciunt et ideo debet emendare quod fecit, nec in presentiarum facere, et cavere et providere ne fiant in posterum.

Si vero rex neget fecisse omnia vel aliqua que ad ipsum articulum spectant vel que continentur sub eo tunc episcopus ipsum modis congruis manuducat ut saltem precaveat modis congruis quod de cetero non fiant, et notificet et declaret quod non est sue voluntatis se de talibus intromittere aut quod sui de hiis se quomodolibet intromittant. Et hoc quantum ad illos articulos contentos sub quinto articulo, quos et rex negaret constanter et in quibus non invenirentur notabiliter excessisse ipse nec sui. Nam in aliis quibus ipsum et suos excessisse constaret, non solum est necessaria futurorum cautela sed instandum ut preterita et presentia corrigantur et non fiant de cetero.

Notandum quod intentio est domini nostri, non perfunctorie, non verbaliter, non generalibus verbis, non quesitis coloribus, non excusationibus frivolis, sed factis et congruentibus cautelis rex satisfaciat votis ejus.

Expedit quod ea que episcopus super excessibus et gravaminibus que per regem et regales fuerint intelliget a diversis illarum partium conscribat, ut ex hiis certior reddatur super illis excessibus et constantior sit in asserendo eos.

Caveat episcopus quod propter excusationes regias aut negationes seu inficiationes articulorum nec se contentum vel dominum papam futurum contentum asserat nec sibi vel domino pape satisfactum affirmet set recipiet ea que bene faciet et super aliis finaliter referat que habebit et intellexerit.

Item si qua gravamina noverit et de novo imposita inveniat infiscata illa inter prima ferventius prosequatur.

Item cetera remedia et cautelas quantum ad provisionem futurorum infrascripta videntur utilia.

Unum est quod dominus rex suis patentibus litteris summo pontifici dirigendis recongnoscat se nullum jus in perceptione tertiarum habere, quodque ad ipsum vel successores suos hujusmodi perceptio tertiarum non spectat et promittat quod de cetero de hujusmodi tertiis per se vel per alios nullatinus de cetero intromittet ipsasque dimittat libere per clericos et personas ecclesiasticas pacifice percipiendas, sicut fiebat hactenus, ante quam ipse vel pater suus aliquid de hujusmodi tertiis percepisset.

Aliud est ut hoc ipsum universis prelatis et ecclesiis regni sui, per suas patentes litteras verbis competenter mutatis.

Item significet universis baronibus, ballivis et officialibus suis, hoc ipsum precipiat ut se de cetero de hujusmodi tertiis nullatenus intromittant.

Item expedit quod hoc ipsum rex in publica sua curia denuntiet et faciat.

Expedit etiam patentes regias multiplicari litteras, ut super hiis in diversis ecclesiis conserventur ad futurorum cautelam.

Similes cautele et remedia similia facienda sunt super custodia et regalibus usurpatis in ecclesiis vacantibus.

Expedit etiam similia remedia procurari super diversis articulis seu ramusculis pertinentibus ad quintum articulum, saltem super certioribus et illis que nullo modo possunt ad regem spectare.

Item si posset haberi juratoria cautio cum patentibus litteris utilis esset.

Item preter supradictas cautelas considerabit episcopus si aliqui modi et cautele suggerantur, per aliquos prelatos et ydoneos ac honestos viros, ut illas etiam cautelas adjiciat.

Attendat dominus episcopus diligenter omnia supradicta »

744 Saint-Pierre, 7 mai 1279

Thome Macalufi civi Januensi mandat quatinus mille octingentas quinquaginta duas libras Januinorum, quas frater Nicolaus de Monte Calerio ordinis fratrum Minorum pro satisfactione quorumdam excessuum ab hominibus civitatis Astensis receperat et apud eum deposuit, Loffo Bonaguide et Lapo Arnolfi de societate Pulciorum et Rimbertinorum de Florentia et Bartholomeo Bellinzoni ac Andree Clariti de societate filiorum Rollandi Bonsignoris de Senis mercatoribus camere apostolice assignet et eisdem persolvat, faciens de solutione hujusmodi confici publicum instrumentum per Ferrarium

de Janua, cursorem pape, propter hoc specialiter missum. (Fol. 58 v°; an II, n° 11; POTTHAST 21572.)

« *Nicolaus etc. dilecto filio Thome Macalufi civi Januensi. Salutem et apostolicam benedictionem.* Sicut per litteras — Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis maii pontificatus nostri anno secundo. »

745 Saint-Pierre, 26 avril 1279

S. tituli S. Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato mandat quatinus regem Francorum, qui torneamento interfuit et sic sententia excommunicationis involvitur, paterne moneat et inducat et humiliter ab illa postulet se absolvi. (Fol. 59; an II, n° 12.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio S. tituli Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Quam attente libravimus, quam moleste tulerimus excessus illorum qui se torneamentis in regno Francie immiscere, lata in tales excommunicationis contempta sententia, presumpserunt satis per alias tibi super hoc directas litteras declaratur, ex quibus potes aperte colligere quod non absque admiratione recepimus persuasionem et petitionem tuas de dicta sententia revocanda nec eis acquiescendum putavimus variis ad hoc in predictis litteris rationibus allegatis. Licet autem quo ad omnes qui dictam sententiam incurrerunt per easdem litteras duxerimus generaliter providendum quod tamen in hiis consideratio carissimi in Christo filii nostri.. regis Francorum illustris qui secundum ea que in quodam torneamento cui personaliter interfuit fecisse describitur, nisi speciali quod nos ignoramus privilegio excusetur, videri potest predicta sententia involutus eo nos singularius afficit quo singularem ad ipsum affectum gerimus et de ipsius statu spiritualiter et temporaliter prospero attentius nec immerito cogitamus ei desideranti specialiter provideri, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus hiis que predicte nostre littere continent aliisque circumstantiis quas tibi revelasse credimus pleniorem facti notitiam prudenter inspectis eundem regem secreto conveniens sibique plenius qualitatem hujus sue transgressionis aperiens, si eum inveneris dicta excommunicatione ligatum, ipsum paterne moneas et inducas ut humiliter ab illa publice postulet se absolvi, tuque sibi taliter postulanti absolutionis beneficium liberaliter secundam formam ecclesie largiaris. Injuncturus eidem quod de cetero contra eandem sententiam aliquid non attemptet, et quicquid super hiis actum fuerit descripturus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum vi kalendas maii pontificatus nostri anno secundo. »

746 Saint-Pierre, 22 avril 1279

Eidem legato, cujus silentium vituperat, in revocatione edicti de torneamentorum exercitio nuper a Philippo rege Francorum facta, mandat quatinus universos et singulos comites, barones, milites ac alios, qui se torneamentis immiscuere predictis, excommunicatos usque ad satisfactionem condignam in locis, de quibus expedire putaverit, publice nuntiat ac ab aliis faciat nuntiari. (Fol. 59 v°; an II, n° 13 POTTHAST 21567.)

Hec debuit premitti superiori proxime.

« *Nicolaus etc. eidem legato.* Litterarum tuarum series — Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas maii pontificatus nostri anno secundo. »

747 Saint-Pierre, 22 avril 1279

Eidem legato mandat quatinus seriatim et celeriter per suas litteras intimare procuret ex qua causa et qualiter patefacta vicedominus Laudunensis, capellanus pape, captus fuerit et detentus, quibusve probationibus at apud quem judicem convictus extiterit, regi suasurus ut eundem vicedominum nec faciat nec quantum in eo est patiatur offendi. (Fol. 60; an II, n° 14.)

« *Nicolaus etc. eidem legato.* Si littere quas carissimo in Christo filio nostro.. regi Francorum illustri super facto dilecti filii vicedomini capellani nostri canonici Laudunensis per dilectum filium decanum Laudunensem et.. archidiaconum Parisiensem direximus in tuam notitiam pervenissent, proculdubio tua circumspectio intellexisset apertius quo zelo quove caritatis instinctu eidem regi mandavimus que continebantur in illis. Id enim specialiter nostra ferebat intentio, eo noster ferebatur affectus ut ipsius regis honori consuleretur et fame, nec per repetitionem alicujus facilitatis illius repetendis aliquibus in qualemcumque derogationem regii nominis occasio preberetur. Supponebamus et enim nec adhuc de contrario nobis constat eundem

vicedominum de nullo in regem eundem reatu convictum sed ipsum regem circa eum de inconsulto maledicto commotum nec de hoc ipso aliquibus legitimis probationibus constitisse, propter quod ad nos non sine admiratione pervenit regem ipsum in verba talia prorupisse ut dicendo coram pluribus suis familiaribus displicebit nobis si vicedominus de regno nostro recedat impunitus eisdem familiaribus offensam ipsius suggerere videretur, presertim cum dicti familiares respondendo sufficit quod ad id premissa regis verba prolata supponerent manifestius demonstrarent teque ipsi regi quod valde acceptum habuimus et exinde tuam prudentiam merito commendamus sicut decuit suadente ut verba hujusmodi revocaret, ipse illa revocare noluerit, sed tantum modo responderit nos non diximus quod vicedominus occidatur. Verum quia tue nuper misse nobis super hoc littere continebant memoratum regem asserere dictum vicedominum manifeste convictum ut eidem regi prout facti qualitas suggesserit et justitia exegerit satisfiat, volumus et discretioni tue presentium auctoritate mandamus quatinus ex qua causa et qualiter patefacta vicedominus captus fuerit et detentus, si de aliquo et de quo in eundem regem excessu commisso quibusve probationibus et apud quem judicem convictus extiterit nobis seriatim et celeriter per tuas litteras intimare procures, diligenter et efficaciter regi suasurus eidem ut sepe fatum vicedominum nec faciat nec quantum in eo est patiatur offendi ac nichilominus per te ipsum propensiori cura et diligentia provisurus ne sibi persone periculum aliquatenus ingeratur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas maii pontificatus nostri anno secundo. »

748 Saint-Pierre, 7 mai 1279

Margaritam reginam Francorum hortatur quatinus ad tractatus cum rege Sicilie initos, super discordia occasione comitatus Provincie inter ipsos suscitata, intendat et eos prosequatur, speciales nuntios propter hoc curie apostolice transmissura. (Fol. 61; an II, n° 15.)

« *Nicolaus etc. Carissime in Christo filie Margarite regine Francorum illustri. Salutem etc.* Mentem nostram attendere te filia karissima volumus, et que in pectore gerimus attente conspicere ut que scribimus plena sensibilitate suscipias in te serenitatis gratiam nutritura. Hoc enim nostra querit intentio ut tu electa filia paterne benedictionis rore conspersa in omni salute proficias et prosperis successibus dirigaris et hoc attentione paterna perquirimus ut tibi tranquillitates arrideant et donum pacifice ubertatis accrescat. Digne quidem per karissimum in Christo filium nostrum Phy. regem Francorum illustrem hactenus excitati, studia nostra convertimus ut inter carissimum in Christo filium nostrum C. regem Sicilie illustrem et te, super discordia occasione comitatus Provincie inter ipsum Sicilie regem et te quod invite referimus suscitata, grata concordia reformetur, nec minus ad id ex debito apostolatus officii preter specialitatis affectus inducti eundem regem Sicilie super hoc decenti fecimus attentione requiri, qui nostris in hac parte beneplacitis se conformans pacis tractatus velle videtur assumere, illos placida prosecutione ad suam et tuam quietem dante Domino completurus. Ut igitur quod de hujusmodi concordia sic ardenter appetimus et desideramus nostris studiis ad laudem altissimi proventurum prospere compleatur, ac fructus Deo placidos et nobis acceptos exinde subsequantur, celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente quatenus concordie hujusmodi sicut benedictionis filia te coaptans, ad tractatus ipsos intendas, et eos tuis applicatos precordiis sinceris affectibus prosequeris, propter hoc speciales nuntios a te super hiis de meritis tue intentione in grata sinceritate diligenter instructos, et potestatem ad hoc et id contingentia specialem et sufficiens mandatum habentes ad nostram presentiam transmissura, prenuntiando nobis quid inde disposueris et terminum quo eosdem nuntios deliberaveris destinare, ut hoc tempore decenti percepto possit melius provideri quod iidem nuntii tui cum nuntiis predicti regis Sicilie in hujusmodi tractuum prosecutione concurrant. Ita quod quibuslibet hesitationum surculis omnino succisis, eundem Sicilie regem et te, quos linea etiam affinitatis adjungit, astringat sincerius glutinum caritatis et nobis id sollicitasse gaudentibus nomen Domini collaudetur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis maii pontificatus nostri anno secundo. »

749 Saint-Pierre, 7 mai 1279

S. tituli S. Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato de eodem negotio scribit, et ei mandat quatinus

eandem reginam ad tractatus predictos diligenter inducat. (Fol. 61 v°; an II, n° 16.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato. Salutem etc.* Ex debito pastoralis officii pacis ubilibet comoda querimus, et illam preter alias sollicitudines que nostris incumbunt humeris sollicite procuramus. Digne quidem per carissimum in Christo filium nostrum Phy. regem Francorum illustrem hactenus excitati, studia nostra convertimus ut inter carissimum in Christo filium C. Sicilie regem et carissimam in Christo filiam nostros Margaritam Francie reginam illustres super discordia etc. ut supra proxime verbis competenter mutatis usque subsequatur candem reginam per alias nostras litteras excitamus, ut concordie hujusmodi sicut benedictionis filia se coaptans ad tractatus ipsos intendat, et eos suis applicatos precordiis sinceris affectibus prosequatur, propter hoc etc. ut supra verbis competenter mutatis usque concurrant. Credentes itaque te quod sentimus in hac parte sentire, prout etiam misse nobis tue littere inter alia innuebant, ac intendentes tanti boni quod ex predicta concordia provenire speratur esse participes, ac te reddere non expertem, super hiis tibi sollicitudinis partem imponimus, et per apostolica scripta mandamus quatinus eandem reginam ad id juxta datam tibi a Domino gratiam diligenter inducas, ita quod tue providentia studia que te adhibere noverimus in premissis, possimus non immerito commendare. Dat. ut supra proxime. »

750 Saint-Pierre, 16 mai 1279

Capitulo generali ordinis fratrum Minorum (Assisii congregato) significat, Hieronymum Sancte Romane Ecclesie cardinalem propter corporis infirmitatem congregationi adesse non posse. Salutares exhortationes addit, indulgentias promittit. (Fol. 62; an II, n° 17; Potthast 21582.)

« *Nicolaus etc. Capitulo generali ordinis fratrum Minorum.* Convenientibus vobis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xvii kalendas junii pontificatus nostri anno secundo. »

751 Saint-Pierre, 2 juin 1279

Ostiensi episcopo, apostolice sedis legato et Bertoldo de filiis Ursi rectori Romaniole, civitatis Bononiensis, etc. de ordinatione pacis et concordie Bononiensis per alias litteras apostolicas explicata licentiam dat pro executione sententiarum, que in ipsa continentur, papam iterum requirendi. (Fol. 63; an II, n° 18.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi apostolice sedis legato et dilecto filio nobili viro Bertoldo de filiis Ursi civi Romano totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis, comitatus Brettenorii et pertinentiarium earumdem rectori. Salutem et apostolicam benedictionem.* Ordinationem pacis et concordie Bononiensis ad vos credimus pervenisse, ac tam illa quam nonnulla alia capitula nobis ex ordinatione ipsa specialiter reservata, et quid de illis intendimus vobis per alias nostras litteras explicantur. Verum quia in dicta ordinatione diverse ac dure sententie continentur, providere vos convenit et nos expedire congnoscimus quod procuretis in concordia partium quatinus fieri poterit ordinationem hujusmodi prout vobis ministraverit Dominus executioni mandari, mentes illorum de quibus expedire videritis ad id dulciter informando, ac in hiis que circa reservata nobis vobis committimus evitando cautius quod easdem sententias non incurrant et si quod absit circa ea in aliquo ipsarum partium corda in non parendo callescerent, ita quod videretis imminere periculum per quod pertinaces in sententias ipsas inciderent, sicque apud vos dubitatio remaneret, ne id fieri contingat poteritis nos in hac parte requirere, ut quod inde fieri magis expediat clarius dante Domino discernatur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum iv nonas junii. »

752 Saint-Pierre, 2 juin 1279

Ostiensi episcopo, apostolice sedis legato et Bertoldo de filiis Ursi rectori Romaniole, civitatis Bononiensis etc. mandat quatinus pacem inter Lambertacios et alios in urbe Bononiensi stabilitam promulgari faciant, quibus dam additis de condempnationibus pecuniariis olim a Guillelmo de Pusterula factis, de reformatione consiliariorum et officialium civitatis ejusdem, et de conditionibus societatis que dicitur Societas Crucis, atque de possessione castri S. Petri et castri Franci. (Fol. 63 v°; an II, n° 19; Potthast 21591; cf. n° 604.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato et dilecto filio nobili viro Bertoldo etc.* In negotio Bononiensis — Dat. Rome apud Sanctum Petrum iv nonas junii pontificatus nostri anno secundo. »

753 Saint-Pierre, 1er juin 1279

Bertoldo de filiis Ursi, totius provincie Romaniole rectori, potestariam civitatis Bononiensis pro instanti anno, computando a festo b. Petri proximo futuro, committit. (Fol. 65; an II, nº 20.)

« *Nicolaus etc. dilecto filio nostro viro Bertoldo de filiis Ursi, civi Romano, totius provincie etc.* Dum remotas provincias et loca propinqua sub orthodoxe cultu fidei constituta mentis indagine intuemur, in illis studiorum nostrorum castra prefigimus que majori nobis specialitate conjuncta in gremio nostro recumbunt et a nobis in adversis remedia sue consolationis expectant. Diu quidem civitate Bononiensi, que nostra et ecclesie Romane specialis existit, procellarum turbine fluctuante, circa reformationem status ipsius quasi a nostris auspitiis studia nostra convertimus, que sic altissimus sua propitiatione direxit, quod de plena civitatis ejusdem pacis ubertate speramus. Cupientes itaque civitatem ipsam prospere dirigi ac salubri regimine gubernari, dum ex parte fidelitatis tue sinceritatem paterna consideratione pensamus, potestariam civitatis predicte tibi pro instanti anno computando a festo beati Petri proximo futuro sub formis et modis in ordinatione quam nuper super reformatione pacis Bononiensis eorumdem edidimus contentis et duximus committendam, sperantes quod sub tuo regimine inibi pacis integritas nutrietur, mentium vigebit amenitas et justitia clarius illam petentibus apparebit. Et quia commissa tibi circumadjacentis provincie generalis cura requirit te ipsum in diversis partibus interdum exhibere presentem, ne tali pretextu cure hujusmodi et per eam hujusmodi regimini quomodolibet deperiret, nolumus quod ad continuam residentiam in predicta civitate faciendam vel alias quomodolibet astringaris, set predictum regimen per te et interdum per alium exerceas sicut negotiorum exegerit qualitas et videris expedire, tibi per apostolica scripta mandantes quatenus potestariam ipsam tanquam vir magnanimus prudenter assumens, sic illam directione utili prosequaris quod fama tui nominis de bono in melius extollatur, et exinde nostram et apostolice sedis gratiam tanquam benedictionis filius merearis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum kalendis junii pontificatus nostri anno secundo. »

754 Saint-Pierre, 1er juin 1279

Communi Bononiensi mandat quatinus eundem Bertoldum vel ejus vicarium digna honorificentia pertractet. (Fol. 65 vº; an II, nº 21.)

« *Nicolaus etc. Communi Bononiensi.* Dum remotas etc. ut supra proximo verbis competenter mutatis usque viderit expedire. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eundem Bertoldum vel ejus vicarium digna honorificentia pertractantes sic ei vel dicto vicario in hiis que ad potestarie spectant officium devote ac humiliter intendatis eidem de statuto sibi salario responsuri, quod ipse reddatur promptior in vestris utilitatibus promovendis, et nos specialiter exinde ad ea que processu temporis fuerint vobis utilia benignius et favorabilius intendamus. Dat. ut supra proxime. »

In e. m. dilectis filiis universis civibus Bononiensibu-de parte Geremiensium.

In e. m. dilectis filiis universis civibus Bononiensibus de parte Lambertatiorum.

755 Saint-Pierre, 9 juin 1279

Joanni Brabantie et Lotharingie, Roberto Burgundie ducibus et Roberto comiti Atrebatensi respondet de negotio Baiocensis episcopi, qui proditionis accusationem sine probatione passus est, sicut regi et regine Francie jam scripsit. (Fol. 65 vº; an II, nº 22; cf. POTTHAST, 21624.)

« *Nicolaus etc. Dilectis filiis nobilibus viris Johanni Brabantie et Lotharingie, Roberto Burgundie ducibus et Roberto comiti Attrebatensi. Salutem et apostolicam benedictionem.* Paterni nominis pietas erga filios patris officium diligenter exequitur cum pro illis consilium capiens non quibuslibet illorum indulget affectibus sed directionis virge non parcens illos prout res exigit dirigere satagit, nunc fieri refragantis justitie appositione compescens nunc utilium persuasionum adjectione refrenans. Hujusmodi patris officio ad carissimum in Christo filium nostrum.. regem et carissimam in Christo filiam nostram M. consortem ejus reginam Francie illustres in negotio venerabilis fratris nostri P. Baiocensis episcopi usi sumus, petitionibus pro ipsorum

parte nobis expositis de prefato episcopo puniendo propter proditionem quam illum commisisse dicebant, per nostras sub certa forma litteras respondentes et explicantes apertius quid circa eas jura permitterent, quid justitia pateretur consiliis et suasionibus variis in sinceritate caritatis adjectis quibus ut decuerat exauditis fuisset negotio utiliori provisione consultum. Cum enim ipsius regis nuntius propter hoc ad nostram presentiam destinatus coram nobis et fratribus nostris de voluntate régis éjusdem ut dicebat protestaretur aperte quod nec suo nec dicti regis nominis cognitionalia subire certamina intendebat, nec inquisitionis preparatoria que ad eam faciendam movere sufficerent ulla concurrerent vel concurrant nullusque appareret vel appareat accusator accusationem prosequens, aut delator seu etiam nuntiator suis notis assistens, memoratum episcopum non confessum vel quovis probationis genere de hujusmodi proditione convictum immo nondum etiam legitime impetitum nec tunc condempnare juste potuimus vel injuste debuimus nec nunc possumus aut debemus multoque minus condempnatione quin etiam cognitione non precedente punire. Porro si premissa responsionem de necessitate utique justicie procedentem suasionem et consilia plenius regi et regine predictis expressa que in vestram credimus devenisse notitiam tranquille rationis judicium discussisset, si considerassetis attentius respondentis affectum proculdubio vestre misse pridem nobis super eodem negotio littere vel omnino substitisse debuerant, vel aliter temperari que namque ipsis vestris inserta litteris admirationis occasio? que causa querele? ut vos ac totum genus regine ipsius, sicut eedem vestre littere continent, pro eo quod aliud non est consilium in predictis appositum reputetis male pacatos. An recte dicitur appositum non esse consilium nisi fiat quicquid petitur a petente? vel nisi sequamur omnino quod sub auctoritate scientie juris magnatibus erronee plerumque suggeritur a juris forsan ignaris? Profecto cum indubie supponamus vos non juris studio sed virium exercitio circa militaria ut vestre nobilitati congruit vacavisse decuisset vos potius predictis nostris acquievisse consiliis quam illorum irritari susurriis qui superioribus succinentes non veritati deserviunt set placentia solummodo proferre nituntur. Que unquam querele causa si successori Petri et vicario Jhesus Christi quanquam immerito conscientiam reclamante non libuit quia nec licuit ita cujusquam deferre potentie ut per eam contra justitiam alius opprimatur aut de immutatione ipsius episcopi gratiam facere, quam cum de sufficienti ad hoc nobis causa non constet, casus instantis qualitas, ut taceamus absurditates alias que proinde sequerentur absque gravi ejus et canonicarum traditionum prejudicio non admittit? Cum tamen etiam secularis vox illa sit principis in alterius injuriam beneficia concedere nequaquam nostri moris existit. Advertite itaque qualis vobis subsit admirandi ratio, que materia querelandi si decenter si rationabiliter fuerint in earumdem litterarum vestrarum calce subjunctum quod corda vestra in quiete vel pace non erunt, donec in statu in quo extat ad presens idem negotium remanebit. Non enim credere possumus quod corda vestra molestet si apostolica sedes que libram justitie gestare debet in manibus observantie juris obsequitur et stateram judicii non subvertit. Id enim opinari de vobis consideratio gentis ac generis et cujusque vestrum fama laudabilis non permittit. Quorsum itaque dictorum verborum tendit intentio? Num quid personalem offensam memorati episcopi verba eadem comminantur? Nempe si quantum illa divinam majestatem offenderit in tanti sui offensione ministri quam tum vestram magnificentiam dedeceret, et foret a generositate vestra et predecessorum vestrorum actibus aliena. Quam grave in universali ecclesia scandalum generaret? Quod non posset aliquatenus ab ea sub dissimulatione transiri vel cum patientia tollerari! consulta ut expedit attentione pensetis motus tales quos immittere malorum solet incentor ipsiusque ministri eximii prophetarum reprimentes exemplo! qui cum sibi suggereretur a suis ut in Saul ipsum infeste persecutionis instantia persequentem suo arbitrio in spelunca per oportunitatem casus expositum hujusmodi persecutionis molestias vindicaret. Silenter clamidis illius hora precisa ut illam evidens rei geste haberet insigne cor suum pro hoc ipso percutiens propitius, inquid, sit mihi Dominus ne hanc rem faciam ut in eum cum sit Christi Dominus manum mittam nichilque sibi lesionis intulit, nichil injurie irrogavit sed et viros suos ejusmodi sermone confregit, et in illum consurgere non permisit. Et vos ergo quesumus instar illius corda vestra Dei reverentia Dei timore percutite, immiss ones hujusmodi et etiam immittentes illius sermonibus propulsare ut manus vestras servantes innoxias nichil in memoratum episcopum re vera Christum

Domini aut bona sua seu ecclesie Baiocensis per vos seu alios attemptetis. Set ut animos vestros in tranquillitate ponatis, illud absque dubitatione tenete quod si prout dictis regi et regine scripsisse meminimus nobis de tam gravi sicut asseritis ejusdem episcopi commisso aliqua legitima via constiterit ita in eum acriter juxta detegendam committentis nequitiam vindicare proponimus quod pene ipsius acerbitas alios etiam a similibus deterrebit. Dat. Rome V idus junii pontificatus nostri anno secundo. »

756 Saint-Pierre, 9 juin 1279

Eisdem nobilibus de eodem negotio respondet, quibus dam in salutatione et aliquibus verbis mutatis. (Fol. 66; an II; n° 23.)

« *Nicolaus etc. Eisdem nobilibus spiritum consilii sanioris.* Paterni nominis pietas etc. ut in proxima superiori usque non subvertit. Quorsum itaque etc. ut in proxima usque in finem. Dat. ut supra. »

Fuit autem facta hujusmodi sub diversitate salutationum et aliquorum verborum ut ex premissis apparet duplicatio propter dubium statum dictorum nobilium, sicut apertius potest intelligi ex fine litterarum sequentium.. legato Francie super eodem negotio directarum. Ibi, ceterum scire te volumus etc.

757 Saint-Pierre, 9 juin 1279

S. tituli S. cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato, mandat quatinus ad pacandos circa premissa regem et reginam Francie prudenter intendat; eidem significat se Johanni Brabantie ac Lotharingie, Roberto Burgundie ducibus et Roberto comiti Atrebatensi per suas presentibus interclusas litteras respondisse (Fol. 66 v°; an II, n° 24.)

« *Nicolaus etc. dilecto filio S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Diligentie studium quod circa negotium venerabilis fratris nostri.. episcopi Baiocensis ex tuarum litterarum serie super eodem negotio novissime directarum te habuisse collegimus in Domino commendantes illud tue circumspectionis industriam non dubitamus advertere quod cum sicut idem episcopus asserit te facti non lateat veritas, sed et per eum de ipsius innocentia tibi constet tanto constantius prosecutioni ejus te decet occurrere quantomagis quod in hoc tue incumbit sollicitudini exequens, non solum sibi consules sed Deo servies et ipsum persequentibus ad vitandum animarum suarum periculum et ponendum in tranquillo eorum animos providebis, presertim cum verisimile presumatur quod si eis per te qualiter ad investiganda ea quorum occasione persecutio eadem sumpsit exordium tu ipse dictum episcopum invitum et renitentem misereris alieque tibi non ignote circumstantie juxta datam a Deo prudentiam revelentur ipsi tuis assertionibus eo promptius acquiescent quo per revelationem veritatis hujusmodi de amotione memorati episcopi et quavis propter hoc translatione, nisi legitime appareret aliud suadente justitia faciendum, spes eis certius precludetur quam proculdubio ipsis expedit omnino caute precidi, tum quia de hiis que imponi dicuntur episcopo memorato non liquet et si forte liqueret ad id efficatia non putantur, tu quia non multa verisimilitudine fulciuntur cum episcopi ejusdem in negotiis carissimi in Christo filii nostri.. regis Francorum illustris nota in curia Romana fidelitas et probata sedulitas illa satis probabili presumptione confutent. Nec expedit propter exempli perniciem, zelum justitie ac tutamen libertatis ecclesiastice in talibus habenas laicorum laxare conatibus aut tribuere temerariis ausibus incentivum. Ideoque discretionem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes quatenus ad pacandum circa premissa dictum regem et carissimam in Christo filiam nostram.. reginam Francie illustrem consortem suam prudenter intendens ac regem ipsum exhortans specialiter et inducens ne quovis quesito colore, sicut aliqui sui comminari dicuntur, dicto episcopo super bonis suis seu ecclesie Baiocensis per se vel per alios injuriosus existat. Quia sicut creditur sedatis qui circa hec ejusdem regis motum prout fertur accendunt facile ipsius etiam commotio conquiescet? ut efficacius apud eundem regem proficere valeas ad sedandos eosdem revelationis premisse suffragio et hujusmod precisionis auxilio aliisque viis et modis quos ad hoci utiles fore putaveris sic operosus insistas quod illo in cujus manibus principum corda consistunt tuis in hoc propitiante conatibus exinde ipsi episcopo tranquillitas optata proveniat tibique apud Deum retributionis cumulus et apud nos laudis titulus augeatur. Ceterum scire te volumus quod dilecti filii nobiles viri Johannes Brabantie ac Lothoringie

Robertus Burgundie duces et Robertus comes Atrebatensis nobis contra memoratum episcopum suas litteras consignatas eorum sigillis pendentibus destinarunt. Quibus ut vidimus facti qualitati congruere per nostras presentibus interclusas litteras respondemus quas de ipsorum statu dubii utrum videlicet sint excommunicatione ligati, quam pro eo quod torneamentis se immiscere contra prohibitionem sedis apostolice presumpserunt incurrisse dicuntur. An vero vel ipsam non incurrerint vel ab ipsa sint postmodum absoluti sub diversis salutationum titulis fecimus duplicari ut diversa eorum juxta premissa conditio diversitatem salutationis precipue recipiat congruentem. Tuque illas assignes eisdem quas secundum statum in quo eos tempore hujusmodi assignationis esse constiterit videris assignandas. Reliquis vel ignis cessuris in cibum vel sic cedendis in frustra seu aliter destruendis ut nullam possint sui tenoris memoriam presentare. Dat. ut supra proxime. »

758 Saint-Pierre, 9 juin 1279

Regi Castelle ac Legionis diversos tractatus, a tempore Joannis pape pro pace et concordia inter ipsum et regem Francie reformandis per Hieronymum presbiterum cardinalem, tunc fratrum Minorum generalem ministrum et Joannem magistrum fratrum Predicatorum inchoatos, deinde per Benvenutum ipsius Minorum ordinis professorem, nunc episcopum Eugubinum et Joannem de Viterbio, procuratorem Predicatorum ordinis, et postea per Gerardum presbiterum cardinalem cum eisdem apud Tolosanam et Burdegalensem civitates continuatos commemorat; gravia damna proponit que ex ista longa dissensione specialiter Terre Sancte nascuntur; eum hortatur quatinus ad pacis et unitatis gaudia se conformet. (Fol. 67 v°; an II, n° 25; Potthast 21598.)

« *Nicolaus etc. Carissimo in Christo filio.. regi Castelle ac Legionis illustri. Salutem et apostolicam benedictionem.* Romana mater ecclesia — Dat. Rome apud Sanctum Petrum v idus junii pontificatus nostri anno secundo. »

759 Saint-Pierre, 9 juin 1279

G. duodecim Apostolorum presbitero cardinali mandat quatinus visis litteris ad sedem apostolicam quantocius revertatur. (Fol. 69; an II, n° 26.)

« *In e. m. dilecto filio G. duodecim Apostolorum presbitero cardinali* verbis competenter mutatis usque professorum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus visis litteris ad nos quantocius revertatur. Dat. ut supra proxime. »

760 Saint-Pierre, 8 juin 1279

De eisdem negotiis fratri Johanni magistro ordinis fratrum Predicatorum scribit, et ei mandat quatinus ministerii sui debitum prosequatur et nichilominus sollerter invigilet ut predicti tractatus non negligantur. (Fol. 69 v°; an II, n° 27.)

« *In e. m. fratri Johanni magistro ordinis fratrum Predicatorum.* Verbis competenter mutatis usque subsequantur. Ceterum posset etc. usque professorum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus tu qui predictorum occasione tractatuum jussione superioris urgente actualem curam in nonnullis tui ordinis ad tempus non modicum necessario intermisisse dinosceris circa curam eandem ministerii tui debitum prosequaris et nichilominus sollerter invigiles ut si te sicut successuum qualitas indicabit ad tractatus ipsos requiri contigerit, mentis et corporis promptitudinem ad consequendum obtatum finem impensi laboris et tam pii operis exercitium prosequendum inveniaris accinctus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum vi idus junii pontificatus nostri anno secundo. »

761 Saint-Pierre, 8 juin 1279

Regi Francorum ea que concilium Lugdunense pro subsidio Terre Sancte ordinavit et statuit, et quomodo apostolice sedis legatus ad partes Francie pro eodem negotio missus fuit, et omnes tractatus a tempore Johannis pape, pro pace inter ipsum et regem Castelle reformanda, inchoatos et continuatos commemorat etc. (Fol. 69 v°; an II, n° 28.)

« *Nicolaus etc. Carissimo in Christo filio Phy. regi Francorum illustri Salutem et apostolicam benedictionem.* Circa statum miserabilem Terre Sancte variarum perplexitatum causa nobis ingeritur, ad illam afficimur et ejus incendia quasi continua commemoratione sentimus. Dum enim dissidentium fluctuationes non nunquam silere conspicimus in negotiis terrenorum illis aeris data temperie, istis

animorum concordia restituta et dum attendimus studia et labores, quibus circa ipsius terre subsidium laboravit et laborat ecclesia, proh dolor ipsius terre statui depresso langoribus temporis expectati serenitas non advenit immo inopinati casus eveniunt unde diutius ipsa compellitur sue lamentationis incommoda deplorare, et nobis ad presens remedium proxime diutius obtate consolationis adimitur, et super excrescentis consilii adicitur cogitatus. Nosti, fili karissime, quod félicis recordationis Gregorius papa décimus predecessor noster suis et aliorum prelatorum non parcens sumptuosis laboribus pro ipsius terre precipue procurando subsidio Lugdunense concilium congregavit ibique ordinavit et statuit que magis competere hujusmodi negotii expeditioni congnovit, et dilectum filium nostrum S. tituli Sancte Cecilie presbiterum cardinalem apostolice sedis legatum ad partes Francie pro celeri et prosperiori ejusdem subsidii consumatione transmisit. Nosti quod hujusmodi negotio satis prospere procedente inter te et carissimum in Christo filium nostrum.. regem Castelle ac Legionis illustrem gravis discordia fuit exorta, ex qua eidem negotio multipliciter deperiit et deperit, te videlicet ventorum turbinibus fluctuante a quo principaliter hujusmodi subsidium expectatur. Nec ignoras quod Romana mater ecclesia principalem in terris obtinens divina institutione primatum orbis terre principes sibi ut columpnas annectit, in illis edificat, in eorum ulnis quiescit interdum et per eos sui non nunquam vallat et dirigit agmina principatus quibus se invicem concutientibus ipsa concutitur et cogitare nimirum compellitur ne quevis scissura illos in aliqua sui parte debilitet, vel concertatio curiosa perturbet, cum in illorum quiete se ista quietet et fluctuet in eorumdem turbine procellarum. Unde non immerito ab olim in orrendorum hujusmodi discordie perceptione rumorum eadem ecclesia concitata pie memorie Johannes papa XXI predecessor noster tot animarum etc. ut supra proxime in littera regis Castelle usque ad finem ipsius verbis competenter mutatis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum VI idus junii pontificatus nostri anno secundo. »

762 Saint-Pierre, 7 juin 1279

Eidem regi de eodem negotio scribit, et eum hortatur quatinus ad pacis et unitatis gaudia se conformet. (Fol. 70; an II, n° 29.

« *Nicolaus etc. Carissimo in Christo filio Phy. regi Francorum illustri spiritum consilii sanioris.* Circa statum miserabilem etc. Ut supra proxime usque elaboret. Ut igitur benignius et facilius in premissis nobis altissimus prosperetur, celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente quatenus animi tui decentiam mansuetudine regia muniens sic ad pacis et unitatis gaudia te conformes, odiorum fomitibus a te prorsus exclusis quod tibi et regno tuo de quiete provideas et possis exinde merito commendari. Dat VII idus junii. »

(*En marge* : hic sic scribitur quia credebatur excommunicatus licet nesciretur pro certo et hoc ad cautelam factum fuit.)

763 Saint-Pierre, 7 juin 1279

S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato, mandat quatinus partem decime, pro subsidio Terre Sancte in regno Francie collectam, cum debita cautela deponi faciat, omnia perquirat ad idem subsidium spectantia et ad sedem apostolicam quantocius revertatur. (Fol. 70; an II, n° 30.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato. Salutem etc.* Circa statum etc. ut supra proxime in littera predicta regi Francie verbis competenter mutatis usque professorum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus attente providens quod negotium decime terre sancte subsidio deputate in perfectione sollicitudinis studiose et debita puritate procedat quicquid est de decima ipsa collectum facias prout alias ordinatum est cum debita cautela deponi sicque negotium ipsum provide dirigas quod in illo tam pro prestita et presenti quam pro colligenda de cetero predicta decima sine alicujus intermixtionis varietatibus procedatur et nichilominus de conditionibus ipsius et aliorum illarum partium negotiorum ac voluntate et possibilitate regis principum et baronum et aliorum etiam spectantium ad prefate terre subsidium et aliis circumstantiis passagii generalis indagatione festina perquirens, sic illa et alia que te scire per omnia credimus tue menti conscribas quod per te possimus de predictis et aliis etiam plenius informari. Et quia mora in talibus posset afferre dispendium, volumus quod visis litteris informatione hujusmodi cum celeritate recepta et que premisimus circa negotium decime executioni mandatis

ad nos quam citius revertaris. Dat. ut supra proxime. »

764 Saint-Pierre, 7 juin 1279.

Eidem legato ambas litteras regi Francie destinatas transmittit et ei mandat quatinus unam vel alteram secundum circumstantias regi presentet (Fol. 70; an II, n° 31).

« *Nicolaus etc. Eidem legato.* Innuebant inter alia littere pridem nobis ex tua parte transmisse quod tu in exercentes torneamenta in regno Francie excommunicationis sententiam auctoritate apostolica promulgaras, et quod.. rex Francie post hec se torniamentorum exercitiis licet inhermis ingesserat et illa exercentibus favorem et subsidia propinarat. Cum itaque hiis diebus urgens necessitas requireret quod regi scriberemus eidem, quia nobis non constitit utrum per absolutionem obtentam vel alias rex ipse hujusmodi sententie minime subjaceret, duas litteras sub eadem quasi forma fieri fecimus in quarum una prout est moris in talibus ecclesie Romane stilo servato in altera regem eundem eum solita benedictione apostolica salutamus. Sperantes igitur quod tua circumspectio quod in hac parte fieri magis expediat provida deliberatione discernat, litteras ipsas ambas tibi transmittimus ut dicto regi per te ipsarum altera cum ea maturitate qua convenit presententur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus si dictus rex hujusmodi sententie propter absolutionem obtentam vel alias non subjacet, predictam cum solita salutatione benedictionis apostolice litteram presentes eidem, reliqua in eo eventu ne apparere valeat laniata. Et si rex ipse tali esset excommunicatione forsitan involutus, alia sibi ex parte nostra cum ea maturitate qua convenit littera presentata et in eo eventu reliqua similiter laniata prudenter exponas eidem quod erga ipsum urgente conscientia stilum salutationis apostolice variamus. Dat. ut supra proxime. »

765 Saint-Pierre, 3 juin 1279

R. regi Romanorum episcopum Tripolitanum de fratrum suorum consilio destinat, ut tractatus per predecessores tuos inchoatos et a se resumptos, pro pace inter ipsum et regem Sicilie confirmanda et affinitatis vinculo inter eosdem stabiliendo prosequatur. (Fol. 70 v°; an II, n° 32.)

« *Nicolaus etc. Carissimo in Christo filio R. regi Romanorum illustri, Salutem et Apostolicam benedictionem.* Mundum pugillo continens omnium conditor rex eternus principes in illo constituit populo quem redemit limitatis gradibus dignitatum et illos sibi prelectos assumens eos columpnas infixit, quibus populus Christianus inhereat et sub eorum ducatu tuti procedant ambulantes in luce, per ejus semitas mandatorum ac eis relucentibus radiis claritatum hesitantes in fide catholica contremiscant et pseudo populi conculcentur. Hii sunt Christi pugiles quorum strenuitate christiani populi proteguntur et exultant in Domino sic protecti. Hii sunt turres fortitudinis in quibus dulci sopore quiescit ecclesia et hiis dimicantibus in hujus seculi stadio militari tabescunt et fremunt impii ac pereunt desideria peccatorum. Voluit quoque summus ille provisor horum habere custodes Petri videlicet successores, qui more pastorum vigiles et principes et populos custodirent, gratia salutari dirigerent et unitate servarent, ut et ipsi talium unitate succincti extirparent errores, protervos abjicerent et oberrantes redducerent ad semitam veritatis. Digne quidem abolim Romana desideravit et affectat ecclesia, et nos qui gerimus in terris licet immeriti vices Christi sollicitudinis pastoralis officio nostrum exercitium excitamus indefessis studiis intendentes quod inter te et carissimum in Christo filium nostrum C. Sicilie regem illustrem, quos sibi eadem ecclesia in filios specialiter adoptavit et divina provisio multorum principes statuit populorum, sinceritatis amenitas et intime caritatis integritas nutriantur, ut sub potentatus utriusque dominio cessent seculi tempestates et fluctuationes abeant procellarum. Nec indigne infra precordia nostra gaudio multo reficimur et exultamus in Domino, dum illum nobis et tibi ac eidem regi sentimus esse propitium, qui gloriosus trinus et unus ubique servari precipit gratiam unitatis. Dum eo liniente percipimus corda vestra dulcescere immo uniri potius commixtione liciorum nutrientium caritatem. Et dum speramus vos in unum nobis unanimes sincera devotione constringere, serenare precordia et in vestris quod in nostris affectibus resultare ut nos et vos solide in agendis ad laudem altissimi procedamus. Hec inquam in pectore nostro dulcescunt et grate refe-

rimus. Nam sicut diebus istis amena suavitate collegimus, nos cogitatus nostros circa premissa non sine multis studiis diffundentes, in eo potissime grata perceptio serenavit, quod te ac tandem regem eundem super hiis requisitos a nobis invenimus unitatis gratie sectatores. Unde non immerito per predecessores nostros super hoc habitos tractatus resumpsimus et illos per nos et alios prout videbamus expediens extitimus prosecuti. Sicque ut futuris eventibus quevis sinistri tollatur occasio et radicetur in solido tante solium caritatis, diversos et varios articulos pro ipsius regis hactenus parte petitos ad limam correctionis nostre reduximus et sollicitudinibus laboriosis et studiis pro major' quiete tua, ex eis resecatis aliquibus et aliis ut decuit temperatis nonnullos etiam in favorem tuum per nos ipsos inventos et de novo confectos de pleno regis ejusdem et mansueto consensu, in certa capitula redigi fecimus tibi non immerito placitura, que per nos et fratres nostros perfecta maturitate diccussa sub bulla nostra transmittimus tuis applicanda sensibus regio vallanda consensu et placide memorie conscribenda. Et quia indissolubile matrimonii vinculum divinitus institutum ex institutione sui virtutem in se obtinet connexivam, inter alia non sine multa discussione providimus quod inter te ac regem eundem caritatis unitas affinitatis linea conjungatur, prout in capitulis ipsis exprimitur et venerabilis frater noster.. Tripolitanus episcopus lator presentium tibi clarius enarrabit. O jocunda refectio qua nos altissimus fecundabit, cum te ac regem prefatum et per consequens alios vestros senserimus mentium idemptitate connexos et irrefragabiliter copulatos, ut ex hoc diversarum gentium et etiam nationum accepta Deo' nobis placida et mundo perutilis conjunctio subsequatur, que preter inextimabiles alios fructus tam utiles Terre Sancte negotio repromittit. O quanta securitate quiescet ecclesia dum sic electis pugilibus inter alios singulari sibi specialitate conjunctis, quos suis lactat uberibus perceperit se suffultam ita quod ipsis eorum signa victricia in idem conflantibus hostes exterminet altissimi redemptoris et evertat fantasmata infidelium Jhesu Christi qui catholice fidei fedis objectionibus contradicunt. O quanta ubertate gentes gaudebunt et affluent, cum talibus radiis sic refulgentibus sub uno nitore concurrent et in unum convenient sentiendi commertium etiam ydiomatum organo dissonantes, per hoc enim fertilior fructus pacis exuberat et latius in gentibus nomen Domini collaudatur. Profecto quod in premissis mentaneis oculis intuemur et plenis desideramus affectibus presentialiter cupimus celeri prosecutione videre ac effectu prospero consumari, ut consumata proficiant et obtatum fructum germinent in terris utilem et placidum in excelsis, in quo eadem exultet ecclesia et nos psallentibus cleris et tripudiantibus populis ad laudem altissimi delectemur: Ad hec itaque prout noster exuberat animus absque intermissione qualibet intendentes eundem.. episcopum nobilem genere meritis et religione preclarum virum alti consilii attentione providum in magnis et arduis circumspectum et oriundum de domo nostre domui affinitate conjuncta et quem tanti boni cognoscimus zelatorem sicut illum qui prosperitatum commoda sensit interdum ejusdem terre, palpavit tedia et adversitatum incendia pertulit in illis partibus diutius conversatus ad te pro premissis sicut oleum lenitivum et solidativum antidotum, de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, ut per eum circa predicta seriosius et clarius informeris. Quare serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus dictum episcopum sereno vultu respiciens et mente sincera complectens et in hoc nostrum et regis ejusdem zelum puritatis advertens nec avertens grandia premia, que pater eternus humilibus spiritu repromittit, sic in eodem episcopo nos intimis precordiis contempleris, sic germen electum veluti benedictionis alumpnus divinis et nostris beneplacitis te conformes et illa toto animo prosequaris sicque visis eisdem capitulis et memorato episcopo plenius intellecto, conceptum nostrum compleas, complendo perficias, munias et robores et in omni claritate serenes quod fugatis quibuslibet nubibus, universali ecclesie, nobis tibi et regi prefato ac omnibus fidem catholicam profitentibus oculus divine majestatis arrideat, augeatur prosperitas et tandem populi sic ubertate refecti facilius ad salutaria dirigantur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum III nonas junii pontificatus nostri anno secundo. »

766 Saint-Pierre, 3 juin 1279

Eidem regi Romanorum significat quod de capitulis episcopo Tripolitano transmissis copiam ab eodem episcopo facere sibi poterit exhiberi. (Fol. 72; an II, n° 33)

« *Nicolaus etc. R. regi Romanorum illustri.* In

aliis litteris quas tibi transmittimus facimus inter alia mentionem de quibusdam articulis in capitula redactis que sub bulla nostra per venerabilem fratrem nostrum.. Tripolitanum episcopum transmittuntur. Unde ad majorem tuam certitudinem eorum que capitula ipsa continent de ipsis copiam ab eodem episcopo facere tibi poteris exhiberi : Dat. ut supra proxime. »

767 Saint-Pierre, 3 juin 1279

Regem Romanorum hortatur quatinus de negotio matrimonii inter filiam ipsius et primogenitum principis Salernitani, primogeniti regis Sicilie, providentie Tripolitani episcopi acquiescet. (Fol. 72; an II, n° 34.)

« *Nicolaus etc. eidem regi Romanorum.* Pro unitate sincera inter te et carissimum in Christo filium nostrum C. Sicilie regem illustrem dante Domino conservanda extitit cum multa deliberatione provisum quod filia tua primogenito dilecti filii nobilis viri C. principis Salernitani primogeniti regis ejusdem matrimonialiter copuletur, sicut in certis capitulis super hiis ordinatis inter alia plenius continetur. Verum quia inter cetera in capitulis eisdem exprimitur quod ipsa filia tua prout et quando nobis videbitur traducatur expedire congnoscimus et pro celeriori negotii expeditione permittimus quod super hoc providentie venerabilis fratris nostri P. Tripolitani episcopi quem ad te mittimus acquiescas. Dat. ut supra pro Christo. »

768 Saint-Pierre, 3 juin 1279

Regem Romanorum hortatur quatinus Petrum Caputaquensem episcopum et nobiles viros Lucam de Sancto Aniano ac Riccardum de Ayrola milites, consiliarios et familiares Sicilie regis, ex parte ejusdem ad ipsum missos, cum piena benivolentia recipiat. (Fol. 72; an II, n° 35.)

« *Nicolaus etc. eidem regi Romanorum.* Dum ad ea que nobis tue devotionis inditia repromittunt, intuitus apostolice considerationis extenditur, excitamur cura procurare sollicita quod tibi et tuis serenitatis tranquillitas et amplectende proveniat quietis ubertas, ne quarumvis turbationum fluctuatione vexeris, quem plenis desideramus affectibus prosperi status felicitate letari. Habet enim ad regalem magnificentiam eo plenius mens nostra respectum quo clariori devotione prefulges et Romanam ecclesiam veluti princeps catholicus puriori animo revereris. Cum itaque venerabilis frater noster Petrus Capudaquensis episcopus, et dilecti filii nobiles viri Lucas de Sancto Aniano ac Riccardus de Ayrola milites, consiliarii et familiares carissimi in Christo filii nostri C. Sicilie regis illustris ex parte ipsius regis ad te pro solidanda inter te ac ipsum regem unitate sincera et illa caritativis nexibus, prout alias per nos et fratres nostros ordinatum esse dinoscitur, dante Domino gluttinanda mittantur, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus in eisdem episcopo et nobilibus nos et regem eundem clementi serenitate contemplans ac ipsos sereno vultu respiciens et mente complectens in hoc regis ejusdem zelum puritatis advertas et ad solidationem unitatis hujusmodi sic te tota mente conformes et illam tuis infigas affectibus et effectibus prosequaris ac aliis representes quod Deo et nobis digne complaceas, tibi de accepta quiete provideas et nomen tuum clarius et liberius humane laudis preconio diffundatur. Dat. ut supra pro Christo. »

769 Saint-Pierre, 3 juin 1279

Infrascriptis mandat quatinus eosdem episcopum et nobiles viros, ad Alamannie partes pro quibusdam arduis negotiis a rege Sicilie missos, et eorum familias abire libere permittant et de securo conductu eisdem provideant. (Fol. 72 v°; an II, n° 36.)

« *Nicolaus etc. Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, electis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis ac nobilibus viris marchionibus, ducibus, comitibus, baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis, consiliis, comunitatibus et universitatibus ad quos littere iste pervenerint. Salutem et apostolicam benedictionem.* Cum venerabilis frater noster P. Capudaquensis episcopus et dilecti filii nobiles viri Lucas de Sancto Aniano et Riccardus de Ayrola milites, consiliarii et familiares carissimi in Christo filii nostri C. Sicilie regis illustris latores presentium pro quibusdam magnis et arduis negotiis ad Alamannie partes accedant, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes quatenus ipsos et eorum familias abire libere per-

mittentes nullam eis in personis vel rebus eundo, morando et redeundo molestiam inferatis, quin immo sic liberaliter de securo conductu provideatis eisdem sicut extiterit opportunum quod exinde possit vestra devotio merito commendari. Dat. ut supra pro Christo. »

770 Saint-Pierre, 3 juin 1279

Regis Romanorum erga Romanam ecclesiam devotionis fervorem laudat, et ei significat se principes Alamanie per alias litteras exhortari ut ipsi sincera devotione se conforment. (Fol. 72 v°, an II, n° 37.)

« *Nicolaus etc. Eidem R. regi Romanorum.* Promptitudinem et fervorem devotionis eximie, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, per grandia celsitudinis tue merita evidenter experti, sic paternis desideriis affectamus ut regie magnitudinis status felicius exaltetur et tua culmina maneant semper obtata felicitate fecunda, sicque perficere ministerio sollicitudinis apostolice que tibi sint grata proponimus quod in nobis velud specialis alumpnus paternum recongnoscens affectum ad quelibet ipsius ecclesie beneplacita mentem affluenti desiderio dirigas et ad prosecutionem eorum opportunis temporibus fortius animeris. De nobis itaque fili potes sicut de benivolo patre confidere ac nobis circa ea que augmentum et consumationem tui negotii requirunt fiducialiter per nuntios sollempnes et litteras, sicut qualitas negotii exiget, intima tui pectoris aperire. Nam proponimus prout decuerit et nobis fuerit ex alto permissum annuere favorabiliter votis tuis. Ad hec quidem, fili, nos inducunt et merito clara tue devotionis auspitia, que per operis evidentiam percepimus et sentimus et de tuis preclaris actibus grata presagia nobis perseverantiam et perpetuam constantiam, in Dei nostre ac Romane ecclesie devotione, in tuis futuris dante Deo successibus repromittunt. Unde non indigne speramus quod quanto benignius a nobis et eadem ecclesia te honorari perspexeris tanto facundius in eadem devotione concrescas et animum in illa tue sinceritatis affigas et mente consurgas ad nostra et ecclesie predicte beneplacita prosequenda, ut eadem ecclesia te sibi gratum filium recongnoscens tue prosperitatis augmenta veluti mater in filium exuberans merito prosequatur. Ex hiis igitur concepta fiducia ut que de te infra nostra precordia resonant aliis etiam explicentur, principes Alamanie per alias nostras litteras caritativis monitis excitamus, ut ad te mente ac animo consurgentes sincera se tibi devotione conforment et ad ea que tuorum culminum incrementa respiciant sic prudenter vigilent sicque tibi faveant et se ad horum prosecutionem preparent et accingant quod ad requisitionem tuam inveniantur accinti nosque ipsorum studia possimus exinde merito commendare. Dat. ut supra pro Christo. »

771 Saint-Pierre, 3 juin 1279

Archiepiscopum Treverensem hortatur quatinus ad honorem Dei, devotionem Romane ecclesie ac honoris regis augmentum sincera se regi Romanorum affectione conformet. (Fol. 73; an II, n° 38.)

« *Nicolaus etc. archiepiscopo Treverensi.* Promptitudinem et fervorem devotionis eximie, quam carissimus in Christo filius noster R. rex Romanorum illustris ad nos et Romanam gerit ecclesiam, per grandia celsitudinis tue merita evidenter experti sic paternis desideriis affectamus ut regie magnitudinis status felicius exaltatur et sua culmina maneant semper obtata felicitate fecunda sicque perficere ministerio sollicitudinis apostolice que sibi sint grata proponimus quod in nobis velud specialis alumpnus paternum recongnoscens affectum ad quelibet ipsius ecclesie beneplacita mentem affluenti desiderio dirigat et ad prosecutionem eorum oportunis temporibus fortius animetur. Ad hec quidem ejusdem regis nos inducunt etc. ut supra proxime verbis competenter mutatis usque concepta fiducia proponimus prout decuerit et nobis fuerit ex alto permissum annuere favorabiliter votis suis. Te itaque felicium ejusdem regis successuum non expertem caritativis monitis excitamus quatenus ad eundem regem mente consurgens ad honorem Dei, devotionem Romane ecclesie ac sui honoris augmentum sincera te sibi affectione conformes et ad ea que suorum culminum incrementa respiciant sic prudenter vigiles sicque illi faveas et te ad horum prosecutionem accingas quod ad requisitionem tuam inveniaris accintus nosque possimus exinde tue promptitudinis studium merito commendare. Dat. ut supra. »

In e. m. archiepiscopo Coloniensi.
In e. m. archiepiscopo Maguntino.
In e. m. dilecto filio nobili viro Johanni duci Saxonie.

In e. m. dilecto filio nobili viro Alberto duci Saxonie.

In e. m. dilecto filio nobili viro Ludowico comiti palatino Reni, duci Bawarie.

In e. m. dilecto filio nobili viro Herrico comiti palatino Reni, duci Bawarie.

In e. m. dilecto filio nobili viro Johanni marchioni Brandeburgensi.

In e. m. dilecto filio nobili viro Octoni marchioni Brandeburgensi.

772 Saint-Pierre, 3 juin 1279

Episcopo Tripolitano, ad partes Alamannie pro arduis negotiis destinato, concedit ut religiosos vel seculares fideles, de quibus expedire viderit, assumere possit interpretes. (Fol. 73 v°; an II, n° 39.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri.. episcopo Tripolitano.* Cum te ad partes Alamannie pro magnis et arduis negotiis destinemus, quia diversos tractatus negotia ipsa requirunt et tu idyomata partium earumdem ignores, nos dispendiis que ex hoc possent emergere obviare volentes presentium tibi auctoritate concedimus ut in eisdem negotiis, cum expedit, aliquem vel aliquos religiosos vel seculares fideles de quibus expedire videris assumere possis interpretes, quos jurare facias quod tibi et illis cum quibus hujusmodi tractatus habueris fideliter referant et exponant que hinc et inde in eisdem tractatibus narrabuntur et quod illa que secreto tenenda fuerint per eosdem juratos aliis nullatenus detegantur, eosdem religiosos et seculares cujuscunque conditionis vel status existant ad hoc si necesse fuerint per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si eis vel eorum aliquibus aut ordinibus eorumdem — Dat. ut supra pro Christo. »

773 Saint-Pierre, 3 juin 1279

Infrascriptis mandat quatinus episcopum Tripolitanum benigne recipiant et honeste tractent. (Fol. 73 v°; an II, n° 40.)

« *Nicolaus etc. Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus ac ecclesiasticis personis religiosis et aliis ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus exemptis et non exemptis Cisterciensis, Cluniacensis, Catursiensis, Premostratensis, Sancti Benedicti et Sancti Augustini et aliorum ordinum necnon magistris et preceptoribus militie Templi et hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et beate Marie Theothonicorum ad quos littere iste pervenerint. Salutem etc.* Cum venerabilem fratrem nostrum P. Tripolitanum episcopum pro magnis et arduis ecclesie Romane negotiis destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eundem episcopum immo potius nos in ipso cum per partes vestras transitum fecerit ob reverentiam apostolice sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes eundem sibi pro suis et familie sue necessariis in decem libris Turonensium et securo conductu necnon in evectionibus oportunis, si sue in via decesserint vel defecerint, cum super hiis per ipsum vel ejus nuntium fueritis requisiti in eundo, morando et redeundo liberaliter providere curetis. Et si eundem episcopum in aliquibus locis vel loco interdum moram trahere contigerit, volumus quod non solum earumdem eisque vicinarum vel adiacentium partium sed aliarum etc., sicut idem episcopus pro huiusmodi oneribus dividendis et facilius supportandis expedire viderit, remotarum patriarche, archiepiscopi, episcopi, electi, abbates, priores, decani, prepositi, archidiaconi, archipresbiteri, plebani et alii ecclesiarum prelati eorumque vices gerentes ac persone ecclesiastice religiose et seculares ecclesiarum et monasteriorum capitula et conventus exempti et non exempti Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premostratensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini et aliorum ordinum nec non magistri et preceptores militie Templi, hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Sancte Marie Theotonicorum et quorumcunque aliorum locorum ecclesiasticorum contribuere in subventionibus hujusmodi teneantur. Sic itaque mandatum nostrum efficaciter adimplere curetis quod possitis exinde merito commendari. Alioquin sententiam etc. usque observarii. Non obstantibus si aliquibus — Dat. ut supra. »

774 Saint-Pierre, 7 juin 1279

P. Tripolitano episcopo, ad regem Romanorum destinato, modum ab ipso in tractatibus servandum describit, ut idem rex et C. rex Sicilie vinculo indissolubilis

amicitie jungantur, et tractatum olim matrimonium inter filiam regis Romanorum et primogenitum filii regis Sicilie consumatur (Fol. 74; an II, n° 41; POTTHAST 21597; M. G. H. *l. c.* n° 238.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri P. Tripolitano episcopo etc.* Ut in commissis tibi per nos — Dat. Rome apud Sanctum Petrum VII idus junii pontificatus nostri anno secundi. »

775 Saint-Pierre, 7 juin 1279

Eidem episcopo tradit articulos pro unitate inter R. Romanorum et C. Sicilie reges solidanda, cum multa deliberatione discussos. (Fol. 75; an II, n° 42; POTTHAST 21596, M. G. H. *l. c.* n° 237.)

« *Nicolaus etc. episcopo Tripolitano.* Isti sunt articuli pro unitate inter carissimos in Christo filios nostros R. Romanorum et C. Sicilie reges illustres dante Domino solidanda per nos et fratres nostros cum multa deliberatione discussi. Supra etc. — Dat. Rome apud Sanctum Petrum VII idus junii pontificatus nostri anno secundo. »

776 Soriano, 19 août 1279

Rectori Marchie Anconitane diversos abusus et gravamina, que in cedula his litteris interclusa continentur, significat et ei mandat quatinus corrigantur. (Fol. 78; an II, n° 43.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio.. rectori Marchie Anconitane. Salutem et apostolicam benedictionem.* Cum inter cetera que cordi nostro votiva existunt illud desiderabilius affectemus ut ministri provinciarum, qui a sede apostolica deputantur, sic in provinciis sibi commissis justitie vacent operibus et a gravaminibus indebitis abstineant subditorum ut exinde magis ac magis Deo et dicte sedi reddantur accepti et ab hominibus quibus presunt clarioris fame titulo et virtutis precóniis extollantur movemur nec immerito cum de hujusmodi ministris vel eorum aliquibus sinistra nostris auribus referuntur, intendentes ad eorum correctionem salubribus providere remediis et iniquis processibus exquisitis studiis obviare. Cum ergo nonnulla que cedula continet interclusa nostris auribus sint relata, que quidem provocant merito mentem nostram, volumus et premissorum tibi tenore mandamus quatenus in executione illorum que continet cedula supradicta sic te vigilem exhibeas et intentum quod merito comproberis virtutum delectari amplexibus et vitii inquinamenta totis studiis devitare. Dat. Suriano XIIII kalendas septembris pontificatus nostri anno secundo. »

(*En marge*: hec cedula fuit predictis litteris interclusa.)

« Quanquam de conversatione tua et regimine immediate per tuam exercendo personam prohibeatur laudabile testimonium a nonnullis eatenus tamen non mediocriter detrahi testimonio ipsi dinoscitur quatenus in correctione tuorum fàmiliarium qui graviter suis actibus maculant famam tuam remissus et negligens diceris repperiri. Intelleximus siquidem a pluribus quod marescalcus et vicarius in spiritualibus officiales tui sic videntur quodammodo tuo insidiari honori et propriis questibus inhiare ac extorsiones illicitas et alia prava opera in commissis sibi officiis exercere ut pecunia mediante sepe sepius innocentes injuste puniant et opprimentes secundum quod qualitas delicti exigit non judicent vel interdum impune permittant abire. Quare ipsos et alios qui similia attemptarent sic acriter per te corrigi et puniri precipimus ut de preteritis tam Deo quam camere nostre in hiis que ad ipsam pertinent quam aliis quibus de jure foret restitutis facienda satisfactio digna proveniat et in futurum penitus tollatur materia similia presumendi. Sic itaque diligenter et viriliter te habeas in premissis quod aliorum peccata non retorqueas in te ipsum et processus tuus hedificet subditos et letificet mentem nostram. »

777 Soriano, 19 août 1279

Rectori ducatus Spoletani diversa damna corrigenda, que in cedula his litteris interclusa continentur, significat. (Fol. 78 v°; an II, n° 44.)

« *Nicolaus etc. Rectori ducatus Spoletani.* Cum inter cetera que cordi nostro etc. ut in superiori missa rectori marchie Anchonitane usque in finem per ordinem.

(*En marge* : Hec cedula fuit interclusa litteris directis rectori ducatus Spoletani.)

Accepimus ex relatibus aliquorum quod aliqui

ex tuis familiaribus potissime Gregorius frater tuus velud dissipator justitie ac emulus honoris tui et nostrorum jurium defraudator inter curiam et illos qui curie sunt obnoxii vel tenentur ex quacunque causa de juribus curie respondere personam mediatoris assumit et pro parvo quod sibi impenditur de multo dampno curie parum curat. Et si contingat communitates aliquas pro offensis curie condempnari vel ad generale exercitum convocari ipse mediante pecunia questum proprium prosequendo in favorem illarum procurat agi mitius cum eisdem. Quare talia omnino detestabilia reputantes ipsum et alios qui similia attemptarent sic acriter per te corrigi et puniri precipimus etc. ut in precedenti cedula usque infra. »

778 Soriano, 11 juillet 1279

Bertoldo de filiis Ursi, totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis etc. rectori mandat quatinus Johannem dictum Porcarium et Nicolaum dictum Malaspinam de Urbe judices in prosecutione regiminis civitatis Bononiensis ad officia judicatus admittat, eorum cuilibet quemdam proventum pro ipsorum salario provisurus. (Fol. 79, an II, n° 45.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio nobili Bertoldo de filiis Ursi civi Romano totius provincie Romaniole, comitatus Brettonorii, civitatis Bononiensis et pertinentiarum earumdem rectori. Salutem etc.* Volumus et per apostolica tibi scripta mandamus quatenus dilectum filium Johannem dictum Porcarium et Nicolaum dictum Malaspinam de Urbe judices in prosecutione regiminis civitatis Bononiensis ad officia judicatus admittas, eorum cuilibet in CC. et L. libris proventum pro ipsorum salario presentis anni, preter communes et familiares expensas eorundem et familiarium suorum, de ordinato tibi salario a communi civitatis ejusdem, liberaliter provisurus. Sic itaque in agendis ipsorum quos fideles credimus et discretos consiliis acquiescas, sicque alios quorum conversatio suspitionem posset inducere prudenter evites, quod civitas ipsa tot civilibus discordiis laniata et tot incolarum ejus suspitionibus et rancoribus stimulata sub tui presidentis discreto regimine tute quiescat, tuque possis exinde merito commendari. Dat. Suriano. v idibus julii pontificatus nostri anno secundo. »

779 Soriano, 14 juillet 1279

Leonem, Ostiensem et Velletrensem episcopum, apostolice sedis legatum, quem ad partes Tuscie transferre vellet, hortatur ut ipse prudenter inspiciat que incumbunt, festinet ad reditum et advertat attentius an expediat quod aliis novis intricationibus involvatur. (Fol. 79, an II, n° 46.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri Leoni Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato. Salutem etc.* Per ea que nobis hactenus scripseras collegisse meminimus quod ad nos redire plurimum affectabas. Nuperrime quoque misse nobis tue littere innuebant quod tibi a pluribus suadetur legationis tue synodum congregare. Nos autem hec et statum Bononiensem attendentes, cum nondum plene sint ea que pro statu ipso pacifico dante Domino conservando per nos ordinata fuerint perfectione qua convenit sollidata, quibus juxta nostra desideria expeditis te ad partes Tuscie transferre vellemus pro pace Florentie specialiter reformanda, in qua quidem pace precordia nostra quiescerent, et diutina hesitatione collisa corda incolarum illarum partium respirarent, perquirimus quod tu ipse prudenter inspicias que incumbunt et cum adhuc in necessariis exequendis grandia tibi restent, tuque festines ad reditum, advertas attentius an expediat quod aliis novis intricationibus involvaris. Si vero ad ipsam synodum congregandam te stimulus conscientie finaliter coartaret, id relinquimus in tua sana conscientia discernendum, quod per nos nec consulimus nec dissuademus si ad hoc conscientia te compellat. Dat. Suriano ii idus julii pontificatus nostri anno secundo. »

780 Soriano, 29 août 1279

Archiepiscopo Maguntino mandat quatinus pape beneplacitis se conformans tenorem litterarum ipsi per Giffridum de Anagnia, capellanum pape, jam diu presentatarum prompte adimpleat. (Fol. 79 v°; an II, n° 47.)

« *Nicolaus etc. archiepiscopo Maguntino.* Cedere tuis sensibus in suavitatis et delectationis debet augmentum apostolica mandata semper devote suscipere ac illa prosequi reverenter, cum ad hoc ex debito tenearis nec deceret immo inconveniens haberetur si secus interdum contingeret inveniri

maxime cum de nostris et ecclesie Romane negotiis ageretur. Miramur igitur nec indigne animi concitatione movemur quod cum dilectus filius Giffridus de Anagnia decanus ecclesie Sancti Audomari Morinensis diocesis capellanus noster tibi ex parte nostra super hujusmodi negotiis sub certa forma litteras apostolicas presentasset, te certis hesitationibus dubitante, quas nuper nobis per dilectum filium Conradum cantorem ecclesie Aschasnburgensis Maguntine diocesis tuum nuntium intimasti obtatus effectus ex eisdem apostolicis litteris non advenit, quod eo gravius in te nec mirum attendimus quo pontificali predictus dignitate maiori teneris affectione precurrere ac tui exemplo alios excitare ad nostrorum observantiam mandatorum. Quare fraternitatem tuam monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus nostris et ipsius ecclesie beneplacitis te conformans, tenorem litterarum ipsarum tibi per capellanum presentatarum eundem sic prompte ac provide adimpleas et observes quod nullum in te locum reprehensionis morsus inveniat, sed providam promptitudinem quam ad nos et eundem geris ecclesiam in hoc specialiter representes, nec occasione tui dispositio sedis apostolice quomodolibet differatur. Dat. Suriano quarto kal. septembris pontificatus nostri anno secundo. »

781 Soriano, 29 août 1279

Archiepiscopo Treverensi, quem pape etiam in minori officio constituto specialis affectus adjunxit, mandat quatinus eadem adimpleat. (Fol. 79 v°; an II, n° 48.)

« *Nicolaus etc. archiepiscopo Treverensi.* Cedere tuis sensibus etc. ut supra proximo usque per dilectum filium magistrum Volucrem canonicum ecclesie Sancti Paulini Treverensis tuum nuntium intimasti etc. usque mandatorum, maxime cum te nobis etiam in minori officio constitutis specialis affectus adiunxerit, qui successive dignius excrescere meruit apostolice preminentia dignitatis, ut quod representasti nobis in floribus dulcius in fructibus legeremus. Quare fraternitatem tuam etc. sicut in precedenti usque in finem. »

782 Viterbe, sans date

Giffrido de Anagnia, capellane suo significat se duos clericos, ab archiepiscopis Maguntino et Treverensi destinatos, nuper recepisse, quos cum litteris suis ad archiepiscopos remisit; eum hortatur ut sollicite procuret quod ea, que de mandato pape prosequitur, effectu prospero per eosdem archiepiscopos compleantur. (Fol. 80; an II, n° 49.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio Giffrido de Anagnia decano ecclesie de Sancto Audomaro Morinensis diocesis capellano nostro. Salutem etc.* Receptarum nuper ex parte tua litterarum perlectione collegimus quod a venerabilibus fratribus nostris.. Maguntino et.. Treverensi archiepiscopis, non completis hiis pro quibus ad eos juxta beneplacitum nostrum accesseras, quasi non rediturus ulterius recessisti. Ad quod scire te volumus quod diebus istis preteritis ad nos duos eorum clericos iidem archiepiscopi destinarunt, nobis certas causas quare id contigerat nuntiantes, quos quidem clericos e vestigio cum litteris nostris ad archiepiscopos ipsos remisimus, per quos sicut dicti clerici coram nobis certitudinaliter asserebant premissorum consumationem provenire speramus. Studeas itaque per te ipsum vel per nuntios aut alios sicut expediet sollicite procurare quod ea que de mandato nostro prosequeris effectu prospero per eosdem archiepiscopos compleantur. Dat. Viterbii. »

783 Viterbe, 10 octobre 1279

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato, cujus zelum et successus in negotiis Bononiensibus et circa pacem Tuscie partium et specialiter Florentinam laudat, Autissiodorenses et Lingonenses prebendas apud sedem apostolicam ad presens vacantes concedit, quibus expedire viderit conferendas. (Fol. 80; an II, n° 50.)

« *Nicolaus etc. L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato. Salutem etc.* Labores multiplices et incomoda preter solicitudines alias, que in commissa tibi legatione te pertulisse congnoscimus et ferre sentimus, frequenter in mente nostra revolvimus et super hiis tibi ac nobis ipsis qui grata nobis tua caremus presentia digne compatimur, et desiderabiliter a Domino salutare consilium expectamus. Verumtamen in eo potissime divinam gratiam tibi potes propitiam congnoscere ac remedia multe consolationis habere, nec immerito nos etiam in mente quiescimus quod summi patris nobis et tuis actibus assistente clementia, commissa tibi et

specialiter Bononiensia negotia in tuis manibus prosperantur et majora prosperitatis augmenta in hiis et aliis experta providentie tue studia repromittunt. Firmans itaque sicut vir prudens et providus in bonorum omnium directione firmamenta solida spei tue ac ejus fultus auxilio predicta prosequendo negotia exercitia tue circumspectionis exercens circa pacem Tuscie partium et specialiter Florentinam sic ferventer intendas quod nostris et tuis desideriis obtatus dante Domino subsequitur effectus, et exinde in tuis et commissorum tibi successibus prosperis et tandem in te presentialiter quiescamus. Ceterum quia te aliquos habere credimus, quibus ratione meritorum vel obsequiorum aut alias etiam tenearis et forsitan providendi eis juxta conceptus tuos tibi non suppetunt facultates, nos onera tua quantum cum Deo possumus alleviare volentes, Autisiodorenses et Lingonenses prebendas apud sedem apostolicam vacantes ad presens tibi per litteras nostras concedimus quibus expedire videris conferendas prout in eisdem licteris quas tibi transmictimus plenius continetur. Dat. Viterbii vi idus octobris pontificatus nostri anno secundo. »

784 Viterbe, 9 octobre 1279

Eidem episcopo predictos canonicatus et prebendas, in Autisiodorensi et Lingonensi ecclesiis per promotionem Petri Matisconensis episcopi apud sedem apostolicam vacantes, aliquibus personis idoneis conferendi plenam et liberam concedit potestatem. (Fol. 80; an II, nº 51.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato, Salutem, etc.* Vacantibus nuper apud sedem apostolicam in Autisiodorensi et Lingonensi ecclesiis per promotionem venerabilis fratris nostri Petri Matisconesis episcopi canonicatibus et prebendis, quos idem episcopus promotionis sue tempore in eisdem ecclesiis obtinebat, nos canonicatus et prebendas eosdem, quos nullus preter nos conferre potest constitutione felicis recordationis C. pape predecessoris nostri super personatibus, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis apud sedem ipsam vacantibus, per Romanum dumtaxat pontificem conferendis edita obsistente, infra tempus statutum per moderationem pie memorie G. pape decimi predecessoris nostri super hoc adhibitam in concilio Lugdunensi donationi apostolice duximus reservandos, decernentes ex tunc irritum et inane si secus a quoquam contingeret attemptari. Intendentes itaque tuam honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis gratiam impertiri ut affectum quem erga te gerimus etiam aliis qui tibi studio devotionis adherent sibi sentiant per effectum ac sperantes quod de canonicatibus et prebendis eisdem per te salubriter et provide disponatur, fraternitati tue de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, conferendi auctoritate nostra canonicatus et prebendas predictos aliquibus personis idoneis de quibus expedire videris ac faciendi personas easdem per te vel per alium seu alios singulas videlicet in singulis ecclesiis supradictis ad easdem prebendas in canonicos recipi et in fratres et pacifica predictorum canonicatuum et prebendarum possessione gaudere, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem contra quoque et cetera usque compescendi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Non obstantibus constitutione, reservatione ac decreto predictis et de certo canonicorum numero seu quibuslibet aliis ecclesiarum earumdem statutis et constitutionibus contrariis, juramento, confirmatione apostolica vel quacunque alia firmitate vallatis aut si aliqui sunt in ecclesiis ipsis apostolica vel alia quavis auctoritate recepti, vel ut recipiantur insistant quibus in assecutione predictorum canonicatuum et prebendarum personas easdem volumus anteferri, sed quo ad alios canonicatus et prebendas nullum per hoc prejudicium generari, sive si aliquibus comuniter vel divisim a sede sit indultum eadem quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id conpelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de prebendis ecclesiarum earumdem vel beneficiis ad eorum collationem spectantibus cuiquam nequeat provideri per licteras apostolicas non fatientes etc. usque mentionem et qualibet alia indulgentia dicte sedis etc. usque specialis seu si persone eedem vel earum aliqua presentes non fuerint ad prestandum de observandis constitutionibus et statutis ecclesiarum earumdem vel alicujus earum solitum juramentum, ad quod prestandum personas ipsas volumus non teneri, dum modo per procuratores idoneos illud prestent, seu si persone predicte vel ipsarum altera benefitiate alias forsan existant. Ceterum quia sicut accepimus predicta prebenda

ipsius ecclesie Lingonensis sacerdotalis extitit, volumus quod illa ex eisdem personis cui de prebenda ipsa duxeris providendum, si presbiter non fuerit vel noluerit in presbiterum successive se facere promoveri, prebendam retineat eamdem donec eam alius per illum vel illos ad quos prefate prebende dispositio pertinet assequatur, nichil erga personam predictam in jure canonicatus aliquatenus immutato. Et nichilominus aliam prebendam non sacerdotalem nulli alii de jure debitam in memorata ecclesia Lingonensi proximo vacaturam conferendam dicte persone auctoritate apostolica reservare ac ei de illa cum vacaverit providere procures, ita tamen quod interim predicta persona ratione ipsius sacerdotalis prebende ad onera sacerdotalia compelli non possit, sed postquam predictam prebendam per te reservandam pacifice obtinuerit prefatam sacerdotalem si eam usque tunc retinuerit dimictere teneatur. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane si super premissis vel aliquo premissorum secus a quoquam extiterit atteptatum. Dat. Viterbii VII idus octobris pontificatus nostri anno secundo. »

hec cedula
it priori lic-
re interclu-
que incipit
abores et..[1].

« Quia decanatus Carnotensis per promotionem venerabilis fratris nostri Altissiodorensis episcopi quondam decani Carnotensis vacat in curia, et cordi nobis est de tali persona ipsi decanatui providere cujus conditio tante dignitati respondeat et que in ordine sacerdotii prout ipsius decanatus onus exigit personaliter resideat in eodem volumus quod secreto perquiras a magistro Guilielmo Durantis si decanatum ipsum cum predictis oneribus sacerdotii et continue residentie dimictendo insuper omnia alia beneficia que nunc habet voluerit acceptare. Et si ipsum decanatum predictum acceptare contingeret perquiras ab eo de omnibus beneficiis que nunc obtinet et tam de voluntate sua quam de ipsis beneficiis scribas nobis per tuas licteras veritatem.

Dicitur ab aliquibus quod decanatus cum prebenda valet circa mille libras Turonenses residenti. »

785 V terbe, 30 septembre 1279

C. regem Sicilie hortatur quatinus nobili viro Anselmo domino castri Campelli ac hominibus Rocce Guillelmi Gaietani et Aquinatis diocesum efficaciter ostendat sibi displicere injurias et molestias, de quibus conquestus est Leonardus de Babuco subdiaconus et pape capellanus, ut sine mora corrigantur. (Fol. 82, an II, n° 52.)

« *Nicolaus, etc. C. regi Sicilie illustri.* Firmam gerimus de tua sinceritate fiduciam quod preces nostras presertim quas pro familiaribus nostris tibi dirigimus benigno affectu suscipias et effectu benivolo studeas adimplere. Sane dilectus filius Leonardus de Babuco subdiaconus et capellanus noster, prepositus ecclesie Sancti Petri de Foresta, nobis graviter est conquestus quod nobilis vir Anselmus dominus castri Campelli ac homines Rocce Guillelmi, Gaietani et Aquinatis diocesum ad bona ipsius ecclesie, de qua olim apud sedem apostolicam vacante dicto capellano duximus providendum, manus avidas extendentes eundem capellanum quo minus quasdam terras, possessiones, pascua, silvas et res alias ad ecclesiam ipsam spectantia, pacifice possidere valeat presumentes, contra justitiam impediunt ipsumque super illis multipliciter impetunt et molestant, fructus et proventus ex ipsis provenientes pro quibus occupandis idem nobilis armata manu accedere non expavit temere auferendo illosque in usus proprios pro sue voluntatis libito convertendo in ipsis capellani et ecclesie predicte grave prejudicium et jacturam. Et licet venerabiles fratres nostri.. Aquinas et.. Gaietanus episcopi executores super hujusmodi provisione memorato capellano per nostras sub certa forma litteras deputati in nobilem et homines supradictos propter hoc earumdem litterarum auctoritate excommunicationis sententiam promulgarint, iidem tamen nobilis et homines sententiam ipsam dampnabiliter contemnentes, ab hujusmodi capellani ejusdem impedimento ac molestatione nullatenus destiterunt. Quare memoratus capellanus nobis humiliter supplicavit ut providere sibi et eidem ecclesie super hoc de opportuno remedio curaremus. Regalem itaque celsitudinem rogamus et hortamur attente quatinus pro nostra et apostolice sedis reverentia sic eisdem nobili et hominibus ve rbis et factis prout opportunum fuerit, efficaciter ostendas tibi displicere que superius enarrantur et que tam injuriose nostris familiaribus irrogantur, ut ipsi absque more dispendio et de illatis satisfaciant et tam ipsi quam alii eorum exemplo perterriti a similibus abstineant in futurum, nosque serenitatem tuam possimus exinde dignis in Domino laudibus commendare nec nos oporteat super hoc

1. Cette cédule était jointe à la première lettre (n° 782).

aliud remedium adhibere. Et ut scire possimus qualis fructus ex presentibus eidem capellano provenerit, quid fieri contigerit in premissis nobis per litteras tuas harum seriem continentes studeas intimare. Dat. Viterbii II kalendas octobris pontificatus nostri anno secundo. »

786 Viterbe, 26 octobre 1279

Petro episcopo Matisconensi concedit facultatem in Matisconensi ecclesia duas personas ydoneas in canonicos et in fratres auctoritate apostolica faciendi recipi. (Fol. 82; an II, nº 53.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri Petro episcopo Matisconensi.* Tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis gratiam impertiri fraternitati tue faciendi recipi auctoritate nostra in Matisconensi ecclesia, in qua sicut asseritur non est certus canonicorum numerus institutus nec distinctio prebendarum, duas personas ydoneas quibus canonicum aliquod non obsistat in canonicos et in fratres ac eis et ipsarum cuilibet de obventionibus, fructibus, redditibus et proventibus ipsius ecclesie sicut aliis ejusdem ecclesie canonicis integre responderi. Contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi. Non obstantibus dicte ecclesie contrariis consuetudinibus vel statutis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque alia firmitate vallatis seu si pro aliis apostolica scripta in predicta ecclesia sint directa quibus nullum per hoc volumus preiudicium generari aut si dilectis filiis.. decano et capitulo ecclesie prefate a sede apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint et quod de canonicatibus ecclesie memorate nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem et qualibet alia indulgentia dicte sedis generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua cujusque toto tenore in nostris litteris sit habenda mentio specialis, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem, presentibus post unum annum minime valituris. Dat. Viterbii VII kalendas novembris. »

787 Saint-Pierre, 26 octobre 1279

Magistro Guillelmo Durandi capellano suo decano Carnotensi decanatum, canonicatum et prebendam ecclesie Carnotensis, quos Guilielmus episcopus Autisiodorensis promotionis sue tempore obtinebat auctoritate apostolica confert, volens quod in decanatu personaliter resideat ac in presbiterum se faciat statutis temporibus promoveri. (Fol. 83; an II, nº 54.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio magistro Guilielmo Durandi capellano nostro decano Carnotensi salutem etc.* In quibuslibet dispensationibus gratiarum et spetialiter in beneficiorum ecclesiasticorum provisionibus illa potissime consideratio nos excitat ut illos gratiosis prosequamur favoribus et hujusmodi benefitiis attollamus, qui honestate morum, litterarum scientia et conversatione vite laudabilis se perceptione gratie reddunt dignos. Hoc itaque in te benignius attendentes ac intendentes tibi tuis exhigentibus meritis gratiam facere specialem, decanatum, canonicatum et prebendam ecclesie Carnotensis quos venerabilis frater noster Guilielmus episcopus Autisiodorensis in ipsa ecclesia promotionis sue tempore obtinebat per promotionem hujusmodi apud sedem apostolicam vacantes ad presens, cum nullus preter nos — cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, providemus de illis et dilectum filium magistrum Benedictum de Anagnia notarium nostrum investivimus per nostrum anulum tuo nomine de eisdem non obstantibus de certo canonicorum numero — sive quod ecclesiam Sancte Marie de Olivariis Narbonensis diocesis et in Narbonensi ac Belvacensi ecclesiis canonicatus et prebendas dinosceris obtinere. Volumus autem quod postquam decanatum et canonicatum predictos fueris pacifice assecutus, predictam ecclesiam Sancte Marie cujus collatio vel dispositio ad illum vel illos ad quem vel quos alias pertinet extunc libere devolvatur et eosdem canonicatum et prebendam ipsius Belvacensis ecclesie, quos ex tunc ipso facto vacare decernimus et collationi nostre ex nunc auctoritate apostolica reservamus omnino dimittas et prout ipsius decanatus cura requirit aut alias de consuetudine vel de iure debetur, personaliter in decanatu resideas supradicto ac nichilominus ex nunc sucessive in presbiterum te facias statutis temporibus promoveri. Quod si ut dictum est promoveri te facere forsan obmiseris, cadas ab

omni jure quod esset ex provisione hujusmodi acquisitum. Si vero dicta prebenda ipsius Carnotensis ecclesie peteretur vel possideretur ab aliquo et tu forte volens vitare litigium velles aliam expectare prebendam nulli alii de iure debitam proximo in dicta Carnotensi ecclesia vacaturam tibi liceat acceptare. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane — Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum vii kalendas novembris pontificatus nostri anno secundo. »

788 Saint-Pierre, 26 octobre 1279

Petro de Pofis archidiacono Cusentino et Archioni de Urbe canonico Leodiensi mandat quatinus per se vel per alium eundem capellanum vel ejus procuratorem in corporalem possessionem predictorum decanatus, canonicatus et prebende inducant, et in decanum Carnotensis ecclesie prout est moris admitti faciant. (Fol. 84; an II, n° 55.)

« *Nicolaus etc. Dilectis filiis Petro de Pofis archidiacono Cusentino et Archioni de Urbe canonico Leodiensi. Salutem etc.* In quibuslibet dispensationibus — Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos alter vestrum per vos vel per alium seu alios eundem capellanum vel ejus procuratorem suo nomine in corporalem possessionem decanatus, canonicatus, prebende iurium et pertinentiarum predictorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum facientes eum in dicta Carnotensi ecclesia in canonicum et in fratrem recipi et in decanum prefate Carnotensis ecclesie prout est moris admicti. Quod si dicta prebenda ipsius Carnotensis ecclesie peteretur vel possideretur ab aliquo et dictus capellanus volens forte ut predicitur vitare litigium vellet aliam expectare prebendam — prefato capellano vel dicto procuratori pro eo conferre ac assignare curetis, facientes ipsum pacifica illius possessione gaudere ac ei vel dicto procuratori pro eo de fructibus, redditibus et proventibus eorundem decanatus, canonicatus et prebende integre responderi. Contradictores — Dat. Rome apud Sanctum Petrum vii kalendas novembris pontificatus nostri anno secundo. »

789 Saint-Pierre, 6 novembre 1279

Magistro Guilielmo Durandi, decano Carnotensi, subdiacono et capellano suo indulget ut a quocunque maluerit episcopo superiores ordines statutis temporibus suscipere valeat. (Fol. 84 v°, an II, n° 56.)

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio magistro Guilielmo Durandi decano Carnotensi subdiacono et capellano nostro. Salutem et apostolicam benedictionem.* Tue devotionis promeretur honestas ut personam tuam spetialibus gratiis honoremus. Tuis itaque supplicationibus inclinati ut constitutione qualibet et quod fuisti per Romanum pontificem in subdiaconum ordinatus nequaquam obstantibus a quocunque malueris episcopo, gratiam et communionem apostolice sedis habente superiores ordines statutis temporibus suscipere valeas auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Dat. Rome aupud Sanctum Petrum VIII idus novembris pontificatus nostri anno secundo »

790 Saint-Pierre, 12 novembre 1279

Archiepiscopo Turonensi mandat quatinus de decanatu, canonicatu et prebenda ecclesie Turonensis, per mortem decani Egidii de bona valle apud sedem apostolicam vacantibus, persone idonee auctoritate apostolica providedere procuret (Fol. 84 v°; an II, n° 57.)

« *Nicolaus etc. archiepiscopo Turonensi.* Licet decanatus, canonicatus et prebenda, quos quondam Egidius de bona valle decanus Turonensis, qui nuper apud sedem apostolicam diem clausit extremum, in Turonensi ecclesia obtinebat, per ejus obitum apud sedem ipsam vacare noscantur ad presens, sicque nullus preter nos — sperantes tamen quod de decanatu curam animarum habente ac canonicatu et prebenda predictis per te salubriter et provide disponatur et in hac parte non minus eidem provideatur ecclesie quam persone cui decanatum canonicatum et prebendam prefatos duxeris conferendos, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus de memoratis decanatu, canonicatu et prebenda, persone quam ad id ydoneam esse credideris scientia, vita, moribus et etate et cui nichil obviet de canonicis institutis in sacerdotio constituto vel ad illud successive statutis temporibus promoveri parate aliaque beneficia ec-

clesiastica non habenti vel illa si obtinet resignanti et quod personaliter resideat in ecclesie supradicta super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, constitutione ac reservatione hujusmodi non obstantibus auctoritate nostra providere procures. Volumus autem quod persona hujusmodi per superiores suos ad faciendam in ipsa ecclesia personalem residentiam compellatur et si ipsa presbiter non existeret, nisi postquam tibi fuerint de canonicatu et prebenda provisum eisdem et eos pacifice assecuta se fecerit ut predicitur successive in presbiterum promoveri, cadat ab omni jure quod ex hujusmodi collatione tua in decanatu, canonicatu et prebenda deberetur eisdem. Et ut de omnibus et singulis supradictis pleniorem certitudinem habeamus, modum quem in provisione ipsa servaveris, conditiones et merita persone predicte ac alias circumstantias premissorum singulariter de singulis nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Dat. Rome apud Sanctum Petrum ii idus novembris pontificatus nostri anno secundo. »

FIN DES LETTRES DE LA DEUXIÈME ANNÉE

TROISIÈME ANNÉE

IN NOMINE DOMINI AMEN. ANNO DOMINI MILLESIMO CCLXXX PONTIFICATUS DOMINI NICOLAI PAPE III ANNO TERTIO

791 Saint-Pierre, 18 janvier 1280

Bertoldo de filiis Ursi, civi Romano, totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis etc. rectori, ac ipsius civitatis potestati, consilio et communi et universis de parte Geremiensium Bononiensibus de turbationibus civitatis et de concordia nondum procurata scribit; decernit consilium, commune ac Geremienses super faciendis et adimplendis tam suis quam Latini Ostiensis et Velletrensis episcopi mandatis primo requirere, diligentius experiri de negotii circumstantiis et omnes communiter in obedientia Romane ecclesie retinere. (Fol. 86 v°; an III, n° 1; Potthast 21672.)

« *Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Bertoldo de filiis Ursi civi Romano totius provincie Romaiole* (sic), *civitatis Bononiensis, comitatus Brittenorii et pertinentiarum eorumdem rectori ac ipsius civitatis potestati, consilio et communi et universis de parte Geremiensium Bononiensibus. Salutem et apostolicam benedictionem.* Esset enarrare longissimum — Dat. Rome apud Sanctum Petrum xv kalendas februarii pontificatus nostri anno tertio. »

792 Saint-Pierre, 18 janvier 1280

Idem universis de parte Lambertaciorum Bononiensibus scribit. (Fol. 87 v°; an III, n° 2.)

« In e. m. dilectis filiis universis de parte Lambertaciorum Bononiensibus. »

793 Saint-Pierre, 16 janvier 1280

Bertoldo de filiis Ursi, civi Romano, totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis etc. rectori ac ipsius civitatis potestati mandat quatinus. L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato, ad civitatem eandem personaliter venienti se adjungat et faciat quantum in ipso fuerit quod omnia dante Domino prosperentur; ad eosdem magistrum Giffridum de Anagnia destinare providit. (Fol. 87 v°; an III, n° 3.)

« *Nicolaus etc. dilecto filio nostro Bertuldo de filiis Ursi civi Romano totius provincie Romaniole, civitatis Bononiensis, comitatus Brectenorii et pertinentiarum eorumdem rectori, ac ipsius civitatis potestati. Salutem et apostolicam benedictionem.* Esset sicut nosti — provida deliberatione decrevimus dicta consilium et commune ac partes easdem Bononiensium super faciendis et adimplendis tam nostris quam venerabilis fratris nostri L. etc. — Eidem quoque legato per alias litteras nostras injungimus ut tractatu pacis florentine, quam eum prosequi credimus, ad tempus aliquod decenti modo suspenso, ad civitatem predictam omnino absque dilatione se transferat, et secum illuc judices et notarios ac alios officiales tuos quos ad eum improvide audivimus confugisse reducens et ordinans quod tu civitatis prefate regimen prosequaris oportunis studiis ordinare procuret, quod eadem consilium et commune ac Bononienses partes tam intrinseca quam extrinseca promittant et plene ac ydonee caveant nostris et dicti legati ac tuis et cujuslibet

vestrum, precise parere mandatis. Quocirca devotioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus predicto legato ad partes illas propter hoc personaliter venienti virili spiritu te adjungens studeas et facias quantum in te fuerit quod omnia dante Domino prosperentur, ita quod nos dicti legati et tua studia commendantes exinde congaudere merito valeamus. Et ecce dilectum filium magistrum Giffridum de Anagnia, litterarum nostrarum contradictarum auditorem, latorem presentium ad prefatum legatum et ad te destinandum fore providimus ut multa, que nequivimus inserere litteris, per eum memorato legato et tibi ac vestrum cuilibet seriosius exponantur, nosque in suo reditu de hiis que ab eodem legato et a te audiverit et viderit ac sciverit de premissis et aliis que aguntur, per eundem auditorem claram, plenam et distinctam certitudinem habeamus. Tu vero nichilominus per tuas litteras harum seriem continentes quicquid per eundem legatum et per te ac Bononienses eos dem factum extiterit in predictis nobis studeas seriosius intimare. Datum Rome apud Sanctum Petrum xvii kalendas februarii pontificatus nostri anno tertio. »

794 Saint-Pierre, 16 janvier 1280

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato mandat quatinus, tractatu pacis Florentine ad tempus suspenso, ad civitatem Bononiensem absque dilatione se transferat, et ordinare procuret quod omnes caveant pape et legati et potestatis precise parere mandatis. (Fol. 88 v°; an III, n° 4.)

« *Nicolaus etc. venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato.* Esset sicut nosti — Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus, tractatu pacis florentine quem te prosequi credimus ad tempus aliquod decenti modo suspenso, ad civitatem predictam non absque dilatione te transferas, et tecum illuc judices et notarios ac alios officiales potestatis ejusdem, quos ad te improvide audivimus confugisse, reducens ac ordinans quod dictus potestas civitatis prefate regimen prosequatur, oportunis studiis ordinare procures, quod eadem consilium et commune ac partes Bononiensium tam intrinseca quam extrinseca promittant et plene ac ydonee caveant nostris et tuis dictique potestatis et cujuslibet vestrumprecise parere mandatis. Et ecce dilectum filium magistrum Giffridum de Anagnia etc. verbis competenter mutatis usque seriosius intimare. Dat. Rome apud Sanctum Petrum xvii kalendas februarii pontificatus nostri anno tertio. »

795 sans date

Memoriale magistro Giffrido de Anagnia de negocio Bononiensium commissum, ut predicti legatus et rector omnes in obedientia Romane ecclesie retineant, non declinando ad aliquam partium. (Fol. 88 v°; an III. n° 5.)

« *In nomine Domini amen.* In primis dominum legatum ex parte domini nostri cum benedictione congrua salutabit, deinde exposita sibi amaritudine cordis ejusdem domini super facto Bononiensium dicat eidem quod intentio domini nostri est quod idem legatus, suspenso ad tempus et caute tractatu pacis florentine, personaliter transferat se Bononiam, reducat judices et officiales domini Bertuldi, ordinet quanto decentius et honorabilius potest quod idem dominus Bertuldus prosequatur regimen civitatis, procuret quod Bononienses tam intrinseci quam extrinseci promittant et jurent et caveant modis quibus viderit expedire, ita quod plene sit cautum parere precise mandatis domini nostri legati et domini Bertuldi. Ista vero fiant, non quasi ipsi domini legatus et Bertuldus velint nunc in continenti reformare, corrigere et punire, nam ad illa erit maturius procedendum, sed quasi ad retinendum ipsos in obedientia Romane ecclesie in spe et ad pretendendum an partes obediant vel que obediat et que non. Attendendum tamen est quod si aliqua partium, quod tamen non creditur, nollet forte parere legato et domino Bertoldo, sed vellet parere domino nostro vel eorum alteri, refrenentur ab isto inconsulto motu quantum erit possibile sed finaliter non dimittatur quin recipiatur ab eis quod potest haberi dummodo inspecta qualitate negotii utile videatur Item reassumantur castra Sancti Petri et Franci, et custodiantur si possint haberi. Hec autem omnia blandis verbis et inductivis fiant, non declinando ad aliquam partium. Si vero una pars obediret et altera non, recipiatur pars obediens ut dictum est et omnia sine dilatione scribantur cum adjectione consiliorum suorum. Inducatur dominus Bertoldus quod caute se habeat et quantum erit possibile non reddat alicui partium se suspectum. Cetera relinquuntur industrie.'

796 Saint-Pierre, 26 janvier 1280

L. Ostiensem et Velletrensem episcopum, apostolice sedis legatum, non obstantibus litteris ipsius et aliis que Jordanus ejusdem consanguineus ex parte ipsius pape proposuit, ad executionem eorum que ipsi in negocio Bononiensi injunguntur excitat. (Fol. 89; an III, n° 6.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato.* Casu Bononiensi cum magna cordis amaritudine intellecto, considerata celeri qua indigebat provisione negotii ac status tui, qui legationis officio fungebaris, ibidem pensata decentia de fratrum nostrorum consilio fuit non sine circumspecta deliberatione provisum quod tu, quem ad hoc quasi artabat predicte legationis officium, quem ut credebatur pungebat et merito tantus per te labor impensus in cassum, quique negotia ipsa palpaveras, pro tam necessaria, tam utili causa omni celeritate qua posses Bononiam te transferres, sicut per alias nostras litteras, quas dilectus filius Giffridus de Anagnia auditor contradictarum detulit, tibi recolimus transmisisse. Receptis vero post hec tuis litteris que continebantur in ipsis et relata verbotenus per dilectum filium Jordanum consanguineum tuum diligenter audivimus, et cum confidamus in Domino quod non sit tanta tue persone debilitas, que si forsan quod absit inesset, nobis foret aliter providendum nec adeo status tui vel negotii prepedita conditio, quod vel te deceat a tam utili labore subtrahere vel nos urgeat te ab impositis excusare, licet te multis laboribus audiamus attritum, multis sollicitudinibus fatigatum, licet tuam desideremus habere presentiam, pensantes tamen in dilatione esse periculum et animarum et corporum preter multiplicia dampna rerum grave dispendium imminere, expediens fore providimus non obstantibus aliis que predictus Jordanus nobis ex tua parte proposuit in jam dicta deliberatione persistere, te que ad executionem eorum que tibi per predictas litteras injunguntur presentibus festinis litteris excitare. Tu ergo pensa casum, attende periculum, advertas in occurrendo meritum et in non occurrendo predictis, considera Romane ecclesie non absque tuo diligenter opprobrium, et hujusmodi excusationibus pretermissis, sub Dei et Domini nostri fiducia commissum tibi in hac parte ministerium aggrediaris intrepide festinans, proculdubio festinanda remedia et illis celeri provisione succurrere, quibus ex mora vides tot pericula imminere. Dat. Rome apud Sanctum Petrum vii kalendas februarii pontificatus nostri anno tertio. »

797 Saint-Pierre, 23 janvier 1280

Rodulfo regi Romanorum ea significat que M. S. Marie in Porticu diaconus cardinalis et magister Benedictus de Anagnia, notarius pape, de negocio pacis cum rege Sicilie tractande proposuerunt, et eum hortatur quatinus P. episcopi Tripolitani salutaribus circa premissa suasionibus et consiliis acquiescat. (Fol. 89 v°; an III, n° 7; Potthast 21673, M. G. H. *l. c.* n° 241.)

« *Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio R. regi Romanorum illustri.* Pridem dum eorum — Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas februarii. »

798 Saint-Pierre, 23 janvier 1280

P. episcopum Tripolitanum excitat quatinus premissis, que regi Romanorum scripsit, diligenter inspectis sollicite procuret et faciat quod omnia juxta traditas ipsi formas feliciter compleantur et nichilominus adventum nuntiorum regis Sicilie expectet. (Fol. 90 v°; an III, n° 8.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri P. episcopo Tripolitano.* Pridem etc. verbis competenter mutatis usque concurrant. Ad te igitur conceptam de tua circumspectione fiduciam convertentes ac sperantes quod tuis sollicitis studiis ex hiis Deo placidus, nobis et mundo gratus exitus subsequetur, fraternitatem tuam presentibus excitamus quatinus notis eisdem et premissis que dicto regi Romanorum scribimus diligenter inspectis sollicite procures et facias quod omnia juxta traditas tibi formas feliciter compleantur et ipsis debita soliditate perfectis illa nobis transmittere fideli adhibita cautela procures. Et nichilominus ad perfectam consumationem omnium indefesse prosecutione fe'venter intendens adventum nuntiorum prefati regis Sicilie te non tedeat expectare ut eis ad partes illas venientibus efficatius et perfectius quod intendimus subsequatur. Ita quod nos fructum obtatum de tot laboribus et sollicitudinibus colligamur et tu specialiter cum exultatione quam adhibita studia repromittunt te nobis in tuo reditu representes. Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas februarii. »

799 Saint-Pierre, 25 janvier 1280

C. regem Sicilie, cui note de eodem negocio sub sigillis predictorum cardinalis et notarii mittuntur, hortatur quatinus sic omnia et singula tam in persona sua quam nobilis viri C. principis Salernitani primogeniti sui observet et prompte perficiat quod sollicitudinibus et laboribus pape debitus finis imponatur. (Fol. 91; an III, nº 9. KALTENBRUNNER, nº 208.)

« *Nicolaus etc. Carissimo in Christo filio C. regi Sicilie illustri.* Pridem dum eorum que inter carissimum in Christo filium nostrum R. regem Romanorum illustrem et te per nos tractata sunt hactenus audire finem prosperum plenis desideriis sperabamus, ex parte ipsius regis litteras et tam suos quam aliquos redeuntes ex hiis qui ad dictum regem pro parte tua accesserant nuntios ejusdem regis et tuam in eis contemplando personas affabilitate paterna recepimus et benigne satis audivimus que ipse continebant littere et dicti nuntii in nostra presentia retulerunt. Et licet etc. ut in alia usque super hiis que per eundem regem ac te facienda tractatus ipsi requirunt et specialiter per préfatum regem tam erga ecclesias quam te ac carissimam in Christo filiam nostram Margaretam reginam Francorum illustrem notas cum temperatione moderaminum petitorum ex parte ipsius regis de regis eiusdem et tuorum nuntiorum assensu, licet ad id mandatum iidem nuntii non haberent, fieri seu formari fecisse dicuntur in regia privilegia redigendas, formam et modum prout negotii qualitas exigit quibus sit ad consumationem negotii providendum prout eisdem cardinali et notario ac dicti regis et tuis nuntiis fuit visum expediens explicantes et hujusmodi note cum expressione forma ac modi predictorum sicut audivimus sub sigillis eorundem cardinalis et notarii tibi mittuntur, ut tu premissorum notitiam obtinens ad perfectionem tam utilis tam obtati negotii prout predicti regis et tue quieti ac utriusque bono statui congruit absque dispendio ulterioris more procedas. Serenitatem itaque regiam rogamus et hortamur attente quatinus mentem nostram ac ejusdem regis affectum nec minus effectum ex tanti et talis negotii consumatione Deo propitio secuturum inspiciens sic premissa que ut accepimus quieti tue utilia dinoscuntur precordiis tue serenitatis ascribas, sic omnia et singula tam in persona tua quam dilecti filii nobilis viri C. principis Salernitani primogeniti tui observes et provide ac prompte perficias quod eis felici consumatione completis de sollicitudinibus et laboribus nostris in predictis adhibitis obtata gaudia fine debito sollicitudinibus ipsis imposito colligamus, et dictus rex ac tu et dictus primogenitus regnaque ac terre vestra serenis successibus ad laudem divini nominis juxta nostra desideria concurratis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum VIII kalendas februarii anno tertio. »

800 Saint-Pierre, 23 janvier 1280

Cum Carolo primogenito C. principis Salernitani, primogeniti C. Sicilie regis et Clementia nata R. Romanorum regis, quibusdam impedimentis non obstantibus, dispensat ut matrimonium ad invicem legitime contrahere et in eo licite ac libere permanere possint, dummodo inter ipsos infra kalendas octobris proxime futuri sponsalia contracta sint et firmata . (Fol. 91 vº; an III, nº 10; KALTENBRUNNER, nº 209.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio nobili viro Carolo primogenito dilecti filii nobilis viri C. principis Salernitani primogeniti carissimi in Christo filii nostri C. Sicilie et dilecte in Christe filie nobili mulieri Clementie nate carissimi in Christo filii nostri R. Romanorum regum illustrium.* Ferventissimo desideramus affectu christianos et catholicos principes mutue caritatis in Christo federe convenire ut tranquilla temporum pace fluctuantis vite gubernacula continente redundet in subjectis presidibus justitia secularis regiminis ex qua proveniat subditorum requies salutaris. Inde est quod cum carissimorum in Christo filiorum nostrorum R. Romanorum et C. Sicilie avi tui fili Carole regum illustrium connexione salubri populorum utriusque regnorum tranquilla securitas procuretur gratum auribus nostris provenisse dinoscitur quod inter vos matrimonium contrahatur. Verum licet inter te, filia Clementia, et quondam Andream germanum carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Ungarie avunculum tuum, predicte Carole, tunc viventem sponsalia dudum contracta dicantur, quamvis etiam in moderno Lugdunensi concilio te predictam Clementiam cum in veritate agi de Gotta sorore tua crederetur per errorem nominum dari tibi, predicte Carole, primo et demum eandem Gottam promissum fuerit in uxorem, de vestra tamen et parentum utriusque vestrum assensu processu temporis

tractatus est finaliter habitus ut vos in Christi nomine coniungamini federe nuptiali. Nos itaque predictorum regum supplicationibus inclinati volentes habito respectu ad premissa et alia plura bona que inde Domino annuente provenient paternis studiis providere ut vos impedimentis predictis nequaquam obstantibus etiam si inter te prefata Clementia et predictum Andream ac inter te filium C. et predictam Gottam sponsalia vera fuissent matrimonium adinvicem legitime contrahere et in eo licite ac libere permanere possitis, dummodo inter vos infra kalendas octobris proximo futuri per vos vel per parentes vestros aut ipsorum procuratores sponsalia contracta extiterint et firmata vobiscum auctoritate presentium de apostolice potestatis plenitudine dispensamus. Nulli ergo etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum x kalendas februarii anno tertio. »

801 Rome, 3 février 1280

Matheus S. Marie in Porticu diaconus cardinalis et Benedictus de Anagnia pape notarius P. episcopo Tripolitano ea significant que papa ipsis commisit de tractatibus inter R. Romanorum et C. Sicilie reges terminandis; notas quas fieri fecerunt in regia privilegia redigendas mittunt; terminos indicant, quibus privilegia regum pape presentari et predicta sponsalia contrahi debent. (Fol. 92; an III, n° 11; M. G. H. *l. c.* n° 243.)

« *Venerabili in Christo patri et amico carissimo domino P. Dei gratia episcopo Tripolitano. Matheus miseratione divina Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis et Benedictus de Anagnia domini pape notarius. Salutem et sinceram in domino caritatem.* Placuisset sanctissimo patri et domino nostro domino Nicolao divina providentia pape tertio si consumatio eorum que inter magnificos principes dominum R. Romanorum et dominum C. Sicilie reges illustres sicut nostis tractata sunt hactenus non fuisset ea occasione quam idem dominus noster percepisse dinoscitur retardata, cum talis occasio satis videretur sine alia requisitione sua potuisse subduci, salvo dispensationis articulo super quo debuerat hactenus provideri nec ipsius provisio in tempora ista differri, tamen dictus dominus noster ad tractatus hujusmodi sua studia benigne convertens ac volens providere sollicite ne tot sollicitudinibus et laboribus in premissis adhibitis concursus tractatuum eorundem labores ulterius conculcaret, quia propter emergentia undique negotia que gerenda humeris ejus incumbunt vacare comode presentialiter circa premissa nequibat, commisit nobis ut quid hujusmodi negotium ex eminenti sui qualitate requireret attente circumspectionis studio videremus. Ipsis itaque tractatibus per nos cum multa deliberatione discussis super hiis que per eosdem reges et nobilem virum dominum C. principem Salernitanum primogenitum ipsius domini regis Sicilie facienda tractatus ipsi requirunt et specialiter per dictum dominum regem Romanorum tam erga ecclesias quam erga eundem dominum regem Sicilie et magnificam dominam Margaretam reginam Francorum illustrem notas cum temperatione moderaminum petitorum ex parte ipsius domini regis Romanorum de sui et dicti regis Sicilie nuntiorum assensu, licet ad id mandatum iidem nuntii non haberent, fieri seu formari fecimus in regia privilegia redigendas, ita videlicet quod ex notis ipsis personas ipsius domini regis Sicilie et dicti principis contingentibus non ut in utriusque persona sed in alterius tantum privilegia conficienda finaliter robur obtineant sicut proximo distinguetur quod ea fuit consideratione provisum ut vitatis discursibus obtata ipsius negotii consumatio celerius sequeretur. Et hujusmodi notas sigillatas sigillis nostris vobis mittimus presentibus interclusas ut tam vos quam idem dominus rex Romanorum per vos premissorum notitiam obtinentes hujusmodi privilegia per dictum dominum regem Romanorum conficienda specialiter erga prefatum dominum regem Sicilie diversimode in persona dicti domini regis Sicilie per se ac alia circa idem, verbis competenter mutatis, in persona ipsius principis tantum fiant ut si consensus ipsius principis aderit in concessione paterna et de hoc facta fuerit domino nostro fides, confectum in persona dicti regis Sicilie privilegium in suo vigore remaneat, reliquo confecto in persona dicti principis laniando. Et si predicti principis consensus minime haberetur confectum in persona predicti principis privilegium vigeat et confectum in persona prefati regis Sicilie similiter lanietur, que quidem privilegia et eorum quodlibet sic in personis utriusque confecta et etiam alia supradicta videlicet prefata ipsarum ecclesiarum et regine privilegia correspondentia supradictis eidem domino nostro fideliter regine videlicet triplicatum et reliqua omnia sicut in

rubricis notarum continetur duplicata vel triplicata mittantur, ut premissa forma servata in illis que regem Sicilie et principem contingunt eosdem illius quod ut predicitur in vigore manebit et de quolibet aliorum ecclesiarum et regine predictarum unum correspondens dictus dominus noster dare possit, prout expedire viderit, et aliud tenoris ejusdem apud se pro majori cautela negotii retineat aliis omnibus in persona reliqui et ei correspondentibus de quibus domino nostro videbitur laniandis. Preterea non sine multa deliberatione est pro majori negotii firmitate provisum quod in matrimonio inter nobilem mulierem dominam Clementiam natam ejusdem domini regis Romanorum et nobilem virum C. primogenitum prefati principis dante Domino consumando sicut prefati domini regis Sicilie sic et dicti principis consensus expressus jure jurando firmandus accedat, et quod speciale procuratorium in persona memorati principis habetur ad sponsalia et matrimonium hujusmodi solidanda. Et quia id propter absentiam sepedicti principis aliquam dilationem merito requirebat, providus vir magister Henricus de Turego prepositus ecclesie Frisingensis ad predictum dominum regem Romanorum cum ordinatione ac deliberatione premissis vertitur ut idem dominus rex Romanorum habita pleniori notitia premissorum que per eum circa dicta privilegia et alia fieri expedit interim regia providentia compleat et via preparetur lucidior ad alia in adventu nuntiorum supradicti regis ad laudem altissimi et majorem quietem gentium consumanda. Et ut premissa et alia que circa hec tractata sunt hactenus et ex eis secutura prosecutione clara, distincta sine aliarum ulterius ordinationum concursibus seu implicationibus dante Domino compleantur, nuper est de consensu simili ordinatum quod dictorum dominorum regum privilegia per eos complenda, ut predicitur, predicto domino nostro infra maii vel junii kalendas proximas futuras ad tardius presententur, infra quod quidem tempus appareat utrum dictus dominus rex Romanorum velit quod homagium sibi per dominum regem Sicilie vel ejus primogenitum extra Alamaniam ubi idem rex et primogenitus fuerint faciendum per eundem dominum regem Sicilie vel dictum primogenitum vel in Alamania per suos nuntios prefato regi Romanorum fiat, ut hoc precepto nuntii dictorum domini regis Sicilie et domini principis propter hoc et alia predicta infra julii vel augusti kalendas proximo futuras similiter ad tardius prout decuerit cum plenis mandatis instructionibus et alias plene muniti mittantur. Infra kalendas quoque septembris proximo futuras predicta sponsalia contrahantur ita quod dicta Clementia infra kalendas octobris proximo sequentes ad tardius per nuntios prefati domini regis Romanorum usque Bononiam conducatur ibidem per dictum dominum regem Sicilie vel per suos recipienda et ad virum suum honorificentia debita traducenda. Et ex tunc infra tres menses postquam dicta Clementia ut predicitur ducta fuerit et recepta vel citius prout prefato domino nostro placuerit de predictis privilegiis pro ecclesiis ac regina et personis regis et principis predictorum diversimode conficiendis per dictum dominum regem Romanorum ac mittendis predicto domino nostro ut predicitur laniatis, laniandis juxta modum predictum et de quolibet aliorum predictorum ac aliis conficiendis per dictum dominum regem Sicilie, cui super hoc similiter scribimus per memoratum dominum nostrum uno retento cujuslibet simile ecclesiis eidem regi Romanorum, dicte regine ac regi Sicilie vel principi predictis liberaliter assignentur. Cautiones vero et firmitates prestande juxta formam tractatuum habitorum super hiis ita videlicet quod promissiones et obligationes et juramenta interveniant et partes nichilominus super omnibus et singulis absolute ac libere Romano pontifici spiritualiter et temporaliter se submittant infra easdem kalendas septembris in Alamania prestabuntur. Vos itaque premissa et affectum predicti domini nostri ac negotii qualitatem necnon et honoris nostri decentiam advertentes procuretis et sollicite faciatis quod omnia in ea perfectione qua convenit compleantur. Ita quod prefato domino nostro exinde merito placeatis et vobis laudis adveniat incrementum et diligentius advertatis notas rubricatas, verba et abrevationes ipsarum ne per transcursum vel occupationem in faciendo scribendo, duplicando seu triplicando et mittendo aliquid omittatur, attendendum est etiam visum fore expediens nuntiis supradictis quod in promissionibus et firmitatibus faciendis una cum procuracuratoribus sit tabellio publicus, qui de ipsis promissionibus et firmitatibus conficiat publica instrumenta, concipiendo ac formando verba promissionum et stipulationum tam in persona procuratorum quam etiam in persona sua recipiendo semper nomine regis et principis predictorum et

idem fiat pro parte regis Alamanie in promissionibus faciendis a predictis rege et principe. Dat. Rome III nonas februarii anno domini millesimo ducentesimo octagesimo. »

802 Rome, 3 février 1280

Iidem cardinalis et notarius regi Sicilie, verbis competenter mutatis, de privilegiis conficiendis et de terminis, quibus pape presentari et predicta sponsalia contrahi debent, eadem significant. (Fol. 94; an III, n° 12.)

« *Regi Sicilie. Cardinalis et notarius.* Placuisset etc. usque eorum que inter magnificum principem dominum R. regem Romanorum illustrem et vos sicut nostis tractata sunt hactenus non fuisset ea occasione quam idem dominus noster percepisse dinoscitur retardata, cum talis occasio — Super hiis que per eundem dominum regem et vos ac nobilem virum dominum C. principem Salernitanum primogenitum vestrum faciendam tractatus ipsi requirunt notas et formam et modum prout negotii qualitas exigit, quibus sit ad consumationem negotii procedendum, prout ipsius domini regis ac vestris nuntiis fuit visum expediens explicantes de nuntiorum eorundem assensu, licet ad id mandatum iidem nuntii non haberent, fieri seu formari fecimus et ex eis illas de quibus per vos et dictum dominum principem confici privilegia convenit vobis sigillatas sigillis nostris mittimus presentibus interclusas in privilegia redigendas et hujusmodi privilegia per dictum dominum regem et vos ac eundem dominum principem sub formis et modis conficienda predictis eidem domino nostro fideliter duplicata mittantur, ut de quolibet unum idem dominus noster dare possit prout expedire viderit et aliud tenoris ejusdem apud se pro majori negotii cautela retineat ac omnia clarius dante Domino ad majorem quietem gentium solidentur. Et ut premissa et alia que circa hec tractata sunt hactenus et ex eis secutura prosecutione clara, distincta, sine aliarum ulterius ordinationum concursibus seu implicationibus dante Domino compleantur, nuper est de consensu simili ordinatum quod omnia predicta privilegia hinc inde complenda ut predicitur predicto domino nostro infra maii vel junii kalendas proximo futuras ad tardius presententur, infra quod quidem tempus appareat utrum dictus dominus rex velit quod homagium sibi per vos seu primogenitum vestrum extra Alamaniam ubi vos et primogenitus ipse feceritis faciendum per vos vel in Alamania per vestros nuntios prefato domino regi fiat, ut hoc percepto nuntii vestri et predicti domini principis propter hoc et alia predicta infra julii vel augusti kalendas proxime futuras, similiter ad tardius prout decuerit cum plenis mandatis, instructionibus et alias plene muniti mittantur. Infra kalendas quoque septembris proximo futuras inter nobilem virum C. primogenitum predicti domini principis et nobilem mulierem dominam Clementiam natam prefati domini regis sponsalia contrahantur ita quod dicta Clementia — Et ex tunc infra tres menses postquam predicta Clementia ut predicitur ducta fuerit et recepta vel citius prout prefato domino nostro placuerit de singulis predictis privilegiis conficiendis ac mittendis predicto domino nostro ut predicitur per memoratum dominum nostrum uno retento cujuslibet simile illis quibus eidem domino nostro videbitur liberaliter assignetur. Cautiones vero et firmitates — infra easdem kalendas septembris in Alamania prestabuntur. Vos itaque premissa et affectum predicti domini nostri ac negotii qualitatem nec minus honoris vestri decentiam advertentes faciatis si placet quod omnia quantum in vobis est per vos et prefatum dominum principem in ea perfectione qua convenit compleantur. Ita quod prefato domino nostro exinde merito placeatis et vobis laudis proveniat incrementum. Attendendum est etiam etc. sicut in littera episcopi verbis competenter mutatis usque in finem etc. Dat. etc. »

803 Rome, 3 février 1280

Iidem cardinalis et notarius regi Romanorum verbis competenter mutatis eadem significant. (Fol. 95 v°; an III, n° 13.)

« *In e. m. domino regi Romanorum illustri* verbis competenter mutatis. Attendendum etc. Dat. etc. »

804 Rome, 3 février 1280

Iidem cardinalis et notarius magnifico principi et amico carissimo R. regi Romanorum eadem significant. (Fol. 95 v°; an III, n° 14; M. G. H. *l. c.* n° 242.)

« *Magnifico principi et amico carissimo domino R. Dei gratia regi Romanorum illustri Matheus*

miseratione divina Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis et Benedictus de Anagnia domini pape notarius. Salutem in eo per quem reges regnant. Placuisset sanctissimo patri — et ex eis illas de quibus per vos confici privilegia convenit sub sigillis nostris venerabili in Christo patri domino P. episcopo Tripolitano transmittimus in regia privilegia redigendas prout in litteris nostris quam sibi transmittimus plenius continetur. Vos itaque premissa et affectum domini nostri ac negotii qualitatem — attendendum est etiam visum fore — Dat. Rome III nonas februarii, anno domini M° CC° LXXX° pontificatus domini Nicolai pape III, anno tertio. »

Iste sunt note privilegiorum faciendorum per regem Romanorum in persona regis Sicilie et exhibendorum si privilegia conficienda in persona principis lanientur vel laniandorum si privilegia conficienda in persona principis dentur, sicut domino nostro videbitur.

805 Sans date[1]

Rex Romanorum regi Sicilie comitatum et marchionatum Provincie et comitatum Folkalkerii confirmat, et tam ipsi quam heredibus ipsius in feudum sub consuetis censu et servitiis prestandis donat. (Fol. 96; an III, n° 15.)

« *Rex Romanorum. regi Sicilie.* Munificentiam nostri culminis ad vos et domum regiam convertentes, comitatum et marchionatum Provincie intendentes hec duo nomina silicet comitatum et marchionatum esse sinonima et unum non diversa supponere et comitatum Folkalkerii cum omnibus jurisdictionibus, juribus et pertinentiis eorundem ac omnia que infra comitatus ipsos consistentia Romanorum imperatores per eorum privilegia quondam domino Raymundo Berengario comiti et marchioni Provincie ac comiti Folkalkerii ipsiusque predecessoribus donaverunt presenti privilegio confirmamus, concedimus et de novo tam vobis ad vitam vestram si tantum volueritis quam heredibus vestris qui processerunt ex vobis et clare memorie Beatrice regina Sicilie consorte vestra et omnibus heredibus et successoribus eorundem in feudum sub consuetis censu et servitiis prestandis imposterum a vobis et ipsis in perpetuum possidenda donamus et promittentes quod per nos vel alium seu alios nullam donationem, confirmationem, investituram, concessionem vel contractum aut aliquid cum domina Margareta regina Francie illustri vel ejus procuratoribus aut nuntiis seu aliis quibuscumque personis ecclesiasticis vel secularibus fecimus, per que hujusmodi confirmatio et de novo donatio sive concessio aut aliquid quod in eodem concesso vobis super hiis privilegio continetur habere non possit vel non debeat firmitatem vel per que confirmationi, donationi et concessioni predictis ac hiis que in dicto privilegio continentur aliquod afferri possit vel debeat nocumentum seu predictorum confirmationis, donationis, concessionis et aliorum contentorum in privilegio supradicto effectus aliquatenus impediri circa ea que forsan extra comitatus eosdem predicta donatio imperatorum comprehenderet eorundem nichil ad presens penitus innovato declaramus, ordinamus, decernimus, statuimus et expresse facturos ac curaturos nos specialiter obligamus quod per ea que facta sunt a nobis ipsi regine Francie nullum omnino prejudicium fiat vobis et heredibus vestris vel in jure preterito quod vobis et eis predictis comitatibus competebat seu competit vel hiis que in confirmatione ac concessione predictis continentur, promittentes nichilominus predicta omnia et singula postquam imperiale diadema dante Domino susceperimus renovare ad majorem et perpetuam firmitatem. »

Ista est triplicanda.

806 Sans date[1]

Rex Romanorum regine Francie eandem concessionem, C. regi Sicilie factam, confirmat et prohibet quod ipsa regem predictum in possessione predictorum comitatuum nullatenus perturbet; sed jus, si quid in ipsis habere credit, in curia regis Romanorum prosequatur. (Fol. 96, v°; an III, n° 16.)

«... *Rex Romanorum .. regine Francie.* Licet comitatum et marchionatum Provincie intendentes hec duo nomina silicet comitatum et marchionatum esse sinonima et unum non diversa supponere ac comitatum Folkalkerii cum omnibus juris-

1. Ce privilège et le suivant, publiés dans les *R udlfi regis constitutiones* M. G. H., *l. c.*, n. 246 et 247) ont été délivrés à Vienne le 28 mars 1280.

1. Cf. la note précédente.

dictionibus, juribus et pertinentiis eorumdem ac omnia que infra comitatus ipsos consistentia Romanorum imperatores per eorum privilegia quondam domino Raymundo Berengario comiti et marchioni Provincie ac comiti Folkalkerii ipsiusque predecessoribus donaverunt per speciale privilegium confirmemus, concedamus et de novo tam domino C. regi Sicilie illustri ad vitam suam si tantum voluerit quam heredibus regis ejusdem qui processerunt ex eodem rege et clare memorie Beatrice regina Sicilie consorte sua et omnibus heredibus et successoribus eorumdem in feudum sub consuetis censu et servitiis prestandis imposterum ab eisdem rege heredibus et successoribus imperpetuum possidenda donemus et promittentes quod per nos vel alium seu alios nullam donationem, confirmationem, investituram, concessionem vel contractum aut aliquid vobiscum vel cum vestris procuratoribus aut nuntiis seu aliis quibuscumque personis ecclesiasticis vel secularibus fecimus per que hujusmodi confirmatio et de novo donatio sive concessio aut aliquid quod in eodem concesso dicto regi super hiis privilegio continetur habere non possit vel non debeat firmitatem vel per que confirmationi, donationi et concessioni predictis ac hiis que in dicto privilegio continentur, aliquid afferri possit vel debeat nocumentum seu predictorum confirmationis, donationis et concessionis et aliorum contentorum in privilegio supradicto effectus aliquatenus impediri, circa ea, que forsan extra comitatus eosdem predicta donatio imperatorum comprehenderet eorundem, nichil ad presens penitus innovatos declaraverimus, ordinaverimus, decreverimus, statuerimus et expresse facturos et curaturos nos specialiter obligaverimus quod per ea que facta sunt vobis a nobis nullum omnino preiudicium fiat regi et heredibus ac successoribus supradictis in jure preterito quod eis in predictis comitatibus competebat seu competit vel hiis que in confirmatione ac concessione predictis continentur tamen puritatem intentionis nostre, quam regalibus actibus decet inesse, in ipso actu ipsius negotii declarantes expresse, dicimus, volumus, ordinamus atque statuimus quod per hoc in jure, si quid in eisdem comitatibus obtinetis, nullum vobis prejudicium generetur, sed cum idem rex nos requisiverit ut in possessione dictorum comitatuum quos tenet et possidet ac longo tempore pacifice tenuit et possedit turbari non permittamus eundem, presertim cum paratus sit et se offerat vobis in nostra curia de justitia respondere, nos qui hujusmodi petitionem dicti regis utpote juri consonam non admittere nec possumus nec debemus volumus et presentium tenore decernimus ac etiam prohibemus quod vos per vos vel alios regem predictum vel heredes eosdem in possessione predictorum comitatuum nullatenus perturbetis sed jus, si quid in ipsis comitatibus habere vos creditis, prosequamini si volueritis in curia supradicta. In omnibus autem et singulis supradictis plenam interpretationem et declarationem Romano pontifici ad presens et imposterum reservantes ejus interpretationem seu declarationem faciendam etiam simplici verbo nos servaturos specialiter auctoritate presentium obligamus promittentes nichilominus predicte omnia et singula postquam imperiale diadema dante Domino susceperimus renovare ad maiorem et perpetuam firmitatem. Actum. etc. »

Ista est duplicanda.

807 Sans date

Rex Romanorum regi Sicilie litteras, regine Francie scriptas, communicat. (Fol. 97 v°; an III, n° 17.)

« *Rex Romanorum.. regi Sicilie.* Cum litteras infrascripti tenoris domine Margarite regine Francorum illustri — In omnibus autem et singulis supradictis plenam interpretationem et declarationem Romano pontifici ad presens et imposterum reservantes — .Tenor autem litterarum earundem talis est. Rex Romanorum regine Francie. Licet comitatum et marchionatum — ad majorem et perpetuam firmitatem actum etc. Dat. etc. »

Et nichilominus scribatur per regem Alamanie prelatis, comunitatibus et baronibus ac hominibus Provincie super hoc sub decenti forma quod rex et heredes sui in possessione predictorum comitatuum non turbentur et privilegia ex istis notis conficienda triplicentur.

Ista duplicetur.

808 Sans date[1]

Rex Romanorum prelatis comitatus et marchionatus Provincie ac comitatus Folkalkerie eadem significat, in

1. Cf. « *privilegium ecclesiis datum* » M. G. H., *l. c.*, n. 248, 28 mars 1280.

omnibus et singulis supradictis plenariam interpretationem seu declarationem Romano pontifici ad presens et in posterum reservantes. (Fol. 98 v°; an III, n° 18.)

« *Prelatis illarum partium.* In quibuslibet nostris actibus — cum domina Margarita regine Franco rum illustri — ad majorem et perpetuam firmitatem. Actum etc. »

Privilegium istius note est duplicandum sed innullo casu laniandum.

809 Sans date

Rex Romanorum universis sacri Romani imperii fidelibus pacem cum rege Sicilie tractatam declarat. (Fol. 99 v°; an III n° 19; cf. Rud. regis constitutiones *in* M. G. H., *l. c.* n° 244. mart. 27, 1280.)

« *Rex Romanorum universis etc.* Ad perpetuam rei memoriam. Ut ea que solium majestatis nostre contingunt — Premissa vero omnia et singula juramento corporaliter prestito promittimus inviolabiliter observare. Actum etc. »

Iste sunt note privilegiorum faciendorum per regem Romanorum in persona principis et exhibendorum si privilegia conficienda in persona regis Sicilie lanientur vel laniandorum si privilegia conficienda in persona patris dentur sicut domino nostro videbitur.

810 Sans date

Rex Romanorum principi (Salernitano) concessionem comitatus et marchionatus Provincie ac comitatus Folkalkerii confirmat. (Fol. 101 v°; an III; n° 20; cf. supra 805.)

« *Rex Romanorum... principi.* Munificentiam nostri culminis ad te gratiosius convertentes comitatum et marchionatum Provincie — quondam domino Raymundo Berengario avo tuo comiti et marchioni Provincie ac comiti Folkalkerie ipsiusque predecessoribus donaverunt presenti privilegio confirmamus concedimus et de novo tam tibi cum videaris in eis hereditario jure succedere quam omnibus heredibus et successoribus tuis in feudum sub consuetis censu et servitiis prestandis imposterum a te ac ipsis in perpetuum possidenda donamus et promittentes quod — statuimus et expresse facturos et curaturos nos specialiter obligamus quod per ea que facta sunt a nobis ipsi regine Francie nullum omnino prejudicium fiat tibi et heredibus et successoribus tuis vel in jure preterito quod tibi vel eis in predictis comitatibus competebat seu competit vel hiis que in confirmatione ac concessione predictis continentur, promittentes nichilominus predicta omnia et singula postquam imperiale diadema dante Domino susceperimus innovare ad majorem et perpetuam firmitatem. Actum etc. »

Ista est triplicanda.

811 Sans date

Rex Romanorum regine Francie eandem concessionem, C. principi (Salernitano) factam, confirmat. (Fol. 102; an III, n° 21; cf. supra 806.)

« *Rex Romanorum regine Francie.* Licet comitatum et marchionatum — quondam domino Raymundo Berengario comiti et marchioni Provincie ac comiti Folkolkerie avo nobilis viri Caroli primogeniti domini C. Sicilie regis illustris ipsiusque Raymundi predecessoribus donaverunt eidem principi per speciale privilegium confirmemus, donemus et de novo tam ei, cum videatur in eis hereditario jure succedere, quam omnibus heredibus et successoribus suis in feudum — nos specialiter obligaverimus quod per ea que facta sunt vobis a nobis nullum omnino prejudicium fiat principi et heredibus ac successoribus supradictis — ad majorem et perpetuam firmitatem. Actum etc. »

Ista est duplicanda.

812 Sans date

Rex Romanorum principi (Salernitano) litteras, regine Francie scriptas, communicat. (Fol. 103; an III, n° 22; cf. supra 807.)

« *Rex Romanorum principi.* Cum litteras infrascripti tenoris In omnibus autem et singulis supradictis plenariam interpretationem et declarationem Romano pontifici ad presens et imposterum reservantes Tenor autem litterarum earumdem talis est. Rex Romanorum regine Francie. Licet comitatum etc. ut supra in proximo. »

Et nichilominus scribatur per regem Alamanie prelatis, comunitatibus et baronibus ac hominibus Provincie super hoc sub decenti forma quod princeps et heredes sui in possessione predictorum comitatuum non turbentur et privilegia ex istis notis conficienda triplicentur.

Ista est duplicanda.

813 Sans date

Rex Romanorum prelatis comitatus et marchionatus Provincie et comitatus Folkalkerii eadem significat. (Fol. 103 v°; an III, n° 23; cf. supra 808.)

« *Prelatis illarum partium.* In quibuslibet nostris — ad majorem et perpetuam firmitatem. Actum etc. »

Privilegium istius note debet duplicari sed nullo casu laniari.

814 Sans date

Rex Romanorum universis sacri Romani imperii fidelibus pacem cum C. principe Salernitano, primogenito C. regis Sicilie, tractatam declarat. (Fol. 103 v°; an III, n° 24; cf. supra 809.)

« *Rex Romanorum universis etc.* Ad perpetuam rei memoriam. Ut ea que solium majestatis nostre contingunt et aguntur vel agentur in posterum inter nos et nobilem virum C. principem Salernitanum primogenitum domini C. regis Sicilie illustris distincte ac clare —. Pro servitio vero seu servitiis que debentur vel debebuntur pro predictis comitatibus, marchionatu et terris quas tenet vel tenebit dictus primogenitus in eodem imperio nec debeat nec possit citari — et si vocaretur venire personaliter minime teneatur sed liceat ei in agendo et possit per procuratorem in defendendo in quacunque causa respondere ac agere et in loco tuo. Promittentes per primogenitum et heredes eosdem per nos vel per alios non offendemus in aliquo nec volentibus ipsos offendere prestabimus consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, in hiis auctoritate et mandato Romani pontificis vel sedis apostolice semper salvis. Vassallos quoque nostros contra predictorum aliquid facientes compescemus et puniemus bona fide pro posse. In hiis auctoritate et mandato Romano pontificis vel sedis apostolice semper salvis. Preterea inimicos principis ejusdem non juvabimus contra ipsum nec volumus quod ipse inimicos nostros adjuvet contra nos, salvis auctoritate et mandato predictis. Et excepto quod si nos haberemus guerram contra Romanam ecclesiam vel ipsa ecclesia contra nos possit idem primogenitus eandem ecclesiam libere adjuvare. Et si predictus primogenitus haberet guerram contra dictam ecclesiam vel eadem ecclesia contra ipsum libere nos memoratam ecclesiam adjuvare possimus. Possit etiam predictus primogenitus regem Ungarie juvare in defendendo et regem Francie ut tenetur et nobis ut tenetur servire non personaliter nichilominus teneatur. Sed nec de hominibus Imperii possit servire alicui contra nos nec de hominibus ipsius regis Francie servire possit alicui contra ipsum. In premissis — promittimus inviolabiliter observare. Actum etc. »

Privilegium istius note debet duplicari sed nullo casu laniari.

815 Sans date

Rex Sicilie universis fidelibus suis pacem cum rege Romanorum tractatam declarat. (Fol. 105; an III, n° 25.)

« *Rex Sicilie universis etc.* Ad perpetuam rei memoriam. Munificentie gratiam — promittimus inviolabiliter observare. Actum etc. »

Privilegium istius note debet duplicari sed non laniari.

816 Sans date

Primogenitus regis Sicilie universis fidelibus suis de pace cum rege Romanorum tractata eadem significat. (Fol. (Fol. 106; an III, n° 26.)

« *Primogenitus regis Sicilie. Universis etc.* Ad perpetuam rei memoriam. Munificentie gratiam etc. — Nos alicui servire contra regem Romanorum vel imperatorem nec de hominibus regis Francie servire teneamur alicui contra ipsum etc. ut superiori usque in fine. »

817 Saint-Pierre, 2 mars 1280

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo, apotoslice sedis

legato, significat se ejus nuncium et litteras circa turbatum in civitate Bononiensi et Romaniola statum accepisse et compelli reiteratis laboribus opportuna cogitare remedia; addit se fratrem Bartholomeum de S. Geminiano, ordinis fratrum Minorum, ad eum destinare, qui ad Bertoldum de filiis Ursi quoque iturus est; ei mandat quatinus suam dispositionem et qualitatem negotii per speciales litteras pape scribat. (Fol. 106; an III, n° 27; POTTHAST 21687.)

« *Nicolaus etc. L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato.* In civitatis Bononiensis —. Dat. Rome apud Sanctum Petrum VI nonas martii pontificatus nostri anno tertio. »

818 Saint-Pierre, 2 mars 1280

Bertuldo de filiis Ursi significat se eundem fratrem ad eum destinare et relationem ipsius per eundem expectare. (Fol. 106 v°; an III, n° 28.)

« *Nicolaus etc. dilecto filio nobili viro Bertuldo de filiis Ursi etc.* In civitatis Bononiensis etc. ut supra proxima usque consulatur. Ad hec itaque ferventibus studiis intendentes ut et tu percipias quod circa premissa sentimus dilectum filium fratrem Bartholomeum de Sancto Gemino de ordine fratrum Minorum ad te duximus destinandum. Studeas igitur que dictus frater B. tibi ex parte nostra retulerit et in memoriali per nos sibi tradito contineri videbis devota mente colligere ac prudenter tuis sensibus applicare ut eis circumspectione provida recollectis sic te ad singula dirigas quod digne possis exinde commendari, nobis per eundem fratrem dispositionem negotii, ejus circumstantias et quicquid in premissis senseris rescripturus. Dat. ut supra. »

819 Saint-Pierre, 2 mars 1280

Magistro Giffrido de Anagnia litterarum suarum contradictarum auditori ea, pro quibus idem frater ad L. legatum et Bertoldum de filiis Ursi mittitur, explicari vult. (Fol. 106 v°; an III, n° 29; POTTHAST 21688.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio magistro Giffrido de Anagnia litterarum nostrarum contradictarum auditori.* Intendentes ea que —. Dat. ut supra. »

820 Saint-Pierre, 2 mars 1280

C. regi Sicilie, cujus subsidium in eodem negotio contra rebelles exspectat, magistrum Guidonem de Novavilla, canonicum Nicosiensem, capellanum suum mittit. (Fol. 107; an III, n° 30.)

« *Nicolaus etc. carissimo in Christo filio C. regi Sicilie illustri.* Salutem etc. In civitatis Bononiensis, etc. Ut supra usque consulatur. Ad te igitur sicut ad ecclesie Romane filium specialem in quo tute quiescimus mentis aciem convertentes, celsitudinem regiam paternis suasionibus et apostolicis precibus excitamus quatenus ad ea que nostram et ipsius ecclesie quietem respiciant affabili promptitudine ac mente devota consurgens sic te ac gentem tuam regia circumspectione premunias et accingas quod si protervitatem rebellium recongnitionis debite judicium rationabile non mulceret, tam militie quam ad requisitionem suam eidem debes ecclesie quam alias prout negotii exegerit qualitas paratum habere ad aliam requisitionem nostram propter hoc regale subsidium, sicut de te digne confidimus, valeamus ut nobis Dei tuo ac aliorum fidelium presidio auxilioque suffultis hujusmodi protervitas conteratur, et quos mansuetudo non reducit ad gratiam rigoris aculeus dirigat ad judicium rationis. Et ut circa premissa plenius de intentione nostra percipias, dilectum filium magistrum Guidonem de Novavilla, canonicum Nicosiensem, capellanum nostrum, latorem presentium ad te duximus destinandum. Tu vero que dictus capellanus tibi ex parte nostra retulerit animo sincero recolligens et tuis applicans affectibus de hiis per eundem capellanum et per litteras suas harum seriem continentes nos reddere studeas certiores. Dat. ut supra. »

821 Saint-Pierre, 1er mars 1280

Abbati Montismajoris, marchie Anconitane rectori mandat quatinus prout secretius fieri poterit perquirere studeat quale subsidium a civibus, baronibus, nobilibus et terris sibi commissis et quanto tempore habere de singulis valeat. (Fol. 107 v°; an III, n° 31.)

« *Nicolaus etc. Abbati Montismajoris marchie Anconitane rectori.* Salutem etc. in civitatis Bononiensis etc. usque consulatur. Ad hec igitur fer-

ventibus studiis intendentes ac volentes diligentius experiri vias et modos quibus in ipso negotio procedere valeamus, volumus et per apostolica tibi scripta mandamus quatenus prout secretius fieri poterit cauta studeas indagatione perquirere quale subsidium a civibus, baronibus, nobilibus, terris et locis tibi commissis, tam in militibus quam in peditibus et quanto tempore habere de singulis valeamus, si propter hoc temporalem con flare potentiam oporteret. Quibus omnibus celeriter et caute collectis quod inde senseris sic clare, distincte, seriose, secreto ac fideliter absque more alicujus obstaculo scribas nobis quod de hiis pleniorem certitudinem obtinentes, maturius deliberare possimus an et a quibus et quantum tale subsidium sit petendum. Dat. Rome kalendis martii. »

822 Saint-Pierre, 1er mars 1280

Eadem Phylippo Minutuli capellano suo, ducatus Spoletani rectori mandat. (Fol. 107 v°; an III, n° 32.)

« *In e. im. dilecto filio Phylippo Minutuli capellano nostro, ducatus Spoletani rectori.* »

823 Sans date

In nomine Domini amen. Memoriale nuntii qui mittitur ad legatum. (Fol. 107 v°; an III, n° 33; Sbaralea : Bullarium Franciscanum, t. III, n° 148, notes; cf. supra 817.)

« In primis ipso legato — omittere nullatenus : ntendamus. »

824 Sans date

In nomine Domini amen. Memoriale illorum que exponenda sunt per fratrem Bartholomeum de Sancto Geminiano ordinis Minorum ex parte nostra Bertuldo. (Fol. 109 v°; an III, n° 34; Sbaralea. *l. c.* t. III, n° 149, notes; cf. supra 818.)

« In primis dicatur eidem —. Ipse autem frater Bartholomeus cum responsione et instructione Bertuldi et habita postmodum responsione legati, quanto celerius poterit revertatur. »

825 Saint-Pierre, 7 mars 1280

Margaritam reginam Francorum hortatur quatinus in negotio comitatus Provincie ac Folkelkerie pro concordia cum rege Sicilie stabilienda laboret. (Fol. 112; an III, n° 35.)

« *Nicolaus, etc., carissime in Christo filie Margarite regine Francorum illustri. Salutem* etc. Electa domus Francie claris titulis per universa mundi climata nominata in sua integritate refulget in gentibus, solide in suis regnat et imperat ac persistit intrepide munita divinitus, non passura Deo auspice compassionis excidium quorumlibet fluctibus propinquarum et remotarum etiam nationum. In ipsa quidem sic integra et superni patris benedictione perfusa catholice fidei viget integritas in ipsa sic vallata et talibus sic adornata munilibus tute quiescimus. Ad illam tute confugiunt ipsius fidei sectatores et ex illa pugiles Christi proveniunt, expugnantes erroneos et cervices obsistentium victricibus actibus conterentes a quibus Christi patrimonium, terra sancta videlicet in suis deploratis angustiis consolationis solamina suscepit et felicia gaudia sue liberationis expectat. Digne igitur ne domus ipsa suscipiat in aliqua sui parte scissuram sed in sua claritate reluceat et sinceritate virescat, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris nuntiis et litteris excitat non sine magne sollicitudinis studio dedimus hactenus operam et adhuc impendimus operosa prosecutione labores, quod inter carissimum in Christo filium nostrum C. Sicilie regem illustrem et te submotis quibuslibet hesitationum anfractibus integritas vigeat intime caritatis. Unde provenisse percepimus quod super eo quod dictus rex ad eum et tu ad te comitatum Provincie ac Folkelkerie asseritis pertinere nuper ad nos ipsius regis et tui nuntii pervenerunt. Et licet iidem nuntii sufficientia litteratoria mandata portarint ea tamen comperimus verbali commissione restricta set nichilominus tractatum inter eosdem nuntios per nos et alios assumentes sic nuntios ipsos invenimus ex hujusmodi restrictione distantes quod in hoc effectualiter operari non poterat ministerium tractatorum, cum deceat in talibus actibus in omni soliditate procedere ut exinde solidus resultet effectus nullis retractationibus variandus, quid enim Romani pontificis seu cujusvis alterius operosa sollicitudo in hujusmodi tractatibus proficit, si processibus vie quibus

provenit concordia restrictis illarum progressibus limitantur, ubi quidem de concordiis agitur tractatuum discussio potissime in sua prosecutione requirit, ut per modos communes et medios ac alias licitos prout circumstantiis competit hujusmodi tractatus in unum conveniant, et tandem facilius exinde placida concordia subsequatur. Talis itaque ac tanti qualitatem negotii cui nos ex caritatis affectu contulimus, et inter quos agitur attendentes consulte providimus tractatus hujusmodi sic differri ne hujusmodi mandatorum restrictio seu disjunctio nuntiorum tractatus ipsos omnino succideret, quod iidem tractatus liberos poterunt habere processus et prosperos divina gratia ministrante successus. Quare sperantes et merito quod tu premissa recogitans et habens animum semper ad Dominum vitando dissidiosos anfractus et a quibuslibet noxiis ipsius domus famosa culmina preservando mentem tuam ad prospera conformabis, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus tanti boni causam et ejus effectum nec minus conditiones ipsius terre que specialiter in domo ipsa respirat mansuetudine regali conspiciens et amplectens gratam concordiam a qua inter dictum regem et te affinitatis connexio non discordat sed requirit illam potius debitum unitatis sic te ad hujusmodi concordiam dirigas et conformes quod per hoc ipsi Deo non indigne complaceas, te ipsam et domum eandem preserves a noxiis tibique dante Domino provideas de quiete summo patri placida et catholicorum populis terrenorum accepta. Nos enim qui domum eandem et personas ipsius infra precordia nostra portamus, quique illam cupimus quieta felicitate vigere, pro hiis et aliis que sui status quietem et suarum prosperitatum incrementa respiciunt, nos ipsos et studia nostra parata semper obtulimus et proponimus circa illa prout sentire de dicti regis et tuorum precordiorum serenitate poterimus, sollicitudines nostras indefessas exponere quantum nobis a Domino permittetur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum nonis martii.»

826 Saint-Pierre, 7 mars 1280

De eodem regem Sicilie hortatur. (Fol. 113, an III, n° 36.)

In e. m. carissimo in Christo filio C. regi Sicilie illustri. »

827 Saint-Pierre, 7 mars 1280

Regem Francorum hortatur quatinus predictos regem et reginam ad ea que scripsit dirigat. (Fol. 113; an III, n° 37.)

« *Nicolaus etc.. carissimo in Christo filio Phylippo regi Francorum illustri.* Electa domus Francie etc. ut supra verbis competenter mutatis usque successus. Quare regem et reginam eosdem per alias diversas nostras litteras excitamus ut ipsi tanti boni causam et ejus effectum etc. usque permittetur. Profecto fili karissime tibi qui principaliter preemines principalius inest fasces tuorum culminum et regale solium in dicta domo fundatum attendere ac illorum conservationem inspicere nec minus de ipsius terre procurando remedio cogitare ac illa vitare clementius que censerentur quorumlibet obsistentia premissorum, qua valitudine posset excellentia regalis subsistere si conjuncta membra quavis infirmitate languerent, qua securitate posset de ipsius domus sincera integritate sperari, si ejus columpne quavis concussione lentescerent, qua claritate fulgeret in aliis si quevis nubecula intra se radios offuscaret. Et qua spe posset terra prefata consurgere ac expectare obtata subsidia si ejus minister hesitationis incommoda quavis concertatione sentiret. Absit quod in hiis regalis industria tepeat vel lentescat immensitas, quin potius fervore circumspecto discutiat et discussa fuget et reprimat noxia sue preminentia potestatis. Itaque sperantes et merito quod tu ipse premissa consideres et tua cum nostris in hac parte vota concurrant, celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente quatenus in hiis studia clare provisionis apponens, predictos regem et reginam ad ea que scribimus dirigas et conformes circa salutarem concordiam inter eos curam providam impensurus, ita quod exinde dante Domino comoda prosperitatis adveniant et nostris ac tuis desideriis ad gloriam altissimi satisfiat. Dat. ut supra.»

828 Saint-Pierre, 4 mars 1280

Ph. episcopum Firmanum, apostolice sedis legatum, hortatur quatinus aliis litteris ac cedula de provisione Mutinensis ecclesie inspectis diligenter faciat quod sib magis esse crediderit ad salutem. (Fol. 113 v°; an III, n° 38.)

« *Nicolaus etc. venerabili fratri Phy. episcopo*

Firmano, apostolice sedis legato. Provisionem Mutinensis ecclesie ad nos diebus istis legitime devoluta nos in hac parte tam eidem ecclesie quam tibi providimus, prout alie nostre littere modum provisionis hujusmodi et specialis missa per nos cedula, motum nostri animi clarius tuis sensibus explicabunt. Litteris itaque ac cedula predictis inspectis, provideas diligenter et facias quod tibi magis esse credideris ad salutem. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, quarto nonas martii ».

829 Saint-Pierre, 4 mars 1280

Cum eundem legatum de Firmana ad Mutinensem ecclesiam tunc vacantem transferre providit, voluntate ipsius specialiter reservata, eum hortatur quatinus si provisionem hujusmodi acceptare voluerit, vicarium, procuratores aut nuntios mittat pro ecclesie Mutinensis juribus suo nomine conservandis. (Fol. 113 v°; an III, n° 39.)

« *Eidem legato.* Personam tuam nobis amabilem conscriptam in armario nostri pectoris retinentes, de Mutinensi ecclesia tunc vacante oportunitate captata tibi sub certa forma pro quiete tua, licet te majoribus reddas dignum, naturalis aeris consolatione pensata providimus de ipsa Firmana nuper ad eandem Mutinensem ecclesiam te transferre, voluntate tua in hoc tibi libera specialiter reservata ut eo magis animo tuo provisio nostra complaceat, quo eam liberius tuis precordiis applicabis. Videas ergo quod in hac parte tue menti acceptius inhereat, et si provisionem hujusmodi acceptare volueris, mittas vicarium, procuratores aut nuntios pro ipsius ecclesie Mutinensis juribus tuo nomine conservandis, qui quidem de apostolicis favoribus propter hoc confidere poterunt et presidiis oportunis. Quod si priori statu tuo preelegeris esse contentus, id et quicquid inde disposueris seriosius scribas nobis. Potes enim de nobis sicut de benivolo patre confidere quod nos nichilominus sive ad predictam Mutinensem ecclesiam te transferas sive non, tu a memoria nostra non decides quin de tuis prosperitatibus cogitemus. Dat. ut supra ».

Cedula « Recolimus ab olim de motibus tui animi collegisse quod redire ulterius ad Firmanam ecclesiam non erat ad plenam tue menti quietem sicque nos id et precipue personam tuam nobis amabilem conscriptam in armario nostri pectoris retinentes, cum nuper de Mutinensi ecclesia tunc vacante oportunitas nobis occurrerit pro quiete tua licet te majoribus reddas dignum, naturalis aeris consolatione pensata, providimus te ipsi Mutinensis ecclesie sub certa forma que per alias nostras tibi explicatur litteras concedere in pastorem, voluntate tua in hoc tibi libera specialiter reservata, ut eo magis animo tuo provisio nostra complaceat, quo eam liberius tuis precordiis applicabis. Ad hoc quidem specialis affectio nos induxit, humane nature fragilitate pensata. Nam displiceret nobis quamplurimum si aliud de nobis Domino disponente contingeret, et sic in suspenso status tui conditio remaneret. Et licet Mutinensis episcopatus prout tibi competeret, consideratis tuis meritis et nos ipsi vellemus, in temporalibus non habundet, poteris ibi tamen ut homo spiritualis multum in spiritualibus proficere ad salutem ».

830 Saint-Pierre, 4 mars 1280

Eundem legatum ecclesie Mutinensi concedit in episcopum et pastorem; vult quoque quod per suas litteras, quicquid deliberaverit vel fecerit celeriter pape studeat intimare. (Fol. 114; an III, n° 40.)

« *Eidem legato.* Ad providam apostolice sedis — Sane dudum Mutinensi ecclesia pastoris solatio destituta et Manfredo de presulis archipresbitero plebis de Bozaria Mutinensis diocesis, qui electus n Mutinensem episcopum dicebatur, omne jus quod sibi ex electione hujusmodi competere poterat libere in nostris manibus resignante, ac nullo alio comparente cui ad ecclesiam ipsam jus aliquod videretur ex aliqua de ipso in episcopum facta electione competere, vel qui tale jus prosequeretur quomodolibet coram nobis, cum tamen a predicta vacatione ipsius ecclesie multa curricula temporum effluxissent, nos provisionem ecclesie nobis ea vice de fratrum nostrorum consilio duximus reservandam, et tandem de ipsius ecclesie ordinatione sollicite cogitantes ac talem cupientes illi preesse — ad te quem nobis et fratribus eisdem de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium et circumspectione temporalium familiaris experientia noscitur approbasse oculos mentis nostre direximus et intendentes de persona tua nobis et fratribus ipsis accepta eidem ecclesie, dum

tamen ad id tuus accedat assensus, specialiter providere ac ecclesiam ipsam per tue circumspectionis industriam preservari a noxiis et in prosperis salubriter augmentari, de fratrum eorundem consilio et apostolice plenitudine potestatis te licet absentem concedimus ipsi ecclesie in episcopum et pastorem, liberam tibi dantes licentiam ad eandem ecclesiam transeundi. Volentes ut exnunc plenum jus tibi quo ad administrationem ipsius ecclesie spiritualiter et temporaliter exercendam, si te predicte provisioni seu concessioni consentire contingerit acquiratur. Et nichilominus sive predicte provisioni consenseris sive non, legationis officium et omnia alia tibi occasione hujusmodi legationis officii concessa et injuncta competentia sive commissa libere nichilominus sub denominatione ipsius ecclesie Firmane vel Mutinensis, in qua te juxta tenorem presentium remanere contigerit, exequaris. Non autem intendimus quod per provisionem seu concessionem dicte Mutinensis ecclesie antequam tu illam acceptes a vinculo quo Firmane teneris ecclesie absolvaris, sed cum provisionem seu concessionem ipsam te acceptare contigerit, extunc eo ipso ex presenti nostra ordinatione ab eodem vinculo remaneas absolutus. Et ne predicte ecclesie vel earum aliqua tali pretextu dispendia diutine vacationis incurrant sollicite precavere volentes ac intendentes quod de illa ex eis quam in tui consensus seu acceptationis eventu vacare contingerit salubriter et provide dante Domino disponatur, post acceptionem hujusmodi, provisionem ejusdem Firmane sic vacantis vel predicte Mutinensis ecclesie eo casu vacantis similiter, si provisionem ipsam non acceptaveris, hac vice nobis auctoritate apostolica de predictorum fratrum consilio reservamus. Decernentes exnunc irritum — Volumus quoque quicquid inde deliberaveris vel feceris per tuas litteras harum seriem continentes celeriter nobis studeas intimare, ut illi ex ecclesiis predictis quam te consentiente vel dissentiente ut predicitur provisioni prefate sine prelato remanere contigerit, vitando sue prolixe vacationis incomoda de pastore ydoneo consolatur. Dat. ut supra proxime. »

831 Saint-Pierre, 26 mars 1280

P. episcopo Tripolitano, ad partes Alamannie destinato, cui nonnulli archiepiscopi et episcopi impositas sibi per ipsum quantitates pecunie solvere recusaverunt, concedit ut per quascunque personas ecclesiasticas subsidia imposita a prefatis exigere valeat; tres quoque vel quatuor ex ipsis peremptorie citare procuret ut infra duos menses per procuratores ydoneos coram papa compareant, et iidem infra quatuor menses predictos duos immediate sequentes personaliter pape conspectui se representent. (Fol. 115; an III, n° 41; POTTHAST 21696.)

« *Nicolaus etc.. Venerabili fratri P. episcopo Tripolitano.* Olim te pro quibusdam — Dat. Rome apud Sanctum Petrum vii kalendas aprilis ».

832 Saint-Pierre, 26 mars 1280

Eidem mandat quatinus ad citationem predictorum non procedat, cum per eam posset scandalum, ex quo turbaretur status patrie, suboriri. (Fol. 116; an III n° 42; POTTHAST 21697.)

« *Nicolaus etc. Eidem P. episcopo Tripolitano.* Licet tibi per nostras — .Dat. ut supra »

833 Saint-Pierre, 30 mars 1280

Magistro Angelo Mercati camere apostolice clerico, canonico Fulginatensi mandat quatinus ad civitatem Tudertinam personaliter accedens, episcopum ac priorem et capitulum, clericos et religiosos, qui censuras ecclesiasticas contempserunt, citare procuret ut infra sex dies post citationem per procuratores coram papa compareant. (Fol. 116; an III, n° 43; POTTHAST 21699.)

« *Nicolaus etc. dilecto filio magistro Angelo Mercati camere nostre clerico canonico Fulginatensi. Salutem etc.* In infulis que procul — Dat. Rome apud Sanctum Petrum iii kalendas aprilis pontificatus nostri anno tertio ».

834 Saint-Pierre, 1er avril 1280

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato mandat quatinus absque more dispendio quamprimum commode poterit Bononiam se conferat, et omnia necessaria pape scribat, ut de ipso utiliter quid melius sit ordinare possit. (Fol. 117; an II, n° 44.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri L. Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato.* Quan-

tumcunque voluerimus, quantumcunque te diversis litteris et nuntiis studuerimus excitare, ut propter necessitatis articulum qui videbatur in amissione vel saltim gravi perturbatione civitatis Bononiensis in dampnum ecclesie imminere, Bononiam te conferres, nonnullis rationibus evidentibus juxta nostre discretionis arbitrium te ad id per diversas vias et modos varios inducendo propter prolixitatem vel quandam quodammodo superfluitatem, cum premissa non credamus a tua memoria excidisse, presentibus intexendum non duximus nec etiam iterandum. Auditis tamen finaliter tuis ad ea que tibi super premissis ex toto cordis affectu curavimus intimare responsis ad fratrum nostrorum consilia propter utilitatem ecclesie procurandam et ipsius evitanda dispendia nos duximus convertendos. Quapropter tam nobiscum quam etiam cum eis deliberatione habita diligenti fraternitati tue de ipsorum fratrum consilio in virtute obedientie per apostolica scripta precipiendo mandamus quatenus absque more dispendio quamprimum commode poteris Bononiam seu ad partes ipsas studeas te conferre. Confidimus namque quod, quantumcunque tibi forsan gravis seu difficilis hujusmodi obedientia videatur, zelus tuus ad Romane ecclesie matris tue utilitates et commoda non solum divina propitiante clementia non tepescet, quin potius in fervore caritatis ad matrem et etiam ad nos patrem spiritu debite devotionis accensus quicquid boni poterit ibi cum Dei auxilio sataget operari. Quod si moram tuam inibi utilem videris et etiam efficacem, nobis hoc significare procures ut tam de legationis ampliatione quam etiam aliis que juxta qualitatem temporis tibi fuerint oportuna, secundum quod nobis ea duxeris exprimenda possimus juxta quod utile vel necessarium viderimus providere. Si vero quod absit te credideris ibi non posse proficere vel moram omnino tuis affectibus repugnare, hoc ipsum nobis exprimere clarius non obmittas ut de te sive de revocando ad nos sive de redeundo Florentiam, sive alias quomodolibet de tui status continentia providendo utiliter ordinare possimus, quod secundum Deum et honorem et statum nostrum et ecclesie atque tuum viderimus disponendum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum kalendis aprilis pontificatus nostri anno tertio ».

835 Soriano, 8 juin 1280

Valentino et Diensi episcopo, qui Guillelmum marchionem Montisferrati, per diocesem suam transitum facientem, cepit et arcta custodia detineri fecit, mandat quatinus eundem et suos libertati restituat. (Fol. 117 v°; an III, n° 45; Potthast 21721.)

« *Nicolaus, etc. venerabili fratri... Valentino et Diensi episcopo.* Salutem etc. Licet grave feramus — Dat. Suriano vi idus junii ».

836 Soriano, 8 juin 1280

Aquensi et Ebredunensi archiepiscopis mandat quatinus predictas litteras, Valentinensi et Diensi episcopo destinatas, eidem prompte presentare curent. (Fol. 118 v°; an III, n° 46.)

« *Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus.. Aquensi et.. Ebredunensi archiepiscopis Salutem etc.* Litteras quas venerabili fratri nostro.. Valentinensi et Diensi episcopo pro liberatione dilecti filii nobilis viri Guillelmi marchionis Montisferrati sub certa forma dirigimus, per vos ipsi episcopo volumus presentari. Quocirca fraternitati vestre in virtute obedientie per apostolica scripta distincte precipiendo mandamus quatenus vos vel alter vestrum litteras ipsas eidem episcopo sic prompte ac provide presentare curetis quod possit exinde vestre devotionis studium commendari, rescripturi nobis celeriter quicquid fieri contigerit in premissis. Dat. ut supra pro Christo. »

837 Soriano, 13 juin 1280

Pictavensi episcopo, qui in conventu fratrum Minorum Parisiensium quondam degens ex illo finaliter theologice facultatis cathedram ascendere meruit, mandat quatinus debitum duorum millium librarum Turonensium eisdem guardiano et conventui infra duos menses persolvat. (Fol. 118 v°; an III, n° 47; Potthast 21722.)

« *Nicolaus etc. Venerabili fratri G. episcopo Pictavensi.* Salutem etc. Circa ea que summi patri —. Dat. Suriano idibus junii pontificatus nostri anno tertio. »

838 Soriano, 13 juin 1280

Cenomanensi et Petragoricensi episcopis mandat qua-

tinus Pictavensem episcopum, si infra prefatum terminum debitum non solverit, ad solutionem faciendam auctoritate apostolica cogant. (Fol. 120 v°; an III, n° 48.)

« *Nicolaus etc. Venerabilibus fratribus.. Cenomanensi et.. Petragoricensi episcopis Salutem etc.* Circa ea que summo patri sunt placida sedulo cogitantes etc. ut supra verbis competenter mutatis usque expediens fore videbimus ordinemus. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus si dictus episcopus infra prefatum terminum predictam non solveret, vel causas rationabiles ut premittitur non proponeret, vos vel alter vestrum ipsum ad solutionem predictam ut premittitur faciendam auctoritate nostra cogatis. Diem autem prefixionis hujusmodi et quicquid in premissis duxeritis faciendum nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Dat. ut supra proxime. »

839 Soriano, 16 juin 1280

L. Ostiensi et Velletrensi episcopo de statu Florentie obsidum scribit, et eum hortatur quatinus omnia pro bono pacis prosequatur. (Fol. 120 v°; an III, n° 49.)

« *Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Leoni Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice sedis legato.* Intellectis que super statu Florentie obsidum misse nobis nuper tue littere continebant, pietas excitavit ad compassionis affectum nostrum animum erga eos et placet nobis quod in loco congruo pro suorum corporum conservanda sanitate morentur. Sed quia de negotio et negotii circumstantiis ac modis et formis sub quibus iidem obsides recepti fuerunt plenam non habemus notitiam, an obsides ipsi tenendi sint vel qualiter et an ad Urbemveterem sicut petitur transferendi ad presens discernere non valemus. Tu igitur, cui sunt ut credimus conditiones illarum partium non ignote, utramque partem florentinam ac alios quos res ipsa contingit ad id requirere poteris et voluntatibus ambarum partium civitatis Florentie an conveniant in petitis, statu totius provincie, negotii qualitate, pacis et securitatis bono locorum et personarum ac omnium contingentium que prosequeris et palpas negocia, conditionibus et circumstantiis universis preteritis, presentibus et futuris, in quantum humana natura patitur, circumspectione provida diligenter inspectis matura deliberatione providere ac facere quod tibi ex alto Dominus ministrabit. Datum Suriano XVI kalendas julii pontificatus nostri anno tertio. »

840 Soriano, 28 juin 1280

Duas postulationes de Bathoniensi et Wellensi episcopo factas, primam in Cantuariensi, secundam in Wintoniensi ecclesiis, non admittendas declarat, et provisionem ecclesie Wintoniensis sedi apostolice reservat. (Fol. 121; an III, n° 50; cf. supra n° 666.)

« *Nicolaus episcopus etc. ad perpetuam rei memoriam.* Non multo transacto jam tempore Cantuariensi ecclesia —. Dat. Suriani iiii kalendas julii. »

841 Soriano, 27 juin 1280

Ecclesie Parisiensi, cujus provisionem sedi apostolice reservavit, postquam primum de fratre Johanne de Allodio, ordinis fratrum Predicatorum, tunc cancellario ejusdem ecclesie providerit, et idem hoc recusaverit, Renoldum de Hombloneria, canonicum Parisiensem, licet absentem, preficit in episcopum et pastorem. (Fol. 122; an III n° 51.)

« *Nicolaus etc. dilecto filio Renoldo de Hombloneria electo Parisiensi. Salutem et apostolicam benedictionem.* Sollicitudinis apostolice studium — Sane vacante dudum Parisiensi ecclesia per obitum bone memorie Stephani Parisiensis episcopi de dilecto filio magistro Oddone de Sancto Dionisio inibi electio facta fuit et quibusdam ex capitulo ipsius ecclesie se opponentibus electioni predicte et propter hoc ad apostolicam sedem appellationibus interjectis, hujusmodi negotium extitit ad sedem eandem legitime devolutum. Sicque nos, quos commissi nobis gregis dominici cura perstringit, inherentes verbis apostoli dicentis nemini cito manum imponas, nos ipsos hujusmodi negotio contulimus et ex officio nostro in negotio procedentes eodem illud discussimus diligenter et prout ejus qualitas exigebat ex certis causis in litteris apostolicis quas super hiis fieri fecimus plenius comprehensis, electionem ipsam justitia exigente sicut moris est inter fratres nostros cassavimus, eam cassam et irritam nuntiantes. Dictus quoque Oddo annuens publicationem cassationis hujusmodi

omni juri sibi ex tali electione quesito in manibus nostris cessit, nosque nichilominus cessione admissa hujusmodi et cassatione ac cessione predictis in sollempni consistorio publicatis inter nos quoque ac fratres eosdem consultatione habita si esset in electionis celebrande remissione capitulo ipsius ecclesie saltem de gratia deferendum tandem prolixiorem vacationem ipsius ecclesie inter alia pericula que per hoc possent occurrere formidantes, cum preterita consueverint esse presagia de futuris nec deceret quod tanta et talis ecclesia que multa claritate refulget diu remaneret viduata pastore provisionem ejusdem ecclesie prout in eisdem continetur litteris auctoritate apostolica nobis duximus reservandam decernentes ex tunc irritum et inane si secus a quoque scienter vel ignoranter contingeret attemptari ac sperantes predictam ecclesiam ab hujusmodi vacationis dispendio relevare, illi de dilecto filio fratre Johanne de Allodio ordinis fratrum predicatorum tunc cancellario ejusdem ecclesie providimus et per hoc nobis et eidem ecclesie sperabamus obtate consolationis solamina provenire, set dum desiderabiliter audire de hujusmodi provisione nostra consumationem prosperam sperabamus, dilectus filius frater Johannes de Viterbio generalis ipsius ordinis procurator coram nobis comparuit deferens nobis litteras ex parte ipsius fratris Johannis de Allodio, sigillo.. prioris Parisiensis ejusdem ordinis sigillatas, quarum tenore suppliciter petebatur a nobis ut cum ipse ejusdem ordinis observantia, derelictis curis temporalibus, servire Domino ac in eodem ordine militie sue tempus terminare Deo propitio decrevisset, ibidem spiritum suum reddere creatori inviolabili firmitate proponens, eum eximere a cura hujusmodi dignaremur, omne jus si quid illi esset ex hujusmodi provisione nostra quesitum libere per easdem litteras in nostris manibus resignando. Nos autem predictum fratrem Johannem de Allodio in hujusmodi pio proposito non turbare set confovere potius intendentes ut eo liberius obsequatur altissimo quo se devotius ejus beneplacitis dedicavit, tam ex hiis quam ex aliis piis causis petitionem et resignationem hujusmodi de fratrum eorundem consilio duximus benignius admittendas et provisionem ipsam de dicto fratre Johanne de Allodio factam omnibus viribus vacuantes eandem Parisiensem ecclesiam ab eodem fratre Johanne de Allodio pretextu provisionis ipsius plenarie reddimus absolutam. Et tandem ut conceptus noster circa salubrem et celerem provisionem ecclesie prefate illi red datur dante Domino fructuosus, et predicta ecclesie que hac vice in nostra dispositione consistit ex apostolicis studiis adepta sponsi consolatione respiret, prospere consurgat et vigeat ac de bono in melius augeatur sedulo cogitantes ac attendentes laudabile testimonium quod tibi de honestate morum, conversatione vite laudabilis, litterarum eminenti scientia, cum theologice facultatis cathedram merueris ascendere magistralem et aliis virtutum studiis perhibetur et advertentes quod tu commissam tibi ab olim ecclesiam Sancti Gervasii Parisiensis in statu prospero laudabiliter conservasti, te canonicum Parisiensem existentem, licet absentem, de predictorum fratrum consilio ecclesie memorate preficimus in episcopum et pastorem, administrationem ejusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committentes, firma spe fiduciaque concepta —. Dat. Suriano v kalendas julii. »

842-6 Soriano, 28 juin 1280

Infrascriptis de eodem electo scribit. (Fol. 123 v°; an III, n°s 52-56.)

« In e. m. capitulo mandat quatinus eidem electo obedientiam et reverentiam debitam exhibere curet. »

« In e. m. clero civitatis et diocesis Parisiensis. »

« In e. m. universis vassallis ecclesie Parisiensis. »

« In e. m. populo civitatis et diocesis Parisiensis. »

« *Nicolaus etc. carissimo in Christo Ph. regi Francorum illustri. Salutem etc.* Divine gratia majestatis —. Dat. ut supra. »

847 Soriano, 6 juillet 1280

Cum Carolo primogenito C. principis Salernitani, primogeniti C. Sicilie regis, et Clementia nata R. Romanorum regis, quibusdam impedimentis non obstantibus, dispensat ut matrimonium ad invicem legitime contrahere et in eo licite ac libere permanere possint, dummodo inter ipsos infra festum Natalis Domini proxime futurum sponsalia contracta sint et firmata. (Fol. 124; an III, n° 57; Potthast 21726; cf. supra 800.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio nobili viro Carolo primogenito dilecti filii nobilis viri C. principis Salernitani primogeniti carissimi in Christo filii*

nostri C. Sicilie et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Clementie, nate carissimi in Christo filii nostri R. Romanorum regum illustrium. Salutem et apostolicam benedictionem. Ferventissimo desideramus affectu — Verum licet inter te filia Clementia et quondam Andream germanum carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Ungarie avunculum tuum, predicte Carole, tunc viventem sponsalia dudum contracta dicantur, quamvis etiam in moderno Lugdunensi concilio te predictam Clementiam, cum in veritate agi de Gotta sorore tua crederetur, per errorem nominum dari tibi predicte Carole primo et demum eandem Gottam promissum fuerit in uxorem, de parentum tamen utriusque vestrum assensu processu temporis tractatus est finaliter habitus ut vos in Christi nomine conjungamini federe nuptiali. Nos itaque predictorum regum supplicationibus inclinati, volentes habito respectu ad premissa et alia plura bona que inde Domino annuente provenient paternis studiis providere, ut vos impedimentis predictis nequaquam obstantibus etiam si inter te prefata Clementia et predictum Andream ac inter te fili C. et predictam Gottam sponsalia vera fuissent, matrimonium ad invicem legitime contrahere et in eo licite ac libere permanere possitis, dummodo inter vos infra festum natalis Domini proximo futurum per vos et per parentes vestros aut ipsorum procuratores sponsalia contracta extiterint et firmata vobiscum auctoritate presentium de apostolice potestatis plenitudine dispensamus. Nolumus autem quod pro eo quod in aliis similibus nostris litteris super hoc confectis tempus brevius designatur, ad hujusmodi sponsalia contrahenda dubium aliquod vel impedimentum presentibus vel earum effectui quomodo libet ingeratur. Nulli ergo etc. —. Dat. Suriani II nonas julii. »

848 Soriano, 6 juillet 1280

R. regi Romanorum significat se ejus nuncium (Johannem) Gurcensem episcopum benigne recepisse et juxta ipsius preces legatum ad partes Alamannie mittere Hieronymum tituli S. Potentiane presbiterum cardinalem; eudem monet ut ad ea que inter ipsum et C. Sicilie regem tractata sint hactenus sincera et solida perfectione se conformet. (Fol. 124 v°; an III, n° 58; POTTHAST 21725.)

« *Nicolaus etc. Carissimo in Christo filio R. regi Romanorum illustri.* Ad personam tuam —. Dat. ut supra proxime. »

849 Soriano, 7 juillet 1280

Capitulo Wintoniensi, non obstante reservatione sedi apostolice facta (cf n° 839) electionem episcopi in eadem ecclesia restituit, (Fol. 125; an III, n° 59; cf. supra n° 666.

« *Nicolaus etc. dilectis filiis capitulo Wintoniensi. Salutem etc.* Non multo transacto jam tempore —. Dat. Suriani nonis julii. »

850 Soriano, 10 juillet 1280

Priori Predicatorum et guardiano Minorum fratrum Perusinis mandat quatinus litteras apostolicas potestati, capitaneo, consilio et communi Perusinis, qui contra Andreutium Massei Andree de Diruta occasione cujusdam homicidii graviter processerunt, destinatas, eisdem presentent. (Fol. 126 v°; an III, n° 60; POTTHAST 21728.)

« *Nicolaus etc. Dilectis filiis.. priori Predicatorum et.. guardiano Minorum fratrum ordinum Perusinis.* Audito nuper quod —. Dat. Suriano v idus julii. »

851 Soriano, 10 juillet 1280

Potestati, capitaneo, consilio et communi Perusinis, quorum sententiam in predicto processu injustam declarat, mandat quatinus ad executionem dicte sententie nullatenus procedant sed prompte et devote pape beneplacitis se conforment. (Fol. 127; an III, n° 61.)

« *Nicolaus, etc. Dilecto filio.. potestati.. capitaneo, consilio et communi Perusino. Salutem etc.* Quorumlibet devotorum Romane matris ecclesie illicitos excessus moleste perferrimus et ex illis digne turbamur, sed cum illos improvide commictere potissime quos eadem fovet ecclesia et dilectione complectitur, quavis causa conspicimus tanto nimirum gravius provocamur quanto facilius actus eorum transeunt aliis in exemplum. Nuper siquidem ad nostrum pervenit auditum quod cum pridem quoddam homicidium et excessus alii patrata in illis partibus extitissent, et Andreutius Massei Andree de Diruta in hoc culpabilis suggestione

frivola diceretur, vos seu judices vel officialis vestri eum ad falsum testimonium Benvenuti rectoris ecclesie Sancti Benedicti de Fracta et Ugozinelli Benedictoli de villa Candioni, Carnelevarii Increscute ac Angelutii boie de Casalino et Massarelli magistri Johannis de Sancto Valentino laicorum Perusine diocesis per injustam sententiam perperam et graviter ut dicitur condempnastis. Verum cum dictus Andreutius tempore patratorum homicidii vel excessuum hujusmodi Suriani vel Viterbii aut in istis partibus fuisse dicatur, nec sit possibile quod in tam remotis et diversis locis potuerit simul uno eodemque tempore interesse predictos rectorem et laicos ac alios ex quorum tali testimonio hujusmodi sententia seu processus provenisse noscuntur personaliter, vos etiam et partem negotium hujusmodi prosequentem ac omnes qui sua crediderint interesse ad nostram presentiam facimus evocari, ut plena ipsius negotii veritas habeatur. Ne igitur dictus Andreutius tali pretestu sic indebite puniatur, universitatem vestram monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta sub debito fidelitatis quo nobis et ecclesie Romane tenemini et pena mille marcharum argenti districte precipiendo mandantes quatenus attendentes quod commendantur ubilibet servati cum provida deliberatione processus ad executionem dicte sententie vel ad gravamen aliquid eo pretextu contra predictum Andreutium vel patrem ejus, qui cum eodem Andreutio predicto tempore fuisse asseritur, aut ipsorum bona hujusmodi vocatione ac inquisitione seu processu nostris pendentibus nullatenus procedatis et veluti grate devotionis filii memorie retinentes, quod vos et civitatem vestram affectione caritativa prosequimur et in vestris successibus prosperis delectamur, quodque in multis vobis gratiose detulimus sic prompte, sic devote vos nostris in hac parte beneplacitis conformetis quod in hoc apertius devotionis vestre studium cognoscamus, vosque possitis exinde merito commendari, quod si forte mandatum nostrum in hac parte neglexeritis adimplere, extunc predicte pene quam eo ipso ex tunc vos incurrere volumus, ac excommunicationis sententie quam ex nunc in vos potestas, capitanee ac consiliarii et judices ac officiales predictos, et omnis quorum facto, mandato, consilio, auxilio vel favore premisse sententie vestre seu judicum aut officialium eorumdem sive condempnationis executionem seu gravamen aliquid hujusmodi vocatione ac inquisitione seu processu nostris pendentibus contra predictos eo pretextu provenire contingeret proferimus, noveritis subjacere. Dat. ut supra. »

852 Soriano, 10 juillet 1280

Priori Predicatorum et guardiano Minorum fratrum Perusinis mandat quatinus predictos rectorem et laicos, potestatem, capitaneum, consilium et commune Perusinos, ac abbatem monasterii S. Petri Perusini, cui prefatus rector capellanus esse dicitur et qui predictorum processuum promotor precipuus asseritur ex parte sua citare curent, ut infra decem dies per se vel per procuratores idoneos coram papa compareant. (Fol. 128; an III, n° 62; POTTHAST 21727.)

« *Nicolaus etc. Dilectis filiis.. priori Predicatorum et.. guardiano Minorum fratrum ordinum Perusinis.* Salutem etc. Quorumlibet devotorum Romane —. Dat. ut supra. »

853 Soriano, 14 juillet 1280

Magistro Benedicto de Anagnia notario suo et nobili viro Urso de filiis Ursi, patrimonii b. Petri in Tuscia rectori, ad partes Campanie pro negotio thesauri, qui dicitur ibi nuper esse receptus, specialiter destinatis, de hoc thesauro inquirendi, ac recipiendi ipsum nomine pape, atque subsidium a quibuscunque personis ecclesiasticis, baronibus, nobilibus, comunitatibus etc, si necesse fuerit, invocandi plenam et liberam concedit potestatem. (Fol. 127 v°; an III, n° 63.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio magistro Benedicto de Anagnia notario nostro et nobili viro Urso de filiis Ursi civi Romano marescalco nostro et patrimonii beati Petri in Tuscia rectori Salutem etc.* Cum vos ad partes Campanie pro negotio thesauri qui dicitur ibi nuper esse receptus specialiter destinemus, ut ad manus vestras nomine nostro deveniat, ne in contrata ipsa posset ex hoc aliqua discordia exoriri seu jus nostrum aut Romane ecclesie vel alterius seu aliarum personarum ecclesiasticarum vel secularium per alicujus calliditatis astutiam seu potentiam dolo vel fraude seu quovis modo involvi posset vel etiam deperire, et de ipso libere disponere ac ordinare possimus quod secundum Deum viderimus faciendum, ut eo perfectius quod circa id magis expediat compleatur, quo

majori a nobis fueritis auctoritate muniti, devotioni vestre inquirendi de thesauro hujusmodi et ejus circumstantiis ac recipiendi ipsum nomine nostro ut predicitur et inhibendi ne de ipso vel ejus parte contra premissa aliquid attemptetur et revocandi prout secundum Deum et ipsius negotii qualitatem videritis expedire omnes donationes, venditiones, permutationes, remissiones, transactiones, compositiones, vel alienationes alias aut contractus, per quoscunque factos vel faciendos super thesauro predicto vel ejus occasione, dissolvendi quoque colligationes vel obligationes per quoscunque habitas contra premissa, ac omnia alia et singula faciendi que in eodem negotio et ipsum contingentibus noveritis oportuna, invocandi etiam ad id si necessarium fuerit spirituale ac temporale subsidium a quibuscunque personis ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis, conditionis aut status existant, et baronibus, nobilibus, commitatibus et universitatibus ac personis singularibus, tam per exercitum generalem quam alias per comunitates et barones Campanie et Maritime aliarumque partium vicinarum nobis et Romane ecclesie subjectarum, et premissis vel premissorum aliquibus obsistentes, tibi, fili Benedicte, per censuram ecclesiasticam et privationem privilegiorum, feudorum, gratiarum et aliorum que a Romana vel alia tenentur ecclesia, non obstantibus quibus cunque —. Relaxandi insuper omnia juramenta seu promissiones sub quacunque forma verborum inita sive facta per quoscunque super thesauro ipso in toto vel in parte et ipsum contingentibus quoquo modo tibi vero, Urse, obsistentes hujusmodi per penas seu mulctas temporales et alios quoscunque modos congruos temporaliter compellendi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Dat. Suriano II idus julii pontificatus nostri anno tertio. »

854 Soriano, 14 juillet 1280

Nicolino de Camilla capellano suo, Campanie Maritimeque rectori, mandat quatinus predictis in hujusmodi negotio et omnibus illud contingentibus spiritualiter et temporaliter, prudenter assistat. (Fol.129; an III, n° 64.)

« *Nicolaus etc. dilecto filio Nicolino de Camilla capellano nostro Campanie Maritimeque rectori.* Cum dilectos filios —. Dat. ut supra proxime. »

855 Soriano, 15 juillet 1280

Urso de filiis Ursi mandat quatinus in suis processibus mortis vel mutilationis periculum et sanguinis effusionem cum omni cura que poterit studeat evitare. (Fol. 129; an III, n° 65.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio Urso de filiis Ursi etc.* Cum dilectum filium —. Dat. Suriano, idibus julii. »

856 Soriano, 15 juillet 1280

Abbati et conventui monasterii Sublacensis mandat quatinus de eodem thesauro, in Campanie partibus nuper reperto, et in quo asserunt jus habere, nullam donationem, venditionem, etc. absque pape speciali mandato aliquatenus facere presumant. (Fol. 129; an III, n° 66.)

« *Nicolaus etc. dilectis filiis.. abbati et conventui monasterii Sublacensis.* Hiis que vobis vel monasterio vestro dampnosa posset existere paterna sollicitudine occurrere cupientes, devotioni vestre in virtute obedientie ac sub excommunicationis, quam te abbatem incurrere volumus, si mandatum nostrum in hac parte neglexeris adimplere ac privationis a regimine abbatie et in vos filii conventus interdicti penis per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus de thesauro quod nuper dicitur in Campanie partibus esse repertus et in quo sicut audivimus vos vel monasterium ipsum asseritis jus habere, nullam donationem, venditionem, permutationem, remissionem, transactionem, compositionem vel alienationem aliam aut contractum aliquid sub quocunque colore vel actu, cum quibuscunque personis ecclesiasticis vel secularibus, cujuscunque conditionis aut status existant, absque nostro speciali mandato aliquatinus facere presumatis. Nos enim exnunc decernimur irritum et inane si super premissis vel premissorum aliquo secus a quoque contigerit attemptari. Dat. Suriano, idibus julii. »

857 Soriano, 15 juillet 1280

Magistro Benedicto notario et Urso marescalco de negotio ejusdem thesauri scribit, ut quicquid ipsis videbitur opportunum de ampliatione potestatis eorum pape rescribant. (Fol. 129 v°; an III, n° 67.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio magistro Benedicto notario et Urso marescalco nostris. Salutem* etc.

Processum super thesauro in Campania tam per rectorem Campanie quam et quosdam alios habitum multe suspitionis materie subiacentem per litteras nobis et tibi fili Benedicte directas, quas hoc sero tarde recepimus, consideravimus diligenter, ex qua consideratione finaliter resultavit vigorosius, diligentius et cautius contra fraudis et iniquitatis astutias per vos esse in ipso negotio procedendum. Propter quod cum auctoritatis litteras super ipso habendo processu vobis hodie transmitti mandaverimus quatinus post recessum vestrum evestigio satis cito in eodem negotio celeriter et utiliter propitiante vobis divina clementia procedatis, scire quoque vos volumus quod hoc sero disquisivimus an per Asahel cursorem scilicet velocissimum vobis fuerint predicte littere destinate et invento quod misse fuerant per Gregorium de Dialta, gravitatem et maturitatem ratione provectionis etatis potius in ipso attendimus quam aptitudinem ad celeriter litteras presentandas. Consideravimus quoque quod in predictis litteris auctoritatis non continetur expresse quicquid de confiscatione et apprehensione bonorum, absolutione vassallorum a iuramentis, forbannitione de terra ecclesie et quibusdam aliis magnis penis expositione scilicet personarum citra periculum etc. incursu infamie, inhabilitate testandi et similibus que ad présens supplenda non vidimus, quousque plus de vestro processu et negotii qualitate sciamus. Et specialiter de responsione per Adenulfum cognatum nostrum nobis facienda non tantum verbaliter sed potius cum effectu. Volumus tamen quod quantum expedire videritis sibi premissa cominemini, dicentes quod si eum in hoc facto non experimur consanguineum vel affinem, quod in nostris processibus nos affinem vel consanguineum non expectet. Unde quicquid super inpinguatione vestre potestatis vobis videbitur nobis quantum oportunum putaveritis rescribatis. Dat. Suriano idibus julii pontificatus nostri anno tertio et sigillata sigillo piscatoris. »

858 Soriano, 21 juillet 1280

Neapoleonem de filiis Ursi subdiaconum et capellanum suum, canonicum Parisiensem, qui se nuper ad civitatem Parisiensem pervenisse scripsit, hortatur quatinus ipsius status decentia et honestate servatis, virtutibus crescat et meritis. (Fol. 130; an III, n° 68.)

« *Nicolaus etc. Dilecto filio Neapoleoni de filiis Ursi subdiacono et capellano nostro canonico Parisiensi etc.* Nuper et litterarum tuarum presentatarum nobis tenore percepimus te ad civitatem Parisiensem prospere per Dei gratiam pervenisse, quod eo est sensibus nostris acceptius quo fecundius in civitate ipsa, in qua doctrina scientiarum exuberat, virtutum flores succrescere dinoscuntur et fructus illos querentibus afferunt ac tua inibi conversatio cum modestis, prudentibus et peritis majorem spem nobis de tuis profectibus repromictit. Et quidem volumus te non juvenili set jam superne perfectionis supplectione sana provisione conspicere ac continua rememoratione infra tua precordia retinere quid apud Deum et homines ex virtutum claritate reluceat, quid in hominibus scientiarum imbuta pectora resonent, quid ex illis auriant talia consecuti et qualiter sic dotati radiis claritatum illuminent defectivos. Nec advertere desinas immo ymaginativa retentione tue menti conscribas quo malleo desides feriuntur, dum gloriari vident assiduos laudabilium operum sectatores et quante anxietatis incomodum opprimit negligentes querere gratias, quas earum dispensator munificus illas querentibus liberaliter elargitur, si tandem studiosis exultantibus se subesse conspitiunt et ex defectu subjectos, et ut prosperius ad statum perfectionis hujusmodi divina tibi clementia propitiante pervenias, divinis intendas offitiis, illa tam ad supernorum gloriam quam pro implorandis remediis peccaminum defunctorum et benefactorum tuorum devote, clare, distincte et intelligibiliter, quantum Dominus dederit celebrando et attendens quod de patrimonialibus et aliis acquisitis largitori bonorum omnium debetur debitum, ut de ipsis subveniatur congrue pauperibus et egenis, de bonis ecclesiasticis que proveniunt de patrimonio Redemptoris sis elemosinarum exhibitione munificus et illum a quo cuncta percipis mente, animo et in exhibendis indigentibus mane largiflua contempleris. Et conversationem continuans virorum laudabilium virtutum claritate fulgentium claris eorum actibus informeris, exclusis a te conversationibus levium personarum et semper animum tuum ad salubria dirigens, mentem tuam studio applices litterarum, modestiam serves in gestibus et in tuis progressibus honestatem. Et quia modestia et virtutes alie potissime in sobrietate fundantur, convivia frequentia tam recipiendo ab aliis quam etiam faciendo quanto modestius

poteris evitare te cupimus, tui status decentia et honestate servatis, volumus enim quod in quibus secundum Deum poteris bonis moribus patrie et honestarum et gravium personarum consuetudinibus te conformes. Sic tamen ut in eo quod in te forsan a nonnullis in hujusmodi ex tua qualitate requiritur, temperare te studeas quod in te circa hec nec notabilis defectus appareat nec excessus, sed providus modestia comproberis. Premissa unquam de patris pectore colligas et collecta retineas, ut virtutibus crescas et meritis et si facultatibus affluas recongnoscas in hiis piis operibus et helemosinis ut predicitur munerum largitorem, discens secundum beatum Ambrosium non in facultatibus crimen herere sed in hiis qui uti nesciunt facultatibus, nam divitie ut impedimenta in improbis ita in bonis sunt adjumenta virtutis. Dat. Suriano xii kalendas augusti pontificatus etc. ».

859 Soriano, 23 juillet 1280

Magistro Benedicto notario et Urso marescalco, quorum reditum nuper cognovit, de sollempni promulgatione excommunicationis sententie et aliis circumstantiis scribit. (Fol. 131; an III, n° 69.)

Nicolaus, etc. Dilectis filiis Benedicto notario et Urso marescalco nostris etc. Vester ut intimastis reditus placet nobis sed et placuisset et decens forsan fuisset et utile ut tu magister Benedicte sollempniter et publice excommunicationis sententiam promulgasses in omnes qui sciunt seu scient in posterum, aut aliqua super negotio ipso que vera credant, habent vel habebunt inditia, nisi ea nobis infra certum terminum revelarent, conceptis ad hoc verbis congruis ut negotii qualitas exigit et requirit. Placet quoque nobis ut persone ille de quibus scripsistis nec ad nos nec ad locum in quo sumus aliquatenus adducantur. Dat. Suriano x kalendas augusti silicet die martis circa vesperas, pontificatus nostri anno tertio, piscatoris anulo sigillata ».

860 Soriano, 30 juillet 1280

Episcopo Tripolitano significat per se et fratres suos esse provisum quod J. tituli S. Potentiane presbiter cardinalis ad partes Alamannie cum plene legationis officio destinetur; vult quod litteras per ipsum secreto tenendas et pro favore ipsius regis Romanorum sub certis modis et formis regi et principibus presentendas secretius conservare studeat, et illas sibi reportare. (Fol. 131; an III, n° 70.)

« *Nicolaus. etc. Venerabili fratri... episcopo Tripolitano.* Tue sollicitudinis studia et labores, quibus circa commissa tibi negotia prudenter invigilas, benigne satis attendimus, nec avertimus a tuis aciem nostre mentis incomodis, que te ferre conspicimus, sed illa tecum caritativa compassione sentimus et cupimus quod nos et tu exinde ad laudem altissimi obtata gaudia consequamur ad quod fiduciam nostram sub spe patris eterni dirigimus. Nam a nobis nuper carissimorum in Christo filiorum nostrorum R. Romanorum et C. Sicilie regum illustrium nuntiis expeditis, grati successus eorum que aguntur ut nosti finem prosperam repromittunt, ita quod ex tuis laboribus dante Domino reportabis solamina lenitiva. Conforteris igitur ut prudens et diligens ac constantie vigorem assumens inibi te non tedeat expectare, saltem donec tractata sponsalia compleantur, quibus completis et circa illa tractatibus habitis solidatis ad nos aliis qui tunc venturi fuerint non expectatis redire poteris, ut nobis prenunties que facta usque nunc extiterint, et totius negotii qualitatem. Ceterum est diebus istis per nos et fratres nostros cum multa deliberatione provisum quod dilectus filius noster J. tituli Sancte Potentiane presbiter cardinalis ad partes illas cum plene legationis officio destinetur, ut per eum negotiis et populis salubriter dante Domino consulatur. Quare volumus quod litteras per te secreto tenendas et tandem pro favore ipsius regis Romanorum sub certis modis et formis tibi et principibus presentandas secretius conservare studeas et illas nobis absque detectione secreti hujusmodi reportare. Talem in omnibus diligentiam habiturus, quod ex tuis actibus optati fructus appareant tuque post labores letus exurgens tandem nobis et aliis cum palma exultationis et gaudii presenteris. Dat. Suriano iii kalendas augusti. »

861 Soriano, 20 août 1280

Consilio et communi Senensibus de gravi infirmitate potestatis eorum nobilis viri N. de Palumbaria scribit,

et eos hortatur quatinus velut viri sagaces et providi et utilitatis publice zelatores ad ea unanimi voluntate se dirigant que Deo sint placita et ex quibus civitati ipsorum prosperi status commoda subsequantur. (Fol. 131 v°; an III, n° 71.)

« *Nicolaus. etc. dilectis filiis consilio et communi Senensi.* Ingrati rumoris infesta narratio qua dilectum filium nobilem virum N. de Palumbaria potestatem vestram corporis infirmitate gravari nuper accepimus non solum ex necessitudine sanguinis qua nobis astringitur nos turbavit set ex civitatis vestre domestica consideratione regiminis, que nostris frequenter occurrit affectibus, perfudit amaritudine mentem nostram presertim cum intellexerimus ipsum prout ex nonnullis inditiis sub tanta brevitate temporis, quo regimini vestro prefuisse dinoscitur, satis evidenter apparuit honoris et boni status civitatis ejusdem in hiis maxime que ad reformationem pacis et concordie pertinent fore fervidum zelatorem. Propter quod tanto menti nostre foret acceptius ut idem cum divino beneplacito ejusdem regiminis sibi commissum exequi posset officium, quanto ipsius ad id studiosum affectum fore confidimus et per ipsius circumspectionis industriam civitati eidem multiplicia commoda provenire speramus. Et ideo non immerito si tamen adhuc sue virtute clementie locus est precibus supplici voto rogamus altissimum ut ipse qui percutit et medetur, vulnerat et sanat ut expedit ipsum pristine sanitati ad sui nominis laudem et gloriam de solita pietate restituat, si ipsius spirituali saluti magis appetende quam corporis noverit expedire. Verumque quid super ipsius vita vel obitu divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit ignoramus, et ob hoc expediens fore dinoscimus ut ad id quod nature conditionis ex debito posset accidere, paterne suggerente pietatis officio nostra sollicitudo vos muniat, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente quatenus si quid juxta divine pietatis arbitrium de nobile predicto contingat humanitus corda vestra non decidantur nec animi consternantur, set velud viri sagaces et providi et utilitatis publice zelatores, eorum que imminent et imminere possent in posterum negotiorum qualitate pensata, ad ea pari voto et unanimi voluntate, vestrarum mentium dirigatis intuitum, que Deo sint placita, et ex quibus tam quo ad futuri provisionem regiminis quam alia que facienda ingruerint, vobis et civitati predicte prosperi status commoda subsequantur. Hoc autem specialiter affectamus quod inter cetera nostra presertim dirigatur intentio ut ex vestris processibus profugato quolibet obice in civitate predicta quo ad ipsius cives et incolas tranquille pacis dulcedo proveniat, studiosius attendendo quam sit fructuosum et utile bonum pacis, quam sit jocundum, Deo placidum et gratum hominibus in ejusdem urbis gremio cohabitare concordes. Sic itaque nostra tam salubria monita efficaciter adimplere curetis quod nobis cedat ad gaudium et vobis ad commodum et honoris augmentum, scituri quod si quis quod absit monitionum nostrarum que ex sincera dilectione proveniunt temerarius obauditor odibilis Deo discordie seminator aut promotor extiterit a Deo nisi resipuerit eterne ultionis penam excipiet et nichilominus nostram et apostolice sedis indignationem et temporalis vindicte censuram merito poterit formidare. Dat. Suriano XIII kalendas septembris. »

Nicolaus et cetera.

Bordeaux. — Imprimerie J. Bière, 18, 20, 22, rue du Peugue.

BIBLIOTHÈQUE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
PUBLIÉE
SOUS LES AUSPICES DU MINISTÈRE DE L'ÉDUCATION NATIONALE

LES REGISTRES DE NICOLAS III

(1277-1280)

RECUEIL DES BULLES DE CE PAPE
PUBLIÉES
PAR

Jules GAY

CINQUIÈME FASCICULE
PUBLIÉ
PAR

Suzanne VITTE
Archiviste aux Archives Nationales
Ancien membre de l'Ecole Française de Rome

SUPPLÉMENT - TABLES

PARIS
E. DE BOCCARD, ÉDITEUR
LIBRAIRE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
1, Rue de Médicis
1938

AVANT-PROPOS

M. le Professeur Gay de l'Université de Lille avait décidé de compléter la publication des registres de Nicolas III par celle d'un cinquième fascicule qui aurait contenu le texte de bulles non enregistrées, des tables et une introduction donnant la description des manuscrits et un exposé des problèmes soulevés par l'histoire du pontificat de Nicolas III. L'ouvrage commencé fut interrompu par la mort prématurée de M. Gay et l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres voulut bien me confier le soin de le terminer.

On a trouvé, dans les papiers laissés par M. Gay, la copie de vingt-six bulles, préparée pour l'impression, et quelques notes prises en vue de l'exposé historique, trop incomplètes malheureusement pour qu'on pût essayer d'en tirer parti sans craindre de trahir ses intentions. Les pages qui suivent ne contiennent donc que la description des registres et quelques indications sur la provenance des bulles publiées à la suite de ceux-ci.

Les registres des lettres de Nicolas III constituent deux manuscrits cotés 39 et 40 dans la série des registres des papes conservée aux Archives Vaticanes[1].

Le manuscrit 39 est composé de 274 feuillets de parchemin, mesurant 360 mm. sur 270 mm., numérotés anciennement, en chiffres romains, de 1 à 277 et répartis en cahiers de 8, 10 ou 12, avec réclames. Les feuillets 58, 62 et 102 ont disparu ; les feuillets 55, 57, 61, 113, 210, 211, 213, 226, 227, 263 à 267, 269, 270, 271, 277 sont blancs, ainsi que deux feuillets non numérotés du début. L'écriture du volume n'est pas uniforme ; on peut distinguer les mains de plusieurs copistes, de la fin du XIIIe siècle. Ce manuscrit est orné de rubriques et de lettrines bleues et rouges. Les pièces ont été numérotées anciennement par registre, en chiffres romains, puis ensuite par année en chiffres arabes. La reliure est en cuir rouge aux armes d'Innocent XII Pignatelli.

Dans ce manuscrit, les lettres écrites pendant les trois années du pontificat sont réparties en six registres (deux par année, l'un consacré aux lettres communes, l'autre aux lettres curiales) dont seuls les trois derniers sont précédés d'une table. On trouve donc successivement du fol. 1 au fol. 70, le registre des lettres communes pour la première année, puis, du fol. 63 au fol. 111, celui des lettres curiales pour cette même période ; du fol. 114 au fol. 209 le registre des lettres communes de la deuxième année, et du fol. 212 au fol. 223 celui des lettres curiales, précédé d'une table. Enfin, les lettres communes et curiales de la dernière année occupent respectivement , avec leurs tables, les feuillets 224 à 262 et 268 à 275. Le nombre des pièces ainsi conservées est de 680.

Le registre Vatican 40, relié également aux armes d'Innocent XII, est composé de 139 feuillets de parchemin, dont un blanc au début, numérotés anciennement de I à CXXXV, répartis en cahiers de huit feuillets

1. Cf. Kaltenbrunner, *Die papstlichen Register des XIII Jahrhunderts*, dans *Mittheil. d. Inst. f. œster. Geschichtsforschung*, v, 1884, p. 213 à p. 294. On y trouvera notamment une étude très complète du registre 40, p. 263.

et couverts d'une écriture du type *epistolaris*, de la fin du XIIIe, mais non uniforme. Ce manuscrit est dépourvu d'ornementation.

Il contient 182 lettres secrètes, consacrées aux affaires politiques de haute importance traitées par Nicolas III, et groupées comme celles du volume précédent par années. Les trois premiers feuillets, non numérotés, donnent les tables des deux premiers registres, qui occupent les folios 1 à 50, et 51 à 85. Celui de la dernière année est copié du fol. 86 au fol. 131.

Nous donnons, dans un premier appendice, le texte de 39 bulles dont vingt proviennnent des Archives nationales ou de la Bibliothèque nationale[1]. Les autres sont empruntées aux recueils du notaire pontifical Bérard Caraccioli de Naples[2] ; ces pièces, connues en général par plusieurs manuscrits[3], ne sont pas toutes datées, aussi n'a-t-on pu les présenter dans un ordre rigoureusement chronologique. Quant au texte, nous avons reproduit, de préférence, celui du manuscrit Vatican latin 6735, et, à son défaut, nous avons eu recours au registre 29A des archives vaticanes ou au manuscrit latin 4311 de la Bibliothèque nationale.

Le deuxième appendice contient, dans l'ordre chronologique, des analyses de bulles empruntées à diverses collections imprimée : *Regesta pontificum Romanorum*, de Potthast ; *Cartulaire de l'ordre des Hospitaliers de Jérusalem*, publié par Delaville Le Roulx ; *Table chronologique des chartes et diplômes imprimés concernant l'histoire de Belgique*, de Wauters.

1. Il peut encore exister d'autres bulles de Nicolas III dans des dépôts d'Archives qui n'ont malheureusement pu être explorés.

2. Cf. sur cette importante collection, les études de L. Delisle ; *Notice sur cinq manuscrits de la Bibliothèque nationale et sur un manuscrit de la Bibliothèque de Bordeaux contenant des recueils épistolaires de Bérard de Naples*, dans *Not. et extr. des mss.*, 1879, t. XXVII, II, pp. 87 à 157, et de Kaltenbrunner, *Die Briefsammlung des Berardus de Neapoli*, dans *Mittheil. des Inst. f. oester., Geschichtsforschung*, VII (1885-1886), p. 21-118 et 515-635.

3. On en trouvera la liste dans l'article de Kaltenbrunner signalé ci-dessus.

APPENDIX I

862 Viterbe, 28 novembre 1277.

Nicolaus electus episcopus C. regem Sicilie de sua in Romanum pontificem promotione certiorem facit, eique de febrili discrasia compatitur ; nuntium ei remittit, Sansonecto serviente suo itineris comite ipsi dato. (Bibliothèque Vaticane, lat. 6735, fol. 117, nº 155 ; Potthast, 21258).

« *Nicolaus electus episcopus etc. Regi Sicilie illustri etc.* Incensus sincere caritatis affectus nec legi potest facile subici nec consuetudinis cujusquam regula coartari. Quis autem sic incenditur ut paternum excedat affectum, hic proculdubio fili carissime a nobis exegit ut, Ecclesie Romane que solet ex more servare quod littere novam promotionem Romani pontificis nunciantes alios ipsius presertim ad principes licteratorie precedant visitationis affatus observancia non servata, excellentie tue prius scriberemus ut pater quantum nos prout est ex alto permissum in tuum et universalem patrem nuntiaremus assumptum. Ad nos siquidem perlato rumore de febrili discrasia que te diebus aliquibus dicitur molestasse, simul et multe sollicitudinis se ingessit instantia ut de votiva incolumitate tam cari filii patris votis indubia satisfaceret certitudo. Propter quod dilectum filium magistrum S. celsitudinis tue nunctium ad tuam presentiam cum celeritate quam novitas hujusmodi nostre assumptionis nec occupationibus vacua nec a concurrentium tumultibus aliena permisit duximus remictendum, aliquaque sibi magnificentie regali ad jocunditatis augmentum referenda commisimus relaturum, dilecto filio Sansonecto serviente nostro itineris comite sibi dato, ut per eum tam vive vocis ministerio quam litterarum tuarum oraculo tui status quem virtus Altissimi prosperare faciat et conservet celeriter et certitudinaliter relata prosperitas ansium patris animum de filii salute letificet et grata restitute sanitatis relatione sollicitudine sedata quietet. Nec mireris etc... Datum Viterbii quarto kalendas decembris suscepti a nobis apostolatus officii anno primo ».

863 Saint-Pierre, 13 décembre 1277.

Ejusdem regis Sicilie litteris respondet, de ipsius salute notitiam exspectat ; circa insigne quoddam negotium ipsum contingens jam procedit. (Bibliothèque Vaticane lat. 6735, fol. 120, nº 157 ; Potthast, 21732).

« *Regi Sicilie illustri.* Regalis excellentie lictere, post gratias de paterna erga te sollicitudine filiali gratitudine devote relatas, ut affectui nostro de tui status continentia certitudinem expectanti expressione satisfacerent[1] veritatis, infirmitatis tue processum seriosius retulerunt, te vexatum pluribus tertiane accessionibus exprimentes et cum liberatus reputareris ab illa recidisse in infirmitatis similis recidivum, de quo tamen judicio medicorum speras in proximo liberandum. Sane, fili carissime, relationis hujusmodi series prout facti qualitas ministravit adversis commixtis et prosperis de te rumores alternans in eorum auditione, simul et audientis animum alternabat illum letificando in prosperis et amaricando non modicum in adversis. Amaricabunt siquidem patris intima considerata etiam exacte infirmitatis incomoda, sed assertio supervenientis post illius exitum recidivi molestias gravioris amaritudinis ingerebat. Et quamquam illam spes de liberatione proxima mitigaret, nichilominus tamen in hoc amoris paterni sinceritas timore plena sollicito non quiescit donec eo qui vulnerat et medetur misericorditer faciente spei hujusmodi rem successisse[2]

1. Ms : satisfaceret.
2. Ms : successive.

votivam sibi certius innotescat. Ideoque dilectum filium Sansonectum servientem nostrum latorem presentium cum festinantia multa remittimus, serenitatem regiam rogantes instanter quatenus prudenter attendens quod animo sitienti nil satis festinatur sed ei mora est etiam ipsa celeritas, per eundem Sansonectum celeriter expeditum, vel per alium si eum forsan contigerit impediri, restitute tibi sanitatis gratiam ex Alto concessam, sicut de divina clementia et earumdem litterarum tuarum assertione speramus, cum aliis circumstantiis inserendis festina nobis renunties responsiva. Ceterum affectuose rogamus et petimus ut, dum tibi debilitas vel alie infirmitatis reliquie qualescunque supersunt omnem a te negotiorum sollicitudinem abducas [et] omnem curam de hiis que ad anime pertinent, corporisque salutem tantummodo curaturus tuum in nos post Deum iactes fiducialiter cogitatum, sciturus quod quantum ipsius beneplacito congruet nostrique officii debitum patietur libenter pro tui exaltatione nominis pro tuis promovendis utilitatibus dispendiisque vitandis sollicitudinem intendimus prosequi prout res exegerit oportunam; super quo ex hiis ad que in tuam cito deducenda[1] notitiam nec alicujus precibus aut supplicationibus excitati nec instantia vel requisitione preventi jam circa insigne quoddam negotium non leviter procul dubio te contingens et nostre occurens considerationi processimus efficax et evidens sumere poteris argumentum, nec mireris etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum idibus decembris suscepti a nobis etc. ».

864 Saint-Pierre, 13 décembre 1277.

C. principem Salernitanum, regis Sicilie primogenitum, cujus visitationem exspectabat, hortatur quatenus ab eodem patre non recedat, donec sanitati fuerit restitutus, sed ei sedulus et studiosus assistat. (Bibliothèque Vaticane, lat. 6735, fol. 120 v°, n° 158; Potthast, 21733).

« *Dilecto filio nobili viro C. principi Salernitano, carissimi in Christo filii nostri illustris regis Sicilie primogenito.* De tue devotionis sinceritate supponimus quod tamquam benedictionis filius libenter nostris te presentares aspectibus nosque cum multo desiderio in hac nostre promotionis novitate corporali presentia visitares. Et quidem licet et nos gratanter tuo letaremur aspectu, considerantes tamen quod nec decet nec expedit ut carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Sicilie genitorem tuum dum alicujus discrasie molestatur angustia vel debilitatis incomoda experitur ex illa in tali articulo deseras sed ei potius officio filialis sedulitatis assistas, nobilitatem tuam monemus, rogamus, hortamur ac per apostolica scripta mandantes quatenus pensato prudenter quod cum sinceris affectibus locorum interstitia non resistant, corporum non obstante distantia, mentis a te visitari speramus obtutibus et te ipsum etiam visitamus, ab eodem genitore tuo donec sanitati et viribus plenarie fuerit restitutus hujusmodi visitationis nostre pretextu aliquatenus non recedas, sed ei circa ipsius curam et alia ejus statui oportuna pervigili diligentia sedulus et studiosus assistas. Speramus enim in Domino quod tua sibi accepta sedulitas gratumque eidem obsequium eidem cooperabitur ad salutem. Nec mireris etc. Dat. ut supra ».

1. Ms : sunt deducenda.

865 Saint-Pierre, 15 janvier 1278.

Preposito ecclesie de Barjol, Forojuliensis diocesis, mandat quatinus bona Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in Provincia illicite alienata vel districta ad ejusdem jus revocare studeat. (Archives nationales, M[2] n° 6, vidimus du 3 décembre 1278 d'un notaire du comté de Provence).

« *Nicholaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio preposito ecclesie de Barjol Forojuliensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem.* Ad audientiam nostram pervenit[1] quod tam dilecti filii priores et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jero[so]limitani in Provincia quam predecessores eorum decimas castra villas terras vineas domos possessiones molendina nemora prata pascua piscarias redditus jura[2] juridicciones et quedam alia bona ad Hospitale ipsum spectancia, datis super hoc litteris clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo, ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui litteras confirmacionis in forma communi super hiis a sede apostolica impetrasse dicuntur. Cum igitur nostra intersit super hoc de oportuno remedio providere discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ea que de bonis ad dictum Hospitale spectantibus per concessiones hujusmodi alienata inveneris illicite vel districta non obstantibus litteris juramentis renunciationibus penis et

1. Ms : pervenerit.
2. Ms : juxta.

confirmacionibus supradictis ad jus et proprietatem ejusdem Hospitalis legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Rome apud Sanctum Petrum decimo octavo kalendas februarii pontificatus nostri anno primo ».

866 Saint-Pierre, 18 janvier 1278.

Omnes libertates et immunitates a pontificibus seu regibus vel principibus domui Militie Templi Jerosolimitani concessas confirmat. (Archives nationales, L 266, n° 1, original ; Delaville le Roulx, *Cartulaire*, n° 3647).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis magistro et fratribus domus Militie Templi Jerosolimitani salutem et apostolicam benedictionem.* Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris romanis pontificibus per privilegia vel indulgentias domui vestre seu vobis concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus seu principibus ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas sicut eas juste ac pacifice obtinetis vobis et per vos eidem domui auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome, apud Sanctum Petrum, quindecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo ».

867 Saint-Pierre, 19 janvier 1278.

S. tituli S. Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato significat se in die b. Katerine per viam scrutinii ad conscendendam apostolice dignitatis speculam unanimiter electum esse ; ejus orationes postulat. (Bibliothèque vaticane, lat. 6735, fol. 121, n° 159 b. ; Bibliothèque nationale, lat. 4311, n° 155, fol. 122 r° ; Bibliothèque de Bordeaux, 761, n° 608, fol. 224 v° ; cf. Registres n° 1).

« *Dilecto filio S. tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali apostolice sedis legato.* Immense Deus potentie etc... usque solidabit. Ad illius itaque auxilium obtinendum desiderantes orationum tuarum opitulatione juvari, sinceritatem tuam monemus et obsecramus in Domino quatenus ad tanti ponderis sarcinam supportandam imbecillitati nostre devotis orationibus et placationum uberum frequentibus oblationibus officiosus assistens ab illo qui eam nobis imposuit seu potius forsan imponi permisit una nobiscum humili et sedula instantia supplicationum implores ut qui ex pretactis nostris defectibus sub ejusdem sarcine onere premimur ipsius Omnipotentis munere sublevemur nobisque ipse largitor bonorum omnium sic illam ad sui laudem et gloriam, nostram populique sui salutem portare sua pietate concedat quod eadem pia mater ecclesia filios suos numero et merito nostris multiplicari temporibus glorietur. Ceterum sincere caritatis affectum quem ad personam tuam ab olim gessimus dum nos minor status haberet impositum nobis patris officium ampliat sicque illum suggerit in tuis oportunitatibus exerceri ut tuus honor et status per nos in quibus secundum Deum poterimus oportunis favoribus amplietur ».

868 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Omnes libertates et immunitates a pontificibus seu regibus vel principibus conventui monasterii Vallis Beate Marie, Cisterciensis ordinis, Parisiensis diocesis concessas confirmat. (Archives nationales, L 266, n° 2, original).

Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Vallis beate Marie Cisterciensis ordinis Parisiensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur... Datum Rome, apud Sanctum Petrum, nonis aprilis, pontificatus nostri anno primo ».

869 Saint-Pierre, 7 mai 1278.

Omnes libertates immunitatesque a pontificibus seu regibus vel principibus magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani concessas confirmat. (Archives nationales, L 266, n° 3 ; Delaville le Roulx, *Cartulaire*, n° 3659 ; original).

Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis.. magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani salutem et apostolicam benedic-

tionem. Cum a nobis petitur... — Datum Rome, apud Sanctum Petrum, nonis maii, pontificatus nostri anno primo ».

870 Saint-Pierre, 1er juin 1278.

Abbati et conventui monasterii Vallis Sancti Lamberti Cisterciensis ordinis, Leodiensis diocesis, omnes libertates, immunitates exemptionesque confirmat. (BIBLIOTHÈQUE NATIONALE, lat. 9305, nº 46, original).

Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis abbati et conventui monasterii Vallis Sancti Lamberti Cisterciensis ordinis, Leodiensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes... Datum Rome, apud Sanctum Petrum, kalendis junii, pontificatus nostri anno primo ».

871 Viterbe, 1er juillet 1278.

Omnes libertates immunitatesque a pontificibus seu regibus vel principibus conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis concessas confirmat. (ARCHIVES NATIONALES, L 266, nº 4; original).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis.. abbati et conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, salutem et apostolicam benedictionem.* Cum a nobis petitur... Datum Viterbii, kalendis julii, pontificatus nostri anno primo ».

872 Viterbe, 1er août [1278].

Fratri Bartholomeo de Bononia, de ordine Minorum, pagine sacre doctori, quem elegit ad negotium unionis inter Latinos et Grecos in partibus Romanie prosequendum, mandat quatinus celeriter ad presentiam suam venire procuret. (ARCHIVES VATICANES, reg. 29 A, fol. 204, nº 378; POTTHAST, 21454).

« *Nicolaus episcopus, etc... Dilecto filio fratri Bartholomeo de Bononia de ordine Minorum, pagine sacre doctori.* Ad negotium unionis tractate inter Latinos et Grecos prosequendum in partibus Romanie proponimus aliquos viros ydoneos celeriter destinare, inter quos te scientie dono et aliis virtutibus tibi collatis a Domino attente pensatis duximus eligendum, presentium tibi auctoritate mandantes quatenus omni mora postposita, cum quanta potes celeritate ad presentiam nostram venire procures. Datum Viterbii, kalendis augusti ».

873 Viterbe, 18 août 1278.

Inhibet ne quis occasione cujusdam male consuetudinis capitulum ecclesie Parisiensis molestet ac ejus ecclesie bona detineat. (ARCHIVES NATIONALES, L 266, nº 5; original).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem.* Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod nonnulli clerici et laici, asserentes se in vos aliquid questionis habere, aliquando canonicos interdum clericos ecclesie vestre et nonnunquam animalia et alia bona ejusdem vestre ecclesie pretextu cujusdam prave consuetudinis temeritate propria vadiare invadere ac tamdiu detinere presumunt, donec sit eis de hujusmodi questionibus juxta ipsorum beneplacitum satisfactum. Quamquam jurisdictionem qua hoc facere possint in vos non habeant ordinariam vel etiam delegatam, cum itaque judicialis vigor sit ideo in medio constitutus ut nemo sibi audeat presumere ultionem et ob hoc tamquam nullo jure subnixum non sit aliquatenus tolerandum, nos volentes quieti vestre consulere ac predictorum maliciis obviare, auctoritate presentium districtius inhibemus ne quis occasione predicte consuetudinis vobis memoratas inferre molestias ac bona ecclesie memorate absque juris ordine occupare, vadiare seu quomodolibet detinere presumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, quindecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo ».

874 Viterbe, 18 août 1278.

Omnes libertates immunitatesque a principibus seu principibus capitulo ecclesie Parisiensis concessas confirmat. (ARCHIVES NATIONALES, L 266, nº 6; original).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Parisiensis salutem et apostolicam benedictionem.* Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et vota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates per privilegia et alias indulgentias romanorum pontificum

predecessorum nostrorum ecclesie vestre concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis et ecclesie vestre indultas sicut eos juste ac pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem vestre ecclesie auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii quindecimo kalendas septtembris, pontificatus nostri anno primo ».

875 Viterbe, 19 septembre 1278.

Philippo regi Francorum indulget ut si flagitiosos clericos, in certis casibus detineri faciat, excommunicationis sententiam non incurret. (Bibliothèque nationale, Dupuy 763, n° 55).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum illustri salutem et apostolicam benedictionem.* Clara merita tue serenitatis exposcunt ut quod a nobis suppliciter postulas ad exauditionis gratiam quantum cum Deo possumus admittamus. Regiis itaque precibus benignum impertientes assensum, ut si contingat te aliquos flagitiosos clericos propter notoria crimina homicidii vel mutilationis aut alterius enormis facinoris seu etiam publice diffamatos, de quorum fuga vel evasione probabili timeatur, facere detineri, non ut in ipsos jurisdictionem usurpes sed ut celeriter Ecclesie significetur et demum ad ipsius restituantur mandatum, ne crimina remaneant impunita, propter hujusmodi captionem clericorum ipsorum, te confestim hoc significante Ecclesie et captivos ad ipsius mandatum reddente, persona tua excommunicationis sententiam non incurrat, auctoritate tibi presentium non per hoc dantes aliquatenus licentiam clericos ipsos taliter capiendi nec detentionem etiam hujusmodi approbantes duximus indulgendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, xiii kalendas octobris, pontificatus nostri anno primo ».

876 Saint-Pierre, 15 novembre 1278.

Conventui monasterii Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis, indulget ut quibusdam apostolicis privilegiis neglectis de cetero uti valeat. (Archives nationales, L 266, n° 12 ; original ; Potthast, 21484).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis.. abbati et conventui monasterii Sancti Dionisii in Francia ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem.* Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod, licet monasterium vestrum quampluribus apostolicis privilegiis et indulgentiis sit munitum, quibusdam tamen ex illis per negligentiam uti hactenus omisistis. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, volentes indempnitati ejusdem monasterii paterna in hac parte sollicitudine precavere, vobis auctoritate presentium indulgemus ut eisdem indulgentiis et privilegiis dummodo eis non sit per prescriptionem vel alias legitime derogatum de cetero uti libere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome, apud Sanctum Petrum, decimo septimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo ».

877 Saint-Pierre, 23 janvier 1279.

Abbati Sancti Andree Avinionensis mandat quatinus bona ordinis Cluniacensis que alienata illicite seu distracta in provincia Arelatensi invenerit, ad jus monasterii et prioratuum ejusdem ordinis revocare faciat. (Bibliothèque nationale, Bourgogne 82, n° 351).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio.. abbati Sancti Andree Avinionensis salutem et apostolicam benedictionem.* Ex parte dilecti filii.. abbatis Cluniacensis nobis extitit intimatum quod tam abbates et priores qui fuerunt pro tempore ac conventus Cluniacensis quam priores et conventus prioratuum Cluniacensis ordinis monasterio Cluniacensi pleno jure in Arelatensi provincia subjectorum domos grangias prata nemora molendina possessiones redditus vineas jura jurisdictiones et quedam alia bona eorumdem monasterii et prioratuum datis super hoc litteris confectis exinde publicis instrumentis factis renunciationibus juramentis interpositis et penis adjectis nonnullis clericis et laicis aliqui-

bus eorum ad vitam quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo pro sue voluntatis arbitrio in gravem ipsorum monasterii et prioratuum lesionem concedere presumpserunt quorum aliqui dicuntur super hiis confirmationis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse. Quare idem abbas nobis humiliter supplicavit ut ipsis monasterio Cluniacensi et prioratibus super hoc providere paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque ipsius abbatis supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ea que de bonis eorumdem monasterii et prioratuum per concessiones hujusmodi alienata inveneris illicite vel distracta non obstantibus litteris instrumentis juramentis renunciationibus penis et confirmationibus supradictis ad jus et proprietatem ipsorum monasterii et prioratuum legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Rome, apud Sanctum Petrum, decima kalendas februarii, pontificatus nostri anno secundo ».

878 Saint-Pierre, 13 février 1279.

Fratrem Johannem magistrum ordinis Predicatorum ab injuncto ipsi onere regiminis ecclesie Jerosolimitane absolvit, sed a cura magisterii ejusdem non intendit eum absolvere. (Archives vaticanes, Reg. 29 A, fol. 129, n° 218 ; cf. reg., n° 419).

« *Nicolaus etc... Fratri Johanni magistro ordinis Predicatorum.* Sincerus ad personam tuam affectus... Datum Rome apud Sanctum Petrum idibus februarii anno secundo.

879 Saint-Pierre, 12 mai 1279.

Conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis concedat ut, cum generale terre fuerit interdictum, januis clausis divina officia celebret. (Archives nationales, L 267, n° 16 ; original).

Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis.. abbati et conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis vestre precibus benignum impertientes assensum, auctoritate vobis presentium indulgemus ut, cum generale terre fuerit interdictum, liceat vobis januis clausis, quibuslibet aliis presertim excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis ac submissa voce, divina offitia celebrare dummodo causam non dederitis interdicto nec id vobis contingat specialiter interdici. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome, apud Sanctum Petrum, quarto idus maii, pontificatus nostri anno secundo ».

880 Saint-Pierre, 12 mai 1279.

Conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis concedat ut quibusdam pontificalibus privilegiis temporibus retroactis neglectis de cetero uti valeat. (Archives nationales, L 267, n° 17 ; original).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, salutem et apostolicam benedictionem.* Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos et predecessores vestri qui fuerunt pro tempore quibusdam privilegiis et indulgentiis a predecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessis propter simplicitatem et juris ignora[n]tiam usi non fueritis temporibus retroactis, nos vestris supplicationibus inclinati, monasterii ejusdem indempnitati volentes in posterum precavere, utendi de cetero eisdem privilegiis et indulgentiis, dummodo eis non sit per prescriptionem vel alias legitime derogatum, auctoritate vobis presentium concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome, apud Sanctum Petrum, quarto idus maii, pontificatus nostri anno secundo ».

881 Saint-Pierre, 12 mai 1279.

Inhibet ne quis occasione cujusdam male consuetudinis conventui monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis molestias inferret ac dicti monasterii bona detineat. (Archives nationales, L 267, n° 18, ; original).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis.. abbati et conventui monasterii Sancti Germani*

de Pratis Parisiensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte vestra fuit propositum... Datum Rome, apud Sanctum Petrum, quarto idus maii, pontificatus nostri anno secundo ».

882 Viterbe, 27 septembre 1279.

Archiepiscopo Turonensi mandat quatinus fratres ordinis Predicatorum provincie Francie molestari non permittat. (ARCHIVES NATIONALES, L 267, nº 19 ; original).

Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri.. archiepiscopo Turonensi, salutem et apostolicam benedictionem. Sub religionis habitu vacantibus studio pie vite ita debemus esse propitii ut in divinis beneplacitis exequendis malignorum non possint obstaculis impediri. Cum itaque dilecti filii.. prior provincialis et fratres ordinis fratrum Predicatorum in provincia Francie, sicut ipsi nobis insinuare curarunt, a nonnullis qui nomen [Domini] in vacuum recipere non formidant multiplices patiantur injurias et jacturas, nos volentes eorumdem prioris et fratrum providere quieti et malignorum malitiis obviare fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eisdem priori et fratribus efficaciter presidio defensionis assistens non permittas eos contra indulta privilegiorum sedis apostolice ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si aliquibus a sede sit indultum eadem quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem attentius provisurus ne de hiis que cause cognitionem exigunt vel que indulta hujusmodi non contingunt te aliquatenus intromittas. Nos enim si secus presumpseris tam presentes litteras quam etiam processum quem per te illarum auctoritate haberi contigerit omnino carere viribus ac nullius fore decernimus firmitatis. Hujusmodi ergo mandatum nostrum sic prudenter et fideliter exequaris quod ejus fines quomodolibet non excedas, presentibus post triennium minime valituris. Datum Viterbii, quinto kalendas octobris, pontificatus nostri anno secundo ».

883 Viterbe, 27 septembre 1279.

Archiepiscopo Rothomagensi mandat quatinus fratres ordinis Predicatorum provincie Francie molestari non permittat. (ARCHIVES NATIONALES, L 267, nº 20 ; original).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri.. archiepiscopo Rothomagensi salutem et apostolicam benedictionem.* Sub religionis habitu vacantibus... Datum Viterbii, quinto kalendas octobris, pontificatus nostri anno secundo ».

884 Viterbe, 1er (?) octobre 1279.

Magistro et fratribus domus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani de Dist, Leodiensis diocesis, bona omnia possessionesque confirmat. (BIBLIOTHÈQUE NATIONALE, lat. 8999, nº 41 ; original bullé, très abîmé).

« *Nicolaus episcopus etc... Dilectis filiis magistro et fratribus domus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani de Dist, Leodiensis diocesis, salutem etc...* Justis petentium desideriis... Datum Viterbii, kalendis[1] octobris, anno secundo.

885 Saint-Pierre, 13 novembre 1279.

Cantori ecclesie de Chableys, Lingonensis diocesis, mandat quatinus causam pendentem inter conventum monasterii Beate Marie ad Moniales Suessionensis et quosdam canonicos ecclesie Sancti Petri in Foro Suessionensis audiat et decidat. (ARCHIVES NATIONALES, L 267, nº 21 ; original).

Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio.. cantori ecclesie de Chableys, Lingonensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Conqueste sunt nobis.. abbatissa et conventus monasterii Beate Marie ad Moniales Suessionensis, ordinis sancti Benedicti, quod Gobertus et Robertus dicti Vachete, Theobaldus dictus Fornarius, Johannes Renardi, Gerardus Tucanni, Sanso dictus Normannus, Johannes de Noviomo Draconi et Oudardus de Sancheri, canonici ecclesie Sancti Petri in Foro Suessionensis, super terris, debitis, possessionibus et rebus aliis injuriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari ; testes autem qui fuerint nominati si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Rome, apud Sanctum Petrum, idibus novembris, pontificatus nostri anno secundo ».

1. Lecture douteuse.

886 Saint-Pierre, 5 avril 1280.

Omnes libertates immunitatesque a pontificibus seu principibus conventui monasterii Sancti Mauri Fossatensis, Parisiensis diocesis, concessas confirmat. (Archives nationales, L 268, n° 22 ; original).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis.. abbati et conventui monasterii Sancti Mauri Fossatensis, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem.* Cum a nobis petitur... Datum Rome, apud Sanctum Petrum, nonis aprilis, pontificatus nostri anno tertio».

887 Soriano, 15 juillet 1280.

Omnes libertates immunitatesque a pontificibus vel principibus conventui monasterii Sancti Victoris Parisiensis concessas confirmat. (Archives nationales, L 268, n° 24 ; original).

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Sancti Victoris Parisiensis ordinis sancti Augustini, salutem et apostolicam benedictionem*. Cum a nobis petitur... Datum Suriani, idibus julii, pontificatus nostri anno tertio ».

888 Sans date.

Petro nato Ludovici regis Francie, comiti Alenczonii et Carnotensi, suam electionem significat eumque hortatur quatenus potestatem sic exerceat quod ministerio ipsius cooperationis efficaciter adjuvatur. (Bibliothèque Vaticane, lat. 6735, fol. 123, n° 159c ; Bibliothèque nationale, lat. 4311, n° 157, fol. 122 r° ; Bibliothèque de Bordeaux, 761, n° 609, fol. 224 v°.).

« *Dilecto filio nobili viro Petro nato clare memorie Ludovici regis Francie comiti Alenczonii et Carnotensi.* Immense Deus potentie etc... usque solidabit. Adicit quoque spei nostre suffragium tua ceterorumque magnatum considerata devotio quos et desideramus attentius et speramus fidentius sic ab illo per quem reges regnant et potentes scribunt justitiam in suis regiminibus dirigi quod ipsi[s] per vias rectas se ac sibi ducentibus subditos grex dominicus cure nostre commissus committentis virtute preambula in dilecta Domini tabernacula inducatur. Ideoque nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur in Domino in re tibi Petro suadentes quatenus prudenter attendens tibi ab eo cui data est omnis in celo et in terra potestas concessam esse in tibi subditos potestatem ut eos regas, vitia cohibeas, inserasque virtutes sic commissas in illos tibi partes prosequi studeas quod te pro viribus implente quod imminet in universalis injuncti nobis executione regiminis quoad tue dictioni subjectos, nobis onere partito sit levius et ministerio tue in hoc cooperationis adjuti efficaciter circa salutem omnium salutis actoris beneplacitum prosequamur ; illam vero de nobis certam te volumus habere fiduciam quod status tui prosperitatem paterno zelantes effectu (*sic*) ipsum conservare proponimus et in quibus cum Deo poterimus facultate succedente favorabiliter promovere ».

In e. m. scriptum est aliis comitibus.

In e. m. imperatori Constantinopolitano.

889 Sans date.

Archiepiscopis, episcopis et capitulo ecclesie Jerosolimitane et abbatibus ac aliis ecclesiarum prelatis per patriarchatum Jerosolimitanum constitutis eadem significat ; ad prosequendam generalem subventionem Terre Sancte instantius vacare intendit. (Bibliothèque vaticane, lat. 6735, fol. 123 v°, n° 159 d).

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis capitulo ecclesie Jerosolimitane et abbatibus ac aliis ecclesiarum prelatis per patriarchatum Jerosolimitanum constitutis etc...* Immense Deus etc... usque promovere. Sane affectum quem ad Terram Sanctam de inimicorum manibus eruendam et restituendam cultui christiano ab olim gessimus prosequentes, ab ipsis premisse nostre vocationis auspiciis ipsius precipue inter cetera contemplatione institimus nec adhuc instare desinimus ut principibus christianis, submotis inter eos dissentionum occasionibus, in vinculo caritatis sicut desideramus et de divina misericordia speramus unitis, ejusdem Terre negotium eo promoveretur utilius quo per ipsos eidem Terre potest efficacius subveniri cum eorum in hoc unita potentia faciliorem ipsius Terre liberationem Deo auspice repromittat. Estote itaque forti animo et alios ejusdem Terre incolas confortate : nos etenim ad prosequendam generalem subventionem Terre predicte non sine multis laboribus et pervigili studio ecclesie Romane dispositam instantius vacare prout oportunitas patietur intendimus et alias prout Dominus ministraverit providere. Cum autem etc... ».

890 Sans date.

Archiepiscopo Narbonensi, cujus nuntium et litteras recepit, occasione sue in Romanum pontificem promo-

tionis, gratias agit, et ipsi paterna benivolentia congaudet. (Bibliothèque vaticane, lat. 6735, fol. 123 v°, n° 160; Potthast, 21273).

« *Archiepiscopo Narbonensi.* Per nuntium et litteras quos nuper tua nobis fraternitas destinavit solite ad nos tue devotionis et affectionis grata recepimus argumenta; immo eo gratiora nimirum quo scribentis animus, prout earumdem litterarum series reseravit, non tam de temporalis quam de spiritualis consideratione profectus, quem de nostra promotione sub spe clementie divine supponis, filiali affectu matri congaudens ecclesie letitie jubilo amplioris exultat. Decet enim ipsius pastorem ecclesie momentaneis perpetua fluidis solida et mansura preferre caducis, hunc ab olim in te vigere concepimus considerationis intuitum; hunc fieri per experientiam manifestum paterna tibi benivolentia congaudemus. Persta igitur et circa commissi tibi pastoralis executionem officii sedulus bene ceptis insiste, illudque prudenter et diligenter ad tuam creditique tibi salutem gregis exercens, de virtute in virtutem ut Deum deorum in Syon videas [et] ad meriti cumulum gregem eumdem ipso largiente ad hujusmodi visionem abducas pro viribus gradiaris sciturus quod te gerimus in visceribus caritatis et ecclesiam ac provinciam Narbonenses non solum ex suscepti officii debito sed et tui specialiter obtentu habere intendimus in suis oportunitatibus commendatas ».

891 Sans date.

Mattheo Sancte Marie in Porticu diacono cardinali archipresbiteratum basilice principis apostolorum de Urbe committit, et indulget ut eundem cum aliis ecclesiis, canonicatibus, prebendis et pensionibus licite retinere valeat. (Bibliothèque vaticane, lat. 6735, fol. 124, n° 161).

« *Dilecto filio Mattheo Sancte Marie in Por[ti]cu diacono cardinali archipresbitero basilice principis apostolorum de Urbe etc...* Inter universas orbis ecclesias quibus nos pretulit benigna clementia Salvatoris venerabilem principis apostolorum de Urbe basilicam favoris prerogativa suscepimus et amoris prosequimur privilegio singularis. Circa illam sollicite considerationis intuitum dirigentes ut pacifici status et prosperi plenitudine gratuletur, divini cultus in illa exercitium ferveat, et ipsa ministrorum polleat honestate, ut quemadmodum majoritatis gradu ceteras antecedit sic decore virtutum et sanctitatis operibus antecellat; quod tunc efficacius poterit auctore Domino provenire cum eandem basilicam rectoris ydonei providentia gubernabit. Sane illam nec inmerito formavit in nobis de probata industria et circumspectione tua experientia laudabilis et longa fiduciam, ut que magis cordi gerimus tue solertie fiducialius committamus. Nam cum dudum tibi commissa in te sollicitum et prudentem operatorem invenerint, probabili nimirum convicimus argumento quod diligenter et efficaciter exequeris que tibi duxerimus committenda cum preteriti ratio verisimilem conjecturam exhibere soleat futurorum. Ideoque onus cure memorate basilice tue industrie committentes, archipresbiteratum qui per assumptionem nostram ad apostolatus officium in eadem basilica vacasse dinoscitur cum ipsum tunc temporis ex collatione apostolica obtineremus in illa cum omnibus jurisdictionibus juribus et pertinentiis suis tibi conferimus ac providemus etiam de eadem, decernentes irritum et inane si secus de ipso contigerit attemptari, non obstante quod Sancte Marie in Transtiberim et Sancti Stephani in Celio monte ecclesias cum cappellis clero et populo subjectis eisdem tibi ab apostolica sede commissas necnon cancellariam in Ambianensi et tam in ipsa quam in Suessionensi, Laudunensi et Carnotensi ecclesiis canonicatus et prebendas, a dilectis filiis Cluniacensi ac Dolensi abbatibus et conventibus pensiones dinosceris obtinere, tue insuper devotioni ut predictum archipresbiteratum una cum Sancte Marie in Porticu et ceteris ecclesiis, capellis, cancellaria, canonicatibus, prebendis et pensionibus seu beneficiis supradictis et prioratu Sancti Salvatoris Nivernensis ad predictos abbatem et conventum[1] Cluniacenses spectante si eum ad te canonice pervenire contingat etiam si ecclesiis, capellis, cancellarie et prioratui memoratis vel ex eis quibuscumque vel quocumque cura imineat animarum licite ac libere valeas retinere nec ad susceptionem sacerdotalis ordinis tenearis generalis concilii constitutionibus consuetudinibus vel statutis quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc... collationis provisionis constitutionis et concessionis seu indulgentie etc... ».

1. Ms : canonicatum.

892 Sans date.

Eidem pro ipsius basilice principis apostolorum bono et prospero statu jurisdictionem ordinariam confert. (Bibliothèque vaticane, lat. 6735, fol. 124 v°, n° 161 a).

« *Eidem.* Inter universas orbis ecclesias etc. usque tue industrie commictentes, tibi ut per te vel per alium seu alios in ipsa basilica necnon et ecclesiis collegiatis et aliis ac monasteriis, prioratibus basilice predicte subjectis evellas, destituas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, ordines, corrigas, informes, statuas et disponas prout et quando quotiens videris expedire, contradictores quoque et rebelles quoslibet per censuras ecclesiasticas necnon et per penas tam spirituales quam temporales et alias prout expedire videris appellatione remota compescas, in premissis et aliis hujusmodi que prosperum statum ipsius basilice ad salutem animarum putaveris expedire jurisdictionem ordinariam quam exnunc tibi conferimus habiturus, non obstantibus si aliquibus quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint a sede apostolica sit indultum, quibuscumque privilegiis seu indulgentiis apostolicis quorumcumque tenorum existant per que effectus presentium impediri valeat vel differri et de quibus in nostris litteris de verbo ad verbum specialem oporteat fieri mentionem, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Nolumus autem quod premissa que personaliter tibi concedimus ad successores tuos transeant set [juribus] que ad eosdem archipresbiteros ratione ipsius archipresbiteratus pertinent de jure vel consuetudine sint contenti ».

893 Sans date.

Canonicis basilice principis apostolorum de Urbe mandat quatinus eidem cardinali tanquam suo archipresbitero obedientiam et reverentiam debitam impendant. (Bibliothèque vaticane, lat. 6735, fol. 124 v°, n° 161b).

« *Dilectis filiis canonicis basilice principis apostolorum de Urbe.* Inter universas orbis ecclesias etc. ut in proxima usque de jure vel consuetudine sint contempti, verbis mutatis. Quocirca per apostolica scripta mandamus quatenus eundem cardinalem vel procuratorem suum in ipsius basilice archipresbiterum admittentes eique tamqam vestro archipresbitero plene et humiliter intendentes obedientiam et reverentiam sibi debitam impendatis. Alioquin sententias sive penas et quicquid per se vel per alium seu alios commissa sibi ut premittitur auctoritate ordinaverit vel statuerit temporaliter seu spiritualiter in rebelles rata habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari ».

894 Sans date.

Mattheo Sancte Marie in Porticu diacono cardinali curam, gubernationem, rectoriam hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, ac aliorum hospitalium et locorum eidem subjectorum committit, et jurisdictionem ordinariam confert. (Bibliothèque vaticane, lat. 6735, fol. 125, n° 162).

« *Dilecto filio Mattheo Sancte Marie in Porticu diacono cardinali, archipresbitero basilice principis apostolorum de Urbe etc.* Illam nec immerito formavit in nobis de probata industria et circumspectione tua experientia laudabilis et longa fiduciam ut que magis cordi gerimus tue solertie fiducialiter committamus. Nam cum dudum tibi commissa in te sollicitum et prudentem operatorem invenerint, probabili nimirum convicimur argumento quod diligenter et efficaciter exequeris que tibi duxerimus committenda, cum preteriti ratio verisimiliter conjecturam exhibere soleat futurorum. Attendentes itaque quantis favoribus quantisve gratiis hospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe Romani pontifices predecessores nostri a sui fundatione fuerint prosecuti et illorum in hac parte vestigiis inherendo, illud manutenere, tueri et prosequi favorabiliter intendentes, intenso desiderio ducimur ut providi rectoris diligentia gubernetur. Ideoque curam, gubernationem, rectoriam hospitalis predicti, membrorum ejus ac aliorum hospitalium et locorum subjectorum eidem seu ad ipsum spectantium constitutorum ubilibet et quarumlibet pertinentiarum ipsius necnon et ministrantium ac degentium in eisdem in spiritualibus et temporalibus tenore presentium circumspectioni tue duximus committendam, ita ut in illis per te vel per alium aut alios corrigere, disponere, ordinare, statuere, reformare ac omnia que ad liberam administrationem et bonum statum predictorum pertinent exercere libere valeas prout quando et quotiens videris expedire, in omnibus et singulis supradictis jurisdictionem ordinariam quam exnunc tibi conferimus habiturus, contradictores et rebelles quoslibet non solum et per censuram ecclesiasticam sed per penas tam spirituales quam temporales necnon et alias prout utile tibi videbitur compescendo ; non

obstante quod Sancte Marie in Transtiberim et Sancti Stephani in Celio monte ecclesias cum capellis, clero et populo subjectis eisdem tibi ab apostolica sede commissas necnon cancellariam in Ambianensi et tam in ipsa quam in Suessionensi, Laudunensi et Carnotensi ecclesiis canonicatus et prebendas et a dilectis filiis Cluniacensi ac Dolensi abbatibus et conventibus pensiones dinosceris obtinere, seu si aliquibus cujuscumque sint eminentie, ordinis, conditionis aut status sub quacumque forma verborum a sede apostolica sit indultum quod interdici suspendi aut excommunicari non possint per litteras sedis ejusdem non facientes plenam et expressam seu de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et qualibet alia predicte [1] sedis indulgentia cujuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam aut totaliter non insertam effectus ipsarum possit quomodolibet impediri. Tue insuper devotioni ut idem hospitale cum membris ejus et aliis hospitalibus locisque subjectis eisdem seu ad ipsum spectantibus et suis pertinentiis memoratis necnon et cura ministrantium ac degentium in eisdem in spiritualibus et temporalibus ut premittitur tibi de commissis una cum archipresbiteratu basilice principis apostolorum Sancte Marie in Porticu ceteris ecclesiis capellis, cancellaria, canonicatibus, prebendis et pensionibus seu beneficiis supradictis et prioratu Sancti Salvatoris Nivernensis ad predictos abbatem et conventum Cluniacenses spectante si eum ad te canonice pervenire contingat etiam si ecclesiis, capellis, cancellarie et prioratui memoratis vel ex eis quibuscumque vel quocumque cura immineat animarum licite ac libere valeas retinere, generalis concilii et aliis constitutionibus, consuetudinibus vel statutis quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc... collationis concessionis seu indulgentie etc... ».

895 Sans date.

Preceptori et fratribus hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe ac universis ministrantibus in ipso et aliis eidem subjectis mandat quatinus cardinali eidem humiliter pareant, et in omnibus que reformare voluerit efficaciter intendant. (Bibliothèque vaticane, lat. 6735, fol. 125 v°, n° 162a).

« *Dilectis filiis preceptori et fratribus Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe ac universis ministrantibus seu degentibus in ipso et membris ejus ac hospitalibus et locis subjectis eidem seu ad ipsum spectantibus ubilibet constitutis et in quibuslibet pertinentiis hospitalis ejusdem.* Illam nec immerito formavit in nobis de probata industria et circumspectione dilecti filii nostri Matthei Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, archipresbiteri basilice principis apostolorum de Urbe, experientia laudabilis et longa fiduciam ut que magis cordi gerimus solertie sue fiducialius committamus, et cum dudum sibi commissa in eo sollicitum et prudentem operatorem invenerint probabili nimirum convicimur argumento quod diligenter et efficaciter exequetur que sibi duxerimus committenda, cum preteriti ratio verisimilem conjecturam exhibere soleat futurorum. Attendentes itaque quantis favoribus quantisve gratiis hospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe Romani pontifices predecessores nostri a sui fundatione fuerunt prosecuti, illorum in hac parte vestigiis inherendo, illud manutenere, tueri et prosequi favorabiliter intendentes, intenso desiderio ducti ut idem hospitale providi rectoris industria gubernetur, curam, gubernationem et rectoriam hospitalis ipsius, membrorum ejus ac aliorum hospitalium et locorum subjectorum eidem seu ad ipsum spectantium constitutorum ubilibet et quarumlibet pertinentiarum ipsius necnon ministrantium ac degentium in eisdem in spiritualibus et temporalibus per alias nostras sub certa forma litteras memorato cardinali duximus committendam, ita ut idem cardinalis in illis per se vel per alium aut alios corrigere, disponere, ordinare, statuere, reformare ac omnia que ad liberam administrationem et bonum statum predictorum pertinent exercere libere valeat, prout quando et quotiens viderit expedire, contradictores etc... compescendo. Non obstantibus si aliquibus etc... ut in superiori proxima usque impediri. Quocirca mandamus quatenus cardinali eidem in premissis omnibus et singulis pareatis humiliter et efficaciter intendatis. Alioquin sententias sive penas quas per se seu alium aut alios tulerit seu statuerit in rebelles ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari ».

896 Viterbe, sans date.

Regi Sicilie mandat quatinus nuntios Michaelis Paleologi Grecorum imperatoris ad propria de Romana curia cum nuntiis pape redeuntes, per totam terram tam citra mare quam in partibus Romanie sue ditioni subjectam ab omni offensa et molestia custodire faciat. (Archives vaticanes, reg. 29A, fol. 209 v°, n° 389 ; Potthast, 21475).

1. Ms : predicta.

« [*Nicolaus*] *episcopus etc... Regi Sicilie illustri.* Venerabilem fratrem nostrum.. et dilectos filios.. et .. nuntios carissimi in Christo filii nostri Michaelis Paleologi Grecorum imperatoris illustris ad propria de nostra curia redeuntes desiderantes ut decet plena in personis et rebus securitate gaudere, serenitatem regiam rogamus et obsecramus in Domino Jhesu Christo quatenus ob reverentiam apostolice sedis et nostram nuntiis memoratis per totam terram tam citra mare quam in partibus Romanie tue ditioni subjectam de securitate hujusmodi provisurus nullam eis in personis, familiis, equis aut bonis aliis per totam terram eandem injuriam patiaris inferri, sed eos sub umbra alarum tuarum ab omni offensa et molestia sic facias cum diligentia custodiri quod ipsi tua eos protegente potentia secure ad sui domini presentia[m] revertantur, tibique apud omnes exinde laudis accrescat titulus et a nobis proveniat actio gratiarum. Datum Viterbii ».

897 Sans date.

Abbati et conventui monasterii Cisterciensis suam electionem significat, et eorum orationes postulat ; idem scribit abbati et conventui Clarevallensi, abbati et conventui Cluniacensi, magistro et fratribus ordinis Predicatorum, generali ministro et fratribus ordinis Minorum. (Bibliothèque nationale, lat. 4311, fol. 122 r°, n° 156. Cf. Potthast, 21264 et supra Reg. n° 1).

« *Dilectis filiis abbati et conventui monasterii Cisterciensis.* Immense Deus etc... usque solidabit. Quia vero ad illius auxilium obtinendum de vestra precipue devotione confidimus, de orationum vestrarum opitulatione speramus, devotionem vestram monemus rogamus et obsecramus in Domino in remissionem vobis peccaminum injungentes quatinus ad tanti ponderis sarcinam supportandam imbecillitati nostre devotis orationibus et placationum uberum frequentibus oblationibus assistentes, ab illo qui nobis eam imposuit seu pocius forsan imponi permisit supplicancium instancia devota et sedula imploretis ut qui ex potestatis nostris defectibus sub ejusdem sarcine pondere premimur ipsius omnipotentis clementi munere sublevemur, nobisque ipse largitor bonorum omnium etc... ut supra usque glorietur. Ceterum ut sicut a vobis pensum filialis devotionis expetimus sic illud exhibitione paterne ad vos benivolencie compensemus, volumus vos indubitata fide tenere quod vos et ordinem vestrum speciali favore prosequimur et non solum favorabiliter manutenere proponimus sed et in quibus Deum poterimus promovere. Cum autem sicut intelleximus etc.

In e. m. abbati et conventui Clarevallensi Cisterciensis ordinis.

In e. m. abbati et conventui Cluniacensi Matisconensis diocesis.

In e. m. magistro et fratribus ordinis Predicatorum.

In e. m. generali ministro et fratribus ordinis Minorum ».

898 Sans date.

Idem scribit magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, magistro et fratribus Domus Milicie Templi Jerosolimitani, magistro et fratribus Domus Sancte Marie Theotonicorum Jerosolimitane. (Bibliothèque nationale, lat. 4311, fol. 123, n° 159).

« *Magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Hierosolimitani.* Immense Deus etc... usque obsecrantes in Domino Jhesu Christo quatinus ad tanti ponderis sarcinam supportandam imbecillitati nostre devotis orationibus etc... usque poterimus promovere, ut in alia que scribitur abbati et conventui monasterii Cisterciensis. Sane affectum quem ad Terram Sanctam etc... ut in proxima superiori usque in fine.

In e. m. magistro et fratribus Domus Milicie Templi Jerosolimitani.

In e. m. magistro et fratribus domus Sancte Marie Theotonicorum Jerosolimitane ».

899 Sans date.

De censu annuo mille marcharum sterlingorum, in quo annis singulis in festo s. Michaelis Romane ecclesie rex Anglie tenetur, pro octo annis preteritis plenarie satisfactum declarat. (Bibliothèque nationale, lat. 4311, fol. 123 v°, n° 161 ; Potthast, 21271).

« *Regi Anglie illustri.* Pro censu mille marcharum sterlingorum in quo annis singulis in festo sancti Michaelis de mense semptembris ratione regni Anglie ac Ybernie nobis et ecclesie Romane teneris per manus dilecti filii Lapi Vulpelli civis et mercator Lucanensis tria millia marcharum dicte monete felicis recordationis Johanni pape predecessori nostro necnon quinque millia marcharum nobis et eidem ecclesie tuo nomine pro octo annis pro parte in vita clarissime memorie Henrici regis Anglie patris tui pro reliqua vero parte post obitum ipsius

elapsis et in sancti Michaelis preterito proxime festo completis, pro quibus romanis pontificibus predecessoribus nostris seu ipsi ecclesie alia de dicto censu satisfacio nulla pervenerat integre persoluta fatemur, et de predicto censu annuo mille marcharum pro eisdem octo annis nobis et eidem ecclesie plenarie satisfactum, ita quod tu et tui heredes a prestatione dicti census pro tempore preterito usque ad dicti festi crastinum absoluti, eundem censum mille marcharum tam pro presenti anno qui a crastino ipso incipit in eodem festo beati Michaelis primo venturo quam deinceps in eodem festo annis singulis repetito in se calculo revolvendo nobis et eidem ecclesie solvere tenemini annuatim ; ad tuam itaque ac eorundem heredum cautelam et rei geste memoriam presentes litteras tibi duximus concedendas ».

900 Saint-Pierre, juillet.

Episcopo Firmano mandat quatinus in negocio electionis de Johanne Rutenensi preposito celebrate in Colocensi ecclesia de diversis objectis veritatem investigare studeat et sedi apostolice referat. (Bibliothèque nationale, lat. 4311, fol. 155 v°, n° 209).

« *Eidem*[1]. In negocio electionis de dilecto filio Johanne Rudenensi preposito celebrate in Colocensi ecclesia, ut scripsisti, sicut tuarum series litterarum suadebat favorabiliter procedentes, negotium ipsum fraternitati tue sine cujusque more dispendio per alias nostras sub certa forma litteras duximus committendum ; verum quia de persona ipsius Johannis quedam que interclusa presentibus tibi cedula presentabit postmodum per non leves sed fidedignas personas ad nostram audienciam pervenerunt connivencie vel dissimulacionis non pretereunda neglectu, quod tibi apercius ex eorum consideratione patebit, volumus et per apostolica tibi scripta mandamus quatinus illa diligenter attendens de ipsis inter alia secundum formam predictarum litterarum in tue deducenda discussionis examen investigare studeas, sollicita et exacta diligencia veritatem processurus in eodem negotio juxta premissam traditam per easdem nostras litteras tibi formam prout eorumdem et aliorum veritas probationibus revelanda legitimis justitia suadente dictabit. Ceterum illa in hiis providencie cautela prudenter utaris ut si forsan ex predictorum investigatione aliquod tibi periculum immineret investigationi hujusmodi supersedeas et negotium ipsum ad nos aliquo colore quesito remittas, rescripturus nichilominus ejusdem negocii circumstancias et quid illis pensatis contra ipsum ex[is]times faciendum ac insuper aliquos canonicos ejusdem ecclesie Colocensis per quos super premissis et aliis idem negocium contingentibus diligens inquisitio haberi valebit ad nostram presenciam transmissurus. Datum Rome, apud Sanctum Petrum, xv (*sic*) idus Julii ».

1. Episcopo Firmano.

APPENDIX II

901 Saint-Pierre, 1er janvier 1278.

Custodi, guardiano et fratribus Assisii mandat ut res suas apud eos depositas Andreae de Nivernis clerico et familiari suo assignent. « Ad vos et... — kalendis januarii, anno primo ». (POTTHAST, 21262).

902 Saint-Pierre, 29 janvier 1278.

In discordia inter Vesprimiensem episcopum et praepositum Transilvanensem vertente, cum in ea Strigoniensis archiepiscopus nihil effecerit, post multas controversias sub Gregorio et Innocentio papis factas praepositum ad dicendam causam in Urbem evocat. « IV kalendas februarii anno primo ». (POTTHAST, 21266).

903 Saint-Pierre, 4 février 1278.

Guardiano Alborstadensi quandam executionem committit. « Malderburgensis ecclesiae... — II nonas februarii, anno primo ». (POTTHAST, 21267).

904 Saint-Pierre, 18 février 1278.

Hospitalariis omnia privilegia et concessiones confirmat. « Cum a nobis petitur... — Datum Romae apud Sanctum Petrum, XII kalendas martii, pontificatus nostri anno primo ». (DELAVILLE LE ROULX, *Cartulaire*, III, 3651).

905 Saint-Pierre, 1er mars 1278.

Abbati monasterii Case Dei, Clarimontensis diocesis, mandat quatinus priorem fratresque Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani provinciae Alverniae molestari non permittat. « ... — kalendis martii, anno primo ». (DELAVILLE LE ROULX, *Cartulaire*, 3654).

906 Saint-Pierre, 4 mars 1278.

Episcopo Aginatensi indulget ut condere possit testamentum. « Quia praesentis... — IV nonas martii, anno primo ». (POTTHAST, 21274).

907 Saint-Pierre, 8 mars 1278.

Sinibaldo de ordine Minorum inquisitori haereticae pravitatis mandat ut haereticos Viterbienses puniat. « Quia cuncta... — VIII idus martii, anno primo ». (POTTHAST, 21275).

908 Saint-Pierre, 11 mars 1278.

Priori Sancti Michaelis Berteldi Florentini mandat ut ea quae de bonis ecclesiae Sancti Laurentii Florentini per concessiones alienata invenerit illicite vel distracta ad jus et proprietatem ejus legitime revocet. « Ad audientiam nostram... — V idus martii, anno primo ». (POTTHAST, 21276).

909 Saint-Pierre, 11 mars 1278.

Succentori ecclesiae Bituricensis mandat ut ea quae de bonis ecclesiae Sancti Martini Turonensis alienata invenerit illicite vel distracta ad jus et proprietatem ejus legitime revocet. « V idus martii, anno primo ». (POTTHAST, 21277).

910 Saint-Pierre, 11 mars 1278.

Pro scripturis servatis in conventu Sancti Francisci Assisii. « Cum nonnullis... — V idus martii, anno primo ». (POTTHAST, 21278).

911 Saint-Pierre, 15 mars 1278.

Praeposito ecclesiae Curiensis mandat ut ea quae de bonis monasterii Disertinensis, ordinis S. Benedicti, Curiensis diocesis, per concessiones alienata invenerit illicite vel distracta ad jus et proprietatem ejus legitime revocet. « Ad audientiam nostram... — idibus martii, anno primo ». (POTTHAST, 21279).

912 Saint-Pierre, 18 mars 1278.

Abbati et conventui monasterii de Isina, ordinis s. Benedicti, Constantiensis diocesis, omnes libertates, immu-

nitates et exemptiones saecularium exactionum confirmat. « Cum a nobis... — XV kalendas aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21280).

913 Saint-Pierre, 18 mars 1278.

Abbati et conventui monasterii Disertinensis, ordinis s. Benedicti, Curiensis diocesis, idem confirmat. « Cum a nobis... — XV kalendas aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21281).

914 Saint-Pierre, 18 mars 1278.

Praeposito ecclesiae Curiensis mandat ut per triennium abbatem et conventum monasterii Disertinensis a praedonum, raptorum et invasorum audacia defendat. « Quia mundo posito... — XV kalendas aprilis ». (POTTHAST, 21282).

915 Saint-Pierre, 18 mars 1278.

Episcopo Cumarum mandat ut inter abbatem conventumque monasterii Disertinensis et Waltherum de Vaze, Albertum et Henricum de Gruenenuels fratres, Wilhelmum de Pultening, etc... super terris, debitis et rebus aliis litigantes judicium faciat. « Conquesti sunt nobis... — XV kalendas aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21283).

916 Saint-Pierre, 23 mars 1278.

Hospitale extra portam Fogiae in suburbio de Vassano cum omnibus bonis tuendum suscipit et specialiter magistro et fratribus ejus decimas, terras, vineas et alias possessiones confirmat. « Cum a nobis... — X kalendas aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21285).

917 Saint-Pierre, 23 mars 1278.

Ministro et fratribus domus ordinis Minorum de Vienna, Pataviensis diocesis, omnes libertates, immunitates et exemptiones confirmat. « Solet annuere sedes... — X kalendas aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21286).

918 Saint-Pierre, 23 mars 1278.

Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Jerosolimitani omnes libertates, immunitates et exemptiones exactionum saecularium confirmat. « Cum a nobis... — X kalendas aprilis, anno primo ». (DELAVILLE LE ROULX, *Cartulaire*, III, 3655 ; POTTHAST, 21284).

919 Saint-Pierre, 24 mars 1278.

Abbati saeculari Beatae Mariae, decano Sancti Hilarii et praeposito cathedralis ecclesiae Pictavensis mandata dat de quibusdam redditibus vulgariter coustuma seu fenestragium appellatis, quos archiepiscopus Turonensis asserebat usurpatos a decano et capitulo ecclesiae S. Martini Turonensis contra libertates et jura Turonensis ecclesiae. «... IX kalendas aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21288).

920 Saint-Pierre, 25 mars 1278.

Johanni episcopo Cantuariensi indulget ut testamentum condere possit. « Quia praesentis... — VIII kalendas aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21289).

921 Saint-Pierre, 28 mars 1278.

Abbati monasterii S. Victoris de Clusis, Camerinensis diocesis, de lite vertente inter Ballionem civem Perusinum ex parte una et potestatem, consilium et commune Castri Monticuli ex altera mandata dat. « In causa que... — V kalendas aprilis, anno primo ». (POTTHAST, n° 21290).

922 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Abbati et conventui S. Judoci in Nemore, ordinis Cisterciensis, Ambianensis diocesis, concedit ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia a personis liberis in eorum monasterio professionem facientibus petere, recipere ac retinere possint. « Devotionis vestre precibus... — nonis aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21297).

923 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Lincopensi et Roskildensi episcopis mandat ut Jacobo electo Upsalensi qui se rite ab archiepiscopo Lundensi confirmationem et consecrationem obtinuisse proposuit, pallium quod ipsis per Andream canonicum Upsalensem et Symonem rectorem ecclesiae de Giristum transmittat assignent. « Munus confirmationis et... — nonis aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21299).

924 Saint-Pierre, 5 avril 1278.

Andreae canonico Upsalensi et Simoni rectori ecclesiae de Giristum mandat ut Lincopensi et Roskildensi episcopis pallium pro memorato electo tradant. « Munus confirmationis etc... — nonis aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21300).

925 Saint-Pierre, 9 avril 1278.

Guillelmum ordinis Praedicatorum pœnitentiarium suum creat archiepiscopum Corinthiensem eique pallium per manus Jacobi cardinalis tituli S. Mariae in Cosmidin concedit. « ... V idus aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21303).

926 Saint-Pierre, 9 avril 1278.

Cupiens Terram Sanctam e manibus Saracenorum libe-

rare, collectores decimarum in concilio Lugdunensi indictarum in varias mundi partes mittit. « ... V idus aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21304).

927 Saint-Pierre, 13 avril 1278.

Abbati et conventui monasterii Neubotle, Cisterciensis ordinis, S. Andreae diocesis, concedit facultatem utendi de cetero privilegiis et indulgentiis quibus, per simplicitatem et juris ignorantiam usi non fuerunt temporibus retroactis. « Cum sicut ex... — idibus aprilis, anno primo ». (POTTHAST, 21305).

928 Saint-Pierre, 13 avril 1278.

Priori et fratribus domus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in Roma omnes libertates et immunitates confirmat. « Solet annuere sedes... — idibus aprilis, anno primo ». (DELAVILLE LE ROULX, *Cartulaire*, 3658).

929 Saint-Pierre, 22 avril 1278.

Capitulo ecclesiae Glasguensis jus patronatus in parochiali ecclesia de Smalham, S. Andreae diocesis, quod eis nobilis vir David Olifardi concessit, auctoritate apostolica confirmat. « Cum a nobis... — X kalendas maii, anno primo ». (POTTHAST, 21306).

930 Saint-Pierre, 22 avril 1278.

In quosdam haereticos poenam publicationis bonorum olim, dum congregationi s. inquisitionis praesideret, latam confirmavit, hincque linguas maledicorum in se exacuit, quasi cupiditate rei alienae flagraret et bonis per injuriam ereptis suos amplificare contenderet. « ... X kalendas maii, anno primo ». (POTTHAST, 21307).

931 Saint-Pierre, 27 avril 1278.

Episcopo Parisiensi, decano et canonico Henrico Tuebœuf ejusdem ecclesiae mandat ut causam vertentem inter archiepiscopum Remensem et episcopum Tornacensem, ratione juris procurationis in monasterio de Cisonio, canonice decidat. (WAUTERS, *Table chronologique*, t. V, p. 634).

932 Saint-Pierre, 2 mai 1278.

Abbatissae et conventui monasterii de Panzo Assisinatensis ordinis s. Benedicti omnes libertates, immunitates et exemptiones confirmat. « Cum a nobis... — VI nonas maii, anno primo ». (POTTHAST, 21315).

933 Saint-Pierre, 2 mai 1278.

Easdem tuendas suscipit, specialiter autem terras, domos, etc..., eis confirmat. « Sacrosancta Romana ecclesia... — VI nonas maii, anno primo ». (POTTHAST, 21316).

934 Saint-Pierre, 11 mai 1278.

Abbatissae et conventui monasterii S. Silvestri de Ischieto, ordinis s. Damasii, Urbinatensis diocesis, omnia privilegia et concessiones confirmat. « Cum a nobis... — V idus maii, anno primo. (POTTHAST, 21318).

935 Saint-Pierre, 11 mai 1278.

Abbati et conventui monasterii Bonaespei, Praemonstratensis ordinis, diocesis Cameracensis, indulget ut tempore generalis interdicti eis liceat clausis januis et submissa voce divina officia celebrare. « Devotionis vestrae precibus...— V idus maii, anno primo ». (POTTHAST, 21319).

936 Saint-Pierre, 14 mai 1278.

Magistro Johanni archidiacono Sanctarenensi in ecclesia Ulixbonensi ob memoriam quondam fratris Dominici de ordine Minorum apostolicae sedis poenitentiarii, cujus nepos fuit, archidiaconatum Sanctarenensis ecclesiae confert. « Adjutos morum et... — II idus maii, anno primo ». (POTTHAST, 21320).

937 Saint-Pierre, 15 mai 1278.

Mandat episcopo Gurcensi ut bona prioratus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in Bohemia alienata vel illicite distracta ad jus ejusdem Hospitalis revocare studeat. « Ad audientiam nostram... — idibus maii, anno primo ». (DELAVILLE LE ROULX, *Cartulaire*, 3660).

938 Saint-Pierre, 15 mai 1278.

Campaniae Maritimaeque rectori mandat, moneat episcopum Ferentinum et clerum ut a molestationibus et injuriis guardiani et fratrum ordinis Minorum de Ferentino desistant ac ipsis de illatis damnis satisfactionem plenariam impendant. « Significarunt nobis dilecti... — idibus maii, anno primo ». (POTTHAST, 21321).

939 Saint-Pierre, 17 mai 1278.

Capitulum generale ordinis Praedicatorum benignis invitat hortationibus ut compagem ordinis in charitatis observantia et unitatis solitae gratia conservent, sicque ministerium suum exequantur claris operibus. Universis et singulis de eorum ordine qui ad instans capitulum convenerint, et aliis Christi fidelibus qui congregatis fratribus capitulo durante pietatis suae manus porrexerint adjutrices, indulgentiam quadraginta dierum elargitur. « Ordo vester institutus ... — XVI kalendas junii, anno primo ». (POTTHAST, 21323).

940 Saint-Pierre, 23 mai 1278.

Abbati et conventui monasterii Bonaespei, Praemonstratensis ordinis, Cameracensis diocesis, omnia bona confirmat. (WAUTERS, *Table chronologique*, t. V, p. 634).

941 Saint-Pierre, 28 mai 1278.

Decano ecclesiae Leodiensis mandat ut ea quae de bonis monasterii Porcetensis Cisterciensis ordinis, Coloniensis diocesis, per concessiones alienata invenerit illicite vel distracta ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocet. « Ad audientiam nostram ... — V kalendas junii, anno primo ». (POTTHAST, 21327).

942 Saint-Pierre, 15 janvier-7 juin 1278.

Potestati, capitaneo, consilio et communi Bononiae significat se ad eos mittere Latinum Ostiensem et Vellitrensem episcopum, ut ipsos ad pacem et quietem inducat. « Civitatem vestram quae ... ». (POTTHAST, 21335).

943 Viterbe, 20 juin 1278.

Potestati, capitaneo, consilio et communi Ymolensibus significat sedem apostolicam reintegratam esse in dominio civitatis Ymolae et locorum adjacentium per novam R. regis Romanorum confirmationem. « Levantes in circuitu... — XII kalendas julii, anno primo ». (POTTHAST, 21338).

944 Viterbe, 22 juin 1278.

Universos duces per Gneznensem provinciam constitutos rogat et hortatur ut Gneznensem archiepiscopum habeant propensius commendatum atque ei et eidem ecclesiae se favorabiles et benignos exhibeant. « Licet continuata supervenientium... — X kalendas julii, anno primo ». (POTTHAST, 21341).

945 Viterbe, 27 juin 1278.

Abbati monasterii de Gratasolio, Mediolanensis diocesis, mandat ut fratres et magistrum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in Lombardia super possessionibus et bonis suis molestari inhibet. « ... V kalendas julii, anno primo ». (DELAVILLE LE ROULX, *Cartulaire*, 3666).

946 Viterbe, 1er juillet 1278.

Nicolaus papa tertius pro confirmatione bonorum ecclesiae [monasterii Sancti Lamberti Laetiensis]. « Datum Viterbii, calendis julii, pontificatus nostri anno primo ». (WAUTERS, *Table chronologique*, t. V, p. 637).

947 Viterbe, 2 juillet 1278.

Abbatissae et conventui monasterii S. Claudii juxta flumen Topini extra muros Fulginatenses omnes libertates, immunitates et exemptiones confirmat. « Cum a nobis... — IV nonas julii, anno primi ». (POTTHAST, 21348).

948 Viterbe, 6 juillet 1278.

Episcopo et archidiacono Stetinensi Caminensibus mandat, moneant Borchardum episcopum, Nicolaum praepositum, decanum et capitulum Lubicenses, ut infra decem dies sententias et processus improvide habitos contra priorem, guardianum et fratres Praedicatorum et Minorum ordinum Lubicenses revocent et infra duos menses per procuratores idoneos super praedictis sufficienter instructos cum omnibus juribus et munimentis suis compareant coram papa. « Gravem ad nos ... — II nonas julii, anno primo ». (POTTHAST, 21349).

949 Viterbe, 7 juillet 1278.

Episcopo Caminensi mandat, moneat Giselbertum archiepiscopum Bremensem, ut sententias a Borchardo episcopo Lubicensi contra guardianum et fratres ordinis Minorum Lubicenses latas et ab ipso loci metropolitano approbatas infra quindecim dies revocet. « Gravem dilectorum filiorum... — nonis julii, anno primo ». (POTTHAST, 21352).

950 Viterbe, 7 juillet 1278.

Abbati et conventui monasterii de Camberone, Cisterciensis ordinis, Cameracensis diocesis, omnes libertates, immunitates et exemptiones confirmat. « Cum a nobis... — nonis julii, anno primo ». (POTTHAST, 21353).

951 Viterbe, 7 juillet 1278.

Abbati et conventui monasterii de Castellariis, Cisterciensis ordinis, Pictavensis diocesis, idem confirmat. (POTTHAST, 21354).

952 Viterbe, 7 juillet 1278.

Benvenutum, ex ordine Minorum, creat in episcopum Eugubinum. « ... nonis julii, anno primo ». (POTTHAST, 21355).

953 Viterbe, 12 juillet 1278.

Ministro Siciliae et fratribus ordinis Minorum Cataniensibus locum, qui Castrum Ursinum vulgariter nuncupatur, eis ab Alexandro IV confirmatum denuo confirmat. « Petitio vestra nobis... — IV idus julii, anno primo ». (POTTHAST, 21357).

954 Viterbe, 13 juillet 1278.

Abbati S. Petri Salzeburgensis committit causam abbatis conventusque monasterii in Seeon contra priorem conventumque monasterii in Seemannshausen ordinis s. Augustini, Fridericum et Conradum de Vreuntsperch fratres, etc.., laicos super terris etc... vertentem dijudicandam. « Conquesti sunt nobis... — III idus julii, anno primo ». (POTTHAST, 21358).

955 Viterbe, 18 juillet 1278.

Magistro et fratribus Hospitalis S. Mariae Jerosolimitani omnes libertates, immunitates et exemptiones exactionum saecularium confirmat. « Cum a nobis... — XV kalendas augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21361).

956 Viterbe, 29 juillet 1278.

Antolinus de Manzolino, doctor legum, et Liazarinus de Liazarinis sindici civitatis Bononiae protestantur per recognitionem dominii nomine potestatis et communis pro ipsa civitate quod civitas Bononiae et ejus territorium ad beatum Petrum coelestis regni clavigerum et ad vos, sanctissime pater domine papa Nicolae III... integre pertineat »... « Datum Viterbii in episcopali palatio in camera domini pape ... ». (POTTHAST, 21367).

957 Viterbe, 31 juillet 1278.

Abbati monasterii S. Laurentii, Florio de Doario et Gerardo de Trecio canonicis Cremonensibus mandat ut controversiam inter priorem et conventum monasterii de Nonantula, ordinis s. Benedicti, ex parte una et potestatem, consilium et commune civitatis Mutinensis super temporali jurisdictione Nonantulae, Roncalii et quorundam aliorum castrorum et villarum Mutinensis diocesis vertentem disceptent. « Significarunt nobis dilecti... — II kalendas augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21369).

958 Viterbe, août 1278.

Giffrido de Anagnia decano ecclesiae S. Audomari Morinensis diocesis capellano suo et fratri Johanni de Viterbio, ordinis Praedicatorum, significat nuper commune Bononiense per speciales syndicos recognovisse ecclesiae Romanae dominium. Monet eos, procurent ut potestas, capitaneus, consilium et commune Bononienses omnia facta per syndicos memoratos in concione publica ad sonum campanae congregata publice ratificent. « Expedit vestram non... ». (POTTHAST, 21370).

959 Viterbe, août 1278.

Potestati, capitaneo et communi Bononiensibus de superiore epistola significat eosque rogat, ut mandatis praefatorum nuntiorum circa ratificationem pareant. « Omnipotens Dominus ecclesiam... » (POTTHAST, 21371).

960 Viterbe, août 1278.

Giffrido de Anagnia, et Guillelmo Duranti capellanis suis ac Johanni de Viterbio et Laurentio de Tuderto ordinis Praedicatorum mandat ut instrumenta et alias scripturas pro recognitione juramenti exhibitione a Bononiensibus et Romaniolae incolis facienda per notos tabelliones publicos conscribi fideliter faciant. « Cum vos ad... ». (POTTHAST, 21372).

961 Viterbe, 1er août 1278.

Regi Angliae qui armorum suorum potentiam reparandis Terrae Sanctae rebus devoverat et missis ad sedem apostolicam nuntiis se crucem esse accepturum spopondit, si decimam ecclesiasticorum reddituum regni Angliae ad sumptus bellicosos tolerandos ei adscriberet, respondet se ea lege ipsi decimas assignaturum esse, ut ad eas refundendas se obstringat, si expeditionem non conficiat. « Dilectus filius frater... — kalendis augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21375).

962 Viterbe, 1er août 1278.

Johannem Derlenthonium ordinis Praedicatorum ac magistros Henricum et Guillelmum regis Angliae nuncios audit postulatisque regiis satisfacit. « ... kalendis augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21376).

963 Viterbe, 2 août 1278.

Monasterium monialium de Altenmunster, ordinis sancti Benedicti, Frisingensis diocesis, protegendum suscipit, bona et possessiones confirmat. « Religiosam vitam eligentibus... — IV nonas augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21377).

964 Viterbe, 3 août 1278.

Abbati et conventui monasterii in Lucka, Cisterciensis ordinis, Myndensis diocesis, omnes libertates, immunitates et exemptiones saecularium exactionum confirmat. « Solet annuere sedes... — III nonas augusti, anno primo». (POTTHAST, 21380).

965 Viterbe, 4 août 1278.

Ministro ordinis Minorum in provincia Austriae mandat ut ipse aliique fratres ejusdem ordinis concionibus et aliis modis conversioni Judaeorum incumbant. « Vineam Soreth velut... — II nonas augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21382).

966 Viterbe, 4 août 1278.

Priori provinciali Praedicatorum ordinis in Lombardia idem mandat. « Vineam Soreth velut... — II nonas augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21383).

967 Viterbe, 4 août 1278.

Abbati et capitulo monasterii Chotbitcensis, ordinis s. Benedicti, Pataviensis diocesis, omnes libertates et exemptiones saecularium exactionum confirmat. « Cum a nobis... — II nonas augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21384).

968 Viterbe, 5 août 1278.

Omnibus Christi fidelibus, qui de bonis suis duos florenos auri Aragoniae vel ejus pretium aequivalens ordini beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum pro redimendis christianis captivis de manibus Sarracenorum contulerint, concedit ut possint eligere idoneum confessorem qui ipsos absolvat ab omnibus peccatis suis semel in vita et in mortis articulo toties quoties fuerint constituti. « Cum igitur magister... — nonis augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21387).

969 Viterbe, 8 août 1278.

Monasterio monialium S. Clarae Assisinatis omnia privilegia confirmat. « Cum a nobis... — VI idus augusti, anno primo » (POTTHAST, 21388).

970 Viterbe, 13 août 1278.

Confirmat monasterii S. Mariae in Rotenburg libertates. « ... idibus augusti, anno primo ». (POTTHAST, 21393).

971 Viterbe, 17 août 1278.

Monasterio Aureaevallis, Cisterciensis ordinis, Trevirensis diocesis, confirmat omnia privilegia et bona. « Solet annuere... — Datum Viterbii XVI kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo ». (WAUTERS, *Table chronologique*, t. VII, p. 1058).

972 Viterbe, 17 août 1278.

Abbati et conventui monasterii Aureaevallis, Cisterciensis ordinis, Trevirensis diocesis, concedit ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, feudalibus dumtaxat exceptis, a personis liberis in eorum monasterio professionem facientibus petere recipere ac retinere possint. « Devotionis vestrae precibus... — Datum Viterbii, XVI kalendas septembris, anno primo ». (WAUTERS, *Table chronologique*, t. VII, p. 1058).

973 Viterbe, 17 août 1278.

Inhibet ne quis, occasione cujusdam pravae consuetudinis, bona ejusdem monasterii occupare seu detinere praesumet. « Ex parte vestra... — Datum ut supra ». (WAUTERS, *Table chronologique*, t. VII, p. 1058).

974 Viterbe, 17 août 1278.

Eidem monasterio concedit facultatem utendi aliquibus privilegiis quibus per ignorantiam juris temporibus retroactis usi non sunt. « Cum sicut ex parte vestra... — Datum ut supra ». (WAUTERS, *Table chronologique*, t. VII, p. 1059).

975 Viterbe, 19 août 1278.

Abbati et conventui monasterii in Lucka Cisterciensis ordinis, Mindensis diocesis, concedit ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia a liberis personis in eorum monasterio professionem facientibus, feudalibus dumtaxat exceptis, petere, recipere ac retinere possint. « Devotioni vestre precibus... — XIV kalendas septembris, anno primo ». (POTTHAST, 21397).

976 Viterbe, 1er septembre 1278.

Magistro et fratribus S. Mariae de Mercede Captivorum ordinis s. Augustini, omnes libertates et immunitates confirmat .« Solet annuere sedes... — kalendis septembris, anno primo ». (POTTHAST, 21402).

977 Viterbe, 5 septembre 1278.

Abbatissae et conventui monasterii S. Mariae Suessionensis, ordinis s. Benedicti, concedit facultatem utendi de cetero illis privilegiis et indulgentiis quibus propter simplicitatem et juris ignorantiam usae non fuerint temporibus retroactis. « Cum sicut ex ... — nonis septembris, anno primo ». (POTTHAST, 21403).

978 Viterbe, 5 septembre 1278.

Abbati monasterii S. Ambrosii, archipresbytero ecclesiae ac ministro ordinis Minorum provinciae Mediolanensis praescribit, quibus pactis observatis Novarienses excommunicatos pro eo quod milites Hispanos tunc existentes in Lombardia contra inhibitionem sedis apostolicae receptarant, a censuris absolvere valeant. « Sedes apostolica circa... — nonis septembris, anno primo ». (POTTHAST, 21404).

979 Viterbe, 17 septembre 1278.

Archipresbyteris Raynerio de Montemagno et Ubaldo canonicis ecclesiae Lucanae mandat, ut in causa fratrum ordinis Minorum Pisarum et Guidonis Zaconis civis Pisani, qui papae suggesserat quod praedicti fratres Johannem clericum filium suum seduxerant, statuant quod canonicum fuerit. « Sua nobis dilecti... — XV kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21410).

980 Viterbe, 20 septembre 1278.

Epistola contra Orlandum Narniensem episcopum dilapidatorem bonorum ecclesiae ad magistrum Nicolaum de Camilla apostolicum capellanum. « ... XII kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21411).

981 Viterbe, 22 septembre 1278.

Reginae Ungariae scribit se Philippum episcopum Firmanum apostolicae sedis legatum ad Ungariae, Polo-

niae, etc... partes pro statu pacifico Ungariae regis et aliarum partium earundem destinare. « In eminenti sedis... — X kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21415).

982 Viterbe, 22 septembre 1278.

Regi Serviae significat de eodem argumento et in eundem modum. « In eminenti sedis... — X kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21416).

983 Viterbe, 22 septembre 1278.,

Duci Sclavoniae scribit in eundem modum de eodem argumento. « In eminenti sedis... — X kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21417).

984 Viterbe, 22 septembre 1278.

Universis archiepiscopis et episcopis ac abbatibus, prioribus... et aliis ecclesiarum praelatis sive rectoribus earumque conventibus et collegiis per regnum Ungariae ac partes Poloniae, Dalmatiae, Croaciae, Ramae, Serviae, Lodomeriae, Galliciae et Cumaniae constitutis idem scribit. « In eminenti sedis ... — X kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21418).

985 Viterbe, 22 septembre 1278.

Universis comitibus et militibus ac populis sive comitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per regnum Ungariae ac partes Poloniae etc... constitutis de eodem argumento significat eosque rogat et obsecrat, ut legati apostolicae sedis monitis et consiliis acquiescere studeant. « In eminenti sedis... — X kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21419).

986 Viterbe, 22 septembre 1278.

Jacobum S. Mariae in Via Lata diaconum cardinalem de epistola ad Philippum episcopum Firmanum certiorem reddit eique mandat, faciat ut proventus beneficiorum dictis clericis juxta concessionis tenorem integre ministrentur. « Cum venerabilem fratrem... — X kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21421, cf. reg., n° 315).

987 Viterbe, 22 septembre 1278.

Philippo episcopo Firmano concedit ut cum quibuslibet religionis personis suae legationis, quae dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis commiserunt symoniacam pravitatem possit dispensare. « Cum te ad... — X kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21432).

988 Viterbe, 22 septembre 1278.

Matthaeo abbati monasterii S. Dyonisii in Francia ordinis s. Benedicti, Parisiensis diocesis, concedit facultatem conferendi tonsuram clericalem et alios minores ordines suis et monasterii subditis, necnon benedicendi ornamenta ecclesiastica in ecclesiis, capellis et oratoriis villae S. Dyonisii et locorum in quibus ipse et monasterium et nullus alius praeter Romanum pontificem jurisdictionem spiritualem et temporalem plenam habent. « Religionis suadet honestas... — X kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21450).

989 Viterbe, 25 septembre 1278.

Bertoldus de filiis Ursi provinciae Romaniolae rectori mandat ut L. Ostiensi et Velletrensi episcopo quadam infirmitate detento pacis negotium prosequendum curet. « Cum te ad... — VII kalendas octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21458).

990 Viterbe, 9 octobre 1278.

Bartholomaeo episcopo Grossetano, Bartholomaeo de Senis ministro Syriae, Philippo Perusino et Angelo Urbevetano lectoribus ordinis Minorum nunciis apostolicae sedis euntibus ad Graecos concedit facultatem assumendi personas idoneas ad exequenda negotia ipsis commissa, cujusvis ordinis vel religionis existant. « Cum vos ad... ». (POTTHAST, 21472).

991 Viterbe, 11 octobre 1278.

Eisdem concedit facultatem assumendi interpretes Graecos cujuslibet ordinis eosque etiam compellendi ad ministerii prosecutionem si non ab omnibus, a duobus tamen eorum obeundam. « Cum vos ad... — V idus octobris, anno primo ». (POTTHAST, 21476).

992 Viterbe, 20 juin-15 octobre 1278.

Abbati et conventui S. Johannis in Vineis, ordinis s. Augustini, Suessionensis diocesis, concedit ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia a personis liberis in eorum monasterio professionem facientibus, feudalibus exceptis, petere ac retinere possint. « ... anno primo ». (POTTHAST, 21477).

993 Saint-Pierre, 25 octobre-8 novembre 1278.

Regem Siciliae rogat ut regiis litteris securitatis pro nunciis Michaelis Paleologi imperatoris Graecorum de familiis, equitaturis et bonis eorundem mentionem adjiciat. « Variis dudum super... — anno primo ». (POTTHAST, 21481).

994 Saint-Pierre, 9 novembre 1278.

Decano ecclesiae in Werden, Coloniensis diocesis, mandat ut quae de bonis ecclesiae Xanctensis ejusdem diocesis alienata invenerit illicite vel distracta ad jus et proprietatem ipsius legitime revocet. « Dilectorum filiorum decani... — V idus novembris, anno primo ». (POTTHAST, 21482).

995 Saint-Pierre, 13 novembre 1278.

Monasterii de Eenham privilegia et bona confirmat. (WAUTERS, *Table chronologique*, t. VII, p. 1052).

996 Saint-Pierre, 17 novembre 1278.

Rudolfum, regem Romanorum, hortatur ut privilegia ecclesiae Romanae praesentanda per Giffridum de Anagnia decanum ecclesiae S. Audomari Morinensis diocesis nuncium apostolicum confirmet, studeatque ut ad id principum Alemanniae consensus accedat. « Claret in gentibus... — XV kalendas decembris, anno primo ». (POTTHAST, 21485).

997 Saint-Pierre, 19 novembre 1278.

Episcopo Biterrensi mandat ut bona fratrum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani illicite alienata seu distracta ad jus eorundem revocare studeat. « Pervenit ad audientiam... — XIII kalendas decembris, anno primo ». (DELAVILLE LE ROULX, *Cartulaire*, 3683).

998 Saint-Pierre, 22 novembre 1278.

Senatori Urbis opprobrat quod Terracinensi, Pipernensi et Setinae communitatibus ecclesiae Romanae fidelibus mandavit ut infra certum terminum ad cameram Urbis speciales nuncios mitterent bladi, vini aliorumque liquorum mensuras inibi recepturos. « Grave gerimus admodum. — X kalendas decembris, anno primo ». (POTTHAST, 21486).

999 Saint-Pierre, 22 novembre 1278.

Terracinensi, Pipernensi et Setinae communitatibus de superiore epistola significat, eisque mandat ut senatori praefato tam in his quam in aliis parere nullatenus praesumant. « Grave gerimus admodum... — X kalendas decembris, anno primo ». (POTTHAST, 21487).

1000 Saint-Pierre, 8 décembre 1278.

R. Ruthenensi et Stephano Mimatensi episcopis ac P. abbati Tutellensi, Lemovicensis diocesis, mandat ut apud ecclesiam Albiensem, ordinis s. Augustini, quae ad presens 21 dumtaxat canonicos regulares habeat, convenientes de ipsius facultatibus et quantae in ea dignitates seu personatus esse valeant et etiam de statu ejusdem ac circumstanciis universis inquirant. « Romana ecclesia quae... — VI idus decembris, anno primo ». (POTTHAST, 21494)[1].

1001 Saint-Pierre, 12 décembre 1278.

Regem Romanorum monet ut nuntios mittat et exequatur quae toties petita fuerunt de exarchatu Ravennate et Pentapoli. « Solet nota principum ... — II idus decembris, anno primo ». (POTTHAST, 21496).

1002 Saint-Pierre, 16 décembre 1278.

Adolfo rectori ecclesiam S. Mariae juxta muros villae de Vriberg Misnensis diocesis, quam Heinricus dictus Bechere, laicus, sumptibus propriis de novo construxit, et villam de Hildebrandesdorp, quam ille cum jure patronatus eidem ecclesiae contulit, confirmat. « Cum a nobis... — XVII kalendas januarii, anno primo ». (POTTHAST, 21499).

1003 Saint-Pierre, 19 décembre 1278.

Omnibus ecclesiarum antistibus Gifridum de Anagnia capellanum suum pro magnis ecclesiae negotiis destinatum in itinere suo commendat, ut benigne eum recipiant et singulis diebus tribus libris turonensibus eidem provideant. « ... XIV kalendas januarii, anno primo ». (POTTHAST, 21501).

1004 Saint-Pierre, 26-31 décembre 1278.

Ministro fratrum Minorum administrationis Siciliae mandat ut ipse aliique fratres ejusdem ordinis concionibus et aliis modis conversioni Judaeorum incumbant. « Vineam Soreth velut... — ». (POTTHAST, 21504).

1005 Saint-Pierre, 4 janvier 1279.

Abbatissae et conventui monasterii de Juvigneio ordinis sancti Bendicti, Treverensis diocesis, indulget ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, feudalibus dumtaxat exceptis, a personis liberis petere, recipere ac retinere possint. « Devotionis vestrae precibus... — II nonas januarii, anno secundo ». (POTTHAST, 21506).

1006 Saint-Pierre, 7 janvier 1279.

Henricum et Ludovicum comites palatinos Reni et duces Bavariae rogat ut R. Romanorum regi faveant. « ... VII idus januarii, anno secundo ». (POTTHAST, 21507).

1007 Saint-Pierre, 9 janvier 1279.

Priori Praedicatorum et guardiano Minorum ordinum Beneventanis mandat ut si electionem Agnetis monialis in abbatissam monasterii s. Petri Beneventani ordinis s. Benedicti canonice celebratam invenerint, eandem confirment. « Exhibita nobis dilectarum... — V idus januarii, anno secundo ». (POTTHAST, 21508).

1008 Saint-Pierre, 13 janvier 1279.

Abbati monasterii S. Richerii in Pontivo, Ambianensis diocesis, mandat ut ea quae de bonis monasterii Clunia-

1. Cf. reg. n° 192.

censis alienata illicite invenerit vel distracta, ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocet. «... idibus januarii, anno secundo ». (POTTHAST, 21510).

1009 Saint-Pierre, 20 janvier 1279.

Aulidi dominae de Pyrois, Cameracensis diocesis, indulget ut certis conditionibus s. Clarae ordinis monasteria intrare possit. « Pium arbitramur et... — XIII kalendas februarii, anno secundo ». (POTTHAST, 21511).

1010 Saint-Pierre, 21 janvier 1279.

Decano ecclesiae S. Mauritii Augustensis mandat ut ea quae de bonis monasterii de Deggingen ordinis s. Benedicti Augustensis diocesis alienata illicite invenerit vel distracta ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocet. « Ad audientiam nostram ... — XII kalendas februarii, anno secundo » (POTTHAST, 21512).

1011 Saint-Pierre, 31 janvier 1279.

Archiepiscopo Nidrosiensi concedit ut cum ex debito praestiti juramenti incumbat ei necessitas singulis trienniis apostolorum Petri et Pauli limina visitare, propter longam nimium suae regionis distantiam hujusmodi visitationis debitum exsolvere usque ad quinquennium minime teneatur. « Meritis tuae devotionis... — II kalendas februarii, anno secundo ». (POTTHAST, 21529).

1012 Saint-Pierre, 25 février 1279.

Archiepresbytero et capitulo basilicae principis apostolorum de Urbe decretum huic bullae insertum, quod illi de celebrandis pro ipso papa quotidianis sacrificiis, vigiliis et anniversario et de aliis pro ejusdem pontificis parentibus, patruo et duobus fratribus anniversariis peragendis procuraverant, habet ratum et confirmat ejusque observantiam praecipit. « Sanctam et venerandam... — V kalendas martii, anno secundo ». (POTTHAST, 21541).

1013 Saint-Pierre, 11 mars 1279.

Franciscum Melphiensem episcopum ad ecclesiam Urbevetanam transfert. «... V idus martii, anno secundo ». (POTTHAST, 21545).

1014 Saint-Pierre, 11 mars 1279.

Episcopo Botuntino mandat ut causam vertentem inter archiepiscopum Montisregalis Johannem et episcopum Bitettensem ratione cujusdam pecuniae summae audiat. (POTTHAST, 21546).

1015 Saint-Pierre, 13 mars 1279.

Archiepiscopo et capitulo Montis Regalis omnia privilegia confirmat. (POTTHAST, 21547).

1016 Saint-Pierre, 14 mars 1279.

Abbati monasterii S. Johannis Eremitarum Panormitani mandat ut concessiones factas olim per archiepiscopos Montis Regalis in detrimentum ecclesiae revocet. (POTTHAST, 21548).

1017 Saint-Pierre, 14 mars 1279.

Eidem mandat ut omnia bona ecclesiae Montis Regalis per eum occupata eidem ecclesiae restituere procuret. (POTTHAST, 21549).

1018 Saint-Pierre, 18 mars 1279.

Petrum archiepiscopum Corinthiensem ad ecclesiam Cusentinam transfert. «... — XV kalendas aprilis, anno secundo ». (POTTHAST, 21553).

1019 Saint-Pierre, 22 mars 1279.

Compositionem inter priorem fratresque ordinis Praedicatorum Majoricenses et episcopum, capitulum rectoresque parochialium ecclesiarum Majoricensis civitatis et diocesis de jure sepeliendi initam confirmat. « Cum a nobis... — XI kalendas aprilis, anno secundo ». (POTTHAST, 21555).

1020 Saint-Pierre, 13 avril 1279.

Abbati de Mulinburne, Cisterciensis ordinis, diocesis Spirensis, ac Moguntinae et Warmatiensis ecclesiarum decanis mandat judicent inter decanum et capitulum majoris ecclesiae ac clerum civitatis Spirensis ex una parte et magistrum, consules universitatemque civium Spirensium ex altera. « Sua nobis dilecti... — idibus aprilis, anno secundo ». (POTTHAST, 21561).

1021 Saint-Pierre, 13 avril 1279.

